3665
M. 82 p. 827

Raynaud
(Theophile)

330386

IHS

DE MARTYRIO PER PESTEM

Ad martyrium improprium, & proprium vulgare comparato,

DISQVISITIO THEOLOGICA,

THEOPHILI RAYNAVDI,
Societatis IESV Theologi.

Qua monſtratur, eos qui proximis peſte contactis, ex Chriſtiana charitate ſubleuandis, immoriuntur, eſſe non latè duntaxat, ſed preſsè ac verè Chriſti Martyres; iis non diſſimiles qui in fidei cauſa mortem oppetunt: dupliciſque illius propriè dicti Martyrij decorum comparatio, ex Patrum oraculis, & doctrina Theologica inſtituitur.

LVGDVNI
Sumpt. IACOBI CARDON.
M. DC XXX.

Ex dono J. Cardon

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1895

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO,
P. MVTIO VITELLESCO,
SOCIETATIS IESV,
Præpoſito Generali.

IACOBVS CARDON F.

HAVD ſatis fœliciter hunc annum auſpicaturus mihi videbar, niſi aliquo officioſæ obſeruantiæ teſtimonio erga Paternitatem veſtram defungerer; Cùm opportunè venit mihi in manus hic recentis fœturæ Libellus, mole quidem exilis, ſed argumento planè nobilis, Martyrum ſanguine venuſtiùs rubricatus, quàm quouis minio vermiculatus, palmarum phyliris magnificentiùs lemniſ-

BIBLIOTHEQUE LYON 1896
VILLE DE LYON BIBL.

catus,quàm quibuſuis tæniis exornatus;
vt mihi dubium non ſit, quín citra omnem aliam elegantiam futurus ſit acceptiſſimus.

QVANQVAM & longè plura ſuppetunt nec ea ſanè vulgaria, ſi vti velim commendationis argumenta. Atque vt nunc quidem AVCTOREM ipſum taceam,quem neqne nos neque prælà noſtra ſatis dignè eloquantur; Quantum eſt quod hìc non modò cæterorum Martyrum aſſertas victorias,decora vindicata,defenſa,atque illuſtrata trophæa: Sed & tuorum Olympionicarũ hoc extremo iam ſeneſcẽtis mundi ſæculo vbique terrarum pro fide ac Religione pro pietate,ac charitate inſtituta certamina, obita pericula,fuſum ſanguinem cumulata denique cum immortali laude funera conſpecturus ſis? Atque vt de iis dicere ſuperſedeam, qui magno numero cùm inter hæreticos,tùm inter Ethnicos, pugiles è Societate IESV fortiſſimi,acerbiſſimos

biſſimos quoſque ſuppliciorum cruciatus magnificentiſſimo patientiæ ſpectaculo ſuperarunt. quo tandem verborum, laudíſque apparatu illos proſequar, qui in oculis noſtris, (parum dixi) in oculis Galliæ penè vniuerſæ, vbicumque toto hoc biennio peſtilentis auræ turbo ſeſe infudit, nobiles animas ineluctabili mortis periculo, nouo Martyrij genere obiecerunt?

FORTVNATAS vtique animas, quæ naturæ aliquando debitæ, Chriſto præcerptæ ſunt, & proximo impenſæ, quaſque ſi inter extabeſcentia peſtilenti lue cadauera Martyrum palmæ ſuccreſcunt, Martyras appellare non dubitem. Verùm hoc dum alij pro ſua eruditione diſceptabunt, alij pro ſua authoritate, ſtatuent, ego quod vnicum mihi hoc ineunte anno propoſitum eſt, iſtud qualecumque obſeruantiæ meæ monimentum, PATERNITATI VESTRÆ, ſtrenarum nomine dicatum eo. VALE.

ARGVMENTVM.

NVPER *graſſante Lugduni teterrima lue, quæ vrbem populoſiſſimam, miſerabili ſtrage compleuit, cum plerique Chriſti pugiles, ex Chriſtiana charitate. ad ægrorum, præſertim in ſpiritu, ſubſidium accurriſſent; eóſque etiam, ſinente Deo ad meritorum cumulum, communis calamitas inuolueret; dubitatio nonnullos inceſſit, quàm pretioſa apud Deum foret ea mors, quæ ex Chriſtiana charitate, generosè adito non ambiguo eius diſcrimine, tanto virtutis ſpecimine, ac ſalutis proximorum flagrantiſſimo zelo, oppetebatur. Quibuſdam nec infimæ notæ, ſed exquiſitæ pietatis ac doctrinæ viris, viſa huiuſmodi mors, ad martyrium preſsè acceptum abundè eſſe. Reclamantibus tamen aliis, qui tametſi vitam in ſancto illo miniſterio prodigere, (certè exitio aperto exponere,) opus eſſe ſanctiſſimum, & magni apud Deum meriti, æquè ac inſignis apud homines commendationis & ſplendoris, non diffitebantur; (& perſpicuum eſt, in tanta operis*

ris illius luce, diffiteri id neminem poſſe:) Tamen martyrij propriè ac ad Theologicam ſeueritatem exacti, decora eidem negabant, grauibus in ſpeciem rationibus ſubnixi, & ſuffragio (vt rebantur,) muniti omnium retrò Theologorum, apud quos de huiuſmodi, vt Ruffinus appellauit, miſericordiæ martyrio, altum ſilentium.

VISVM *eſt operæpretium, in diſcuſſionem controuerſiæ illius penitiùs deſcendere, non tam ad egregiorum Chriſti athletarum in tam ſancto opere voluntatem, noſtris vel rationibus vel diſputationibus incendendam, ſi ea plaga recrudeſcat; alibiue, hoc aut alio tempore ſæuiat; Quid enim iis quos vnctio docet de omnibus, & Spiritus ſancti vis occultis ac miris itineribus ſubiens, & occupans animos, ad tam ſublime glorioſámque opus impellit, noſtræ ratiunculæ? Non igitur tam ad vſum futurum, quem cupio nunquam hîc aut vſpiam alibi habere locum, quàm vt anteriùs exprompta virtuti ſtent ſua decora, & ſuauiſſimis pleríſque capitibus, quæ in proxima calamitate ſancto illi iuuandorum ægrorum miniſterio immortua ſunt, parta optimo titulo gloria maneat, interponere iudicium in ea controuerſia noſtrum placuit; quod æquè, ad omnem huiuſmodi mortem ex charitate aditam, & exceptam, pertinebit: Tametſi quia ex propoſito ſubſidij contactis impenſi exemplo, mo-*

ta eſt controuerſia, & in eo difficultas eſt luculenta, illius ferè duntaxat mentionem faciam in ſequentibus.

Vt verò ordinata ſit tractatio, quando in eo vniuerſa hæc controuerſia vertitur, ſítne hæc mors ad martyrium duntaxat latè acceptum idonea, an etiam ad martyrium ſtrictè & in rigore Theologico ſpectatum pertineat; præmittam quis apud Patres & DD. martyrij latè dicti ambitus ſit. Tum de eo martyrio preſſè dicto quod eſt maximè vulgare & indubitatum, diligenter agam. Quibus duobus præſuppoſitis in controuerſiam propoſitam deſcendam, ac vtri è duobus prædictis martyriis, latè inquam an preſsè dicto, accenſenda ſit mors de qua agimus, inueſtigabo: & auditis diligenter, partis negantis quæ mihi non probatur, rationibus, pro altera pronunciabo: demonſtrans eſſe hanc mortem, ad martyrium preſſè ac propriè dictum, ſufficientiſſimam. Ad extremum facta contentione duplicis martyrij propriè dicti, (quorum quod vulgare ac indubitatum eſt, fidei; hoc noſtrum, miſericordiæ martyrium, nominari poteſt,) quàm non diſpari ſplendore ambo colluceant, patefaciam.

SACRIS PVGILIBVS peſte ſublatis.

O Qui ſereno pellitis halitu
Minas tonantis ſæpius ætheris,
Vt aſtra nobis pleniori
Orbe diem meliora fundant.
O vos ſalutis præſidium meæ,
O ſanctitatis candida lumina,
Quidni à coronâ tot piorum
Tabificam pepuliſtis auram?
Arcana veſtri conſilij, precor,
Si quid meremur, pandite Cœlites;
Cur improborum miſcuiſtis
Funera funeribus bonorum?
Attende tellus. Conſcia ſidera
Teſtentur alti conſilij iubar,
Mentem explicent diuinitatis,
Inuiolato adamante fixam.
Deuota cauſæ pectora publicæ,
Nunquam periſſet peſtifer halitus,
Ni depopoſciſſent honores,
Martyribus ſolitos rependi.
Quàm ſæpè noſtris vota perennia
Fixere templis? O quoties precum,
Magno impetu ſurrecta moles,
Angelica ſtetit in corona?
Illa illa virtus artifici manu
Prenſare ſolers lurida corpora
Paſſim irretortis hauriebat
Monſtrificas oculis ruinas.
Immo ſeipsâ prodigioſior

Prono deinceps ore bibit luem,
Luem reuoluendam ſub Orci
Peſtifero loca fœda tabo.
Hac illa virtus meſſe potens ſua,
Aſſueta calles ire per arduos
Suis coronatur maniplis,
Et proprio micat apparatu.
Mox ſede celsâ crebriùs inſonans
O inquit, altum Cœlicolûm genus,
Frontes meorum laureatas
Perpetuâ radiate baccâ.
Necis verendæ ducite fercula,
Et ferculorum pompa terat polos,
De peſte pangantur trophæa,
Exuuiis onerata opimis.
Hæc pro ſepulchro ſint adamantino,
Hæc pro decori funeris ambitu,
Hæc ara ſedes victimarum,
Hic rogus, hic deitatis ardor.
Attaminato gens ſata ſanguine
Verba hæc profundis mentibus imprimat,
Et in columna æternitatis
Pro feretris numeret triumphos.
Hi dum ſaluti ſe patriæ vouent,
Stetere fortes, fortiùs occidunt,
Ac vrbis atquè orbis ruentem
Verticibus tenuere molem.

Ioan. A. S. Alb. S. I.

F A

FACVLTAS R. P. *Prouincialis.*

EGo STEPHANVS BINETVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. Henrico IV. & Ludouico XIII. nunc regnante, conceſſum, quo Bibliopolis omnibus vetatur, ne libros ab hominibus Societatis noſtræ compoſitos, abſque Superiorum eius permiſſione excudant, permitto IACOBO CARDON Bibliopolæ Lugdunenſi, vt R. P. THEOPHILI RAYNAVDI Societatis noſtræ Theologi, librum *de Martyrio per Peſtem* ad ſex proximos annos excudere, ac liberè diuendere poſſit. Lugduni 2. Ianuarij, 1630.

STEPHANVS BINETVS.

APPROBATIO.

TRactatus R. P. Theophili Raynaudi Societatis IESV Theologi *de Martyrio per Peſtem*, &c. vndecunque ſanus eſt, & cum fidei ſcitis, ac bonis moribus conſentiens. Eam verò præterea doctrinæ vbertatem ex Theologiæ & SS. Patrum diligenti peruolutatione, huic autori non noua, ſubminiſtrat, vt digniſſimus ſit prælo: hoc præſertim tempore, quo opportuniſſima, aut etiam perneceſſaria eſt commendatio tam ſancti, támque Chriſtiani operis, quod hoc tractatu celebratur. Ita ſentio. Lugduni 8. Nonas Martij 1630.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT,
Epiſcopus Damaſci.

Ita & ego ſentio de iſto opere pererudito & vndecunque probando.

DE VILLE.

Vic. Gen. Subſt.

CONSENSVS.

R. Patris Theophili Raynaudi Theologi Societatis IESV librum *de martyrio per peſtem*, typis mandari, & in lucem edi ſumptibus IACOBI CARDON Bibliopolæ Lugdunenſis, ego Regis Conſiliarius & Procurator in Lugdunenſi Præfectura non impedio. Die xiij. Martij, 1630.

PVGET.

PERMISSIO.

Librum *de Martyrio per Peſtem*, Authore R. P. Theophilo Raynaudo Societatis IESV Theologo, à IACOBO CARDON Bibliopola Lugdunenſi, in lucem edi permittimus, ac ſimul ne quis citrà datam ei facultatem denuo excudat, interdicimus. Datum Lugduni die 14. menſis Martij, anno 1630.

DE CHAPONAY.

OPERIS INDICVLVS.

LYON 1896

ANTELOQVIVM.

Martyris & Martyrij nomina, cortice tenus, & iuxta Eccleſiæ vſum quid ferant.

PARS PRIMA.

Pancarpia Chriſtiana, ſiue Eclogæ ex Patribus, de martyrio latè dicto.

CAP. I. *Omnem omnino patientem pij viri perpeſsionem, contineri latè dicti martyrij ambitu, ex Scripturæ oraculis & Patrum dictis.*

2. *De martyrio patientiæ in morbo noſtro, & noſtrorum morbo ac funere.*

3. *Religioſæ vitæ martyrium.*

4. *Martyrium Caſtitatis.*

5. *Martyrium condolentiæ.*

6. *Martyres ſeculi.*

PARS SECVNDA.

De Martyrio preſsè dicto, vulgari & indubitato.

CAP. I. *De prima in vulgari martyrio preſsè dicto perſona, ſiue de perſecutore.*

2. De

2. *De paſſo, altera in vulgari martyrio perſona; Ac primùm de infante.*
3. *Paſſum libertatis compos, quibus poſitiuis diſpoſitionibus ad martyrij gloriam ſit aptandum, ſiue de neceſſaria & idonea martyrij per adultum acceptatione.*
4. *Corollaria de quibuſdam paſsis è martyrum albo expungendis: Siue de falſo, Ethnicorum, Hereticorum, Schiſmaticorúmque martyrio.*
5. *Alia paſsi adulti ad martyrium aptatio per impedimentorum remotionem, & defectuum gratiæ diſſentaneorum excluſionem.*
6. *De pretioſiſsimis martyrij fructibus in via & in patria: hoc eſt de gratia, & ſubita gloria veris martyribus conſtituta.*

PARS TERTIA.

Sítne aliquod prætereа martyrium preſsè dictum. Siue vtri ex duobus martyriis hactenus expoſitis, latè inquam ac preſsè dicto, accenſenda ſit mors in aditione diſcriminis ad proximum ex charitate ſubleuandum oppetita; concluditúrque eſſe preſsè dicto martyrio adiungendam.

1. *Status controuerſiæ de martyrio in cauſa propoſita. Statuitur eſſe ſaltem latè dictum: Non eſſe preſsè acceptum quæ ſuadere videantur.*
2. *Contraria & vera ſententia quæ aditionem voluntariam periculi ad proximi ſalutem curandam, morte conſecuta, preſsè dicti martyrij decore exornat, Patrum autoritate communitur.*
3. *Senſus Eccleſiæ pro eadem ſententia.*
4. *Hiſtoria SS. Alexandrinorum, ad contactorum*

ſubſidium

ſubſidium tanquam ad martyrium accurrentium, eóque nomine inter martyres ab Eccleſia relatorum, explicatiùs proponitur; attextis ſimilibus eiuſdem, ac poſterioris, noſtrîque etiam æui piorum praxibus ad idem inſtitutum.

5. *Rationes ex nonnullis Scripturis deprompta pro eadem vera ſententia.*

6. *Firmamenta contrariæ ſententiæ, & machinæ quibus noſtram impetit, diſiiciuntur.*

PARS QVARTA.

Contentio decorum vtriuſque martyrij propriè dicti.

CAP. 1. *Inſignis vtriuſque martyrij propriè dicti fides. Vtrobique item expreſſiſſimum martyrium ſiue doctrinæ reuelatæ teſtificatio luculenta.*

2. *Spes firmiſſima & charitas flagrantiſsima, mortem in proximi ſubſidio ex charitate obitam, æquè ac pro fide exceptam, efficiunt coram Deo pretioſiſſimam.*

3. *Honeſtas ſupernaturalis fortitudinis quæ mortem pro fide irrogatam maximè illuſtrem facit, quantoperè in martyrio miſericordiæ ſplendeat.*

4. *Perfecta in vtroque martyrio configuratio cum Chriſto, qui eſt teſtis fidelis.*

5. *Mors in miniſterio charitatis, holocauſtum eſt, quo ſe homo non minus quàm in martyrio pro fide Deo conſecrat.*

6. *Eminentia & ſublimitas martyrij miſericordiæ, ex dictis concluditur. Eidem encomia & honores alterius item propriè dicti martyrij accommodantur.*

ANTE

ANTELOQVIVM

MARTYRIS ET MARTYRII NOMINA, CORTICE TENVS, ET iuxta Eccleſiæ vſum quid ferant.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896

1. MARTYRIS *dulciſſimum nomen*, vt appellat S. Auguſtinus conc. 20. in pſal. 118. Græcum eſt; ſed vt idem S.D. obſeruat ibidem conc. 9. Latio donatum, quod in Chriſtianæ plebis auribus ſuauiùs ſonaret, quàm Latina vox *teſtis*: Etiam ſi hanc quoque interdum vſurpat vulgatus interpres vt S. Gregorius 9. mor. c. 43. animaduertit, ad illud *inſtauras teſtes tuos contra me*; proferens nominatim illud Apoc. 2. *Antipas teſtis meus, fidelis, qui occiſus eſt apud vos*. Loco item *martyrij* vſurpatam plerunque ab eodem interprete Latinam vocem *teſtimonij*, præſertim in pſalmo 118. S. Auguſtinus & S. Ambroſius, aliique crebrò monent, plerunque de Martyrum teſtificatione accipientes *teſtimonium* cuius Pſaltes ibi toties meminit. Quamuis autem hæc ſit prima *martyris* & martyrij notio, tamen vſus, cuius in vocibus primæ ſunt partes, eam arctauit, nec eodē ſemper modo illas voces vſurpa-

A uit,

uit, aut ad omnem æquè de Deo hominis teſtificationem, accommodauit.

Martyres qui iuxta antiquum vocis vſum.

Itaque ij duntaxat dicti ſunt defungi martyrio, eſſéque Dei teſtes, & martyres, qui certo modo operoſiore, teſtimonium Deo perhibuiſſent, ſiue vexati, aut incommodis affecti citra mortem, ſiue morte per cruciatus mulctati. Nam quod pleriſque etiamſi naturali morte exceſſiſſent, aptatus ſit Martyrum titulus, tantùm ob exceptas propter Chriſtum ærumnas, in confeſſo eſt: Ex eóque vſu S. Auguſtinus in Pſal. 127. ad v. 4 S. Felicem qui ante admotos cruciatus vllos, extinctus in carcere fuerat, agnoſcit fuiſſe verè martyrem. Sed explicatiſſimè S. Chryſoſtomus orat. de S. Euſtathio Antiocheno. Cum enim non fuiſſet S. Euſtathius cæſus pro Chriſto, ſed tantùm relegatus à patria, cúmque nihilominus S. Chryſoſtomus appellaſſet martyrem, ſubveritus quod opponi poſſe videbat, non fuiſſe ſcilicet appellandum martyrem, qui naturali morte perfunctus eſſet; reſpondet S. P. rectè à ſe vocatum martyrem, qui non ipſe martyrio, ſed ipſi potiùs martyrium defuiſſet, multáſque propter Chriſtum ærumnas generosè excepiſſet. Multo magis autem qui torti, & cruciatibus (tametſi citra mortem,) affecti, digni fuerunt qui nomine martyrum donarentur. Et ita paſſim factum videmus à S. Cypriano, & aliis Patribus. Illuſtris eſt locus ex epiſtola S. Cypriani 16. compellantis Moſem & Maximum cæteróſque pro fide afflictos & tortos, ſed citra mortem. [Nutantem " multorum fidem, martyrij veſtri veritate ſolidaſtis.

Verè

Verè Euangelij teſtes, & vere martyres Chriſti, radi- «
cibus eius innixi, ſuper petram robuſta mole funda- «
ti, diſciplinam cum virtute iunxiſtis; ad timorem «
Dei, cæteros prouocaſtis; martyria veſtra, exem- «
pla feciſtis.] Apertiſſime idem tradit epiſt. 30. Præ- «
clarum etiam eſt in eam rem exemplum Euſebij Vercellenſis, qui apud Ambroſium ſermone 69. quo graues eius cruciatus deſcribuntur martyr appellatur; quo etiam nomine inſignitur in Romano Martyrologio 1. Aug. quamuis eum poſtea pacificè quieuiſſe, rectè monſtret Cardin. Baron. anno 371. Notum & illud S. Paulini epiſt. 2. ad Victricium, quem in carcere pro Chriſto aliqua citra mortem paſſum, appellat *Viuum martyrem*. Idem natali 1. & 3. S. Felicis, qui poſt irrogata tormenta dimiſſus, diu ſuperſtes fuerat, *martyrem ſine ſanguine*, nominat. Hæc igitur aliquando fuit vocis propoſitæ notio; vt martyres non ij tantùm dicerentur qui mortem pro Chriſto oppetiiſſent; ſed ij etiam qui aſpera pro eo perpeſſi, eo operoſiore modo teſtificati eſſent, veram eſſe doctrinam Chriſti.

Eadem olim Confeſſorum notio, poſtea reſtricta.

2. Interdum æquè latè patuit vox *confeſſoris*. Et fauet ſanè vocis cortex. Nam idem eſt Latinè *confeſſor*, qui Græcè *Martyr*. Ex quo antiquo vocis vſu, factum eſt, vt ſicut olim Eccleſia, à martyrum ſubtus aram ſepulcro, dicebatur *martyrium*, quod docent multa loca quæ profert Durantus l. 1. de rit. c. 1. n. 11. ita Eccleſia quoque dicta ſit *confeſſio*, vt idem Durantus exiſtimat, & ante eum Onuphrius l. de inter-

pret.vocum Eccleſ.v. *confeſſio*. Et ita habet prior Latina editio Concilij Gangrenſis canone 20. Eodem (quod ad rem præſentem attinet,) recidit germana notio mihique magis probata, eiuſdem vocis, qua *confeſſio* apud veteres non templum vniuerſum quo conditæ eſſent martyris alicuius exuuiæ, ſed eam duntaxat templi partem qua ſepulcrum illius contineretur, deſignabat: cryptam videlicet aut ſacellum ſub altari, quo ſacrum martyris pignus aſſeruabatur: ad cuius ſimilitudinem locus imus ſub gradibus, & maiori Eccleſiarum altari, confeſſio plerumque appellatur. Nam conſueuiſſe ſub altari condi martyrum corpora, patet ex illis verbis Apoc. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant.* Meritoque ita factum, vt S. Auguſtinus philoſophatur ſerm. 11. de Sanctis. *Quia ſuper altare, Corpus Domini offertur. Nec immeritò illic iuſti vindictam ſanguinis poſtulant, vbi etiam pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur.* Præclarè itẽ S. Ambroſius ep. 85. cum de ſacris pignoribus SS. Geruaſij, & Prothaſij « ſub altari condendis ageret. [Succedant victimæ « triumphales, in locum vbi Chriſtus Hoſtia eſt, ſed il- « le ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt, iſti ſub « altari qui illius redempti ſunt Paſſione.] Hæc *confeſſionis* in antiquis libris Eccleſiaſticis notio à Bulengerio l. de templis, c. 3. multis locis prolatis illuſtratur, cõfirmaturque à Baronio in notis ad Rom. Martyr. 6. Iulij: & vt vides, æquè monſtrat, *confeſsionis* vocem, ex priſco vſu, ad martyres quoque conſummatos, & pro fide cæſos pertinere, id quod etiam diſertè liquet ex Hieronymo epiſt. 27. ferè in fine.

3. Poſtea tamen vox *confeſſoris* & *confeſsionis*, ſtrictiùs

ſtrictiùs vſurpata eſt, & arctata ad eos qui cæſi pro Chriſto non fuiſſent, ſed vel torti duntaxat eſſent citra mortem, vel nondum torti, iam tamen carcere concluſi eſſent, mox torquẽdi; vel certè relegati pro Chriſto eſſent in exilium, aut illud illi fragilitati ſuæ diffidentes, veritique ne tormentis frangerentur, præoccupaſſent. His enim modis, dictos variis locis aut temporibus *confeſſores*, aduerto, & *martyribus* pro Chriſto conſummatis contradiſtinctos. Nec eſſet difficilè ſingularum illarum acceptionum exempla multa congerere, ſed ne in re facili multus ſim, pauca duntaxat obſeruabo. Apud Victorem ergo Vticenſem lib. 1. non ſemel, *confeſſor* appellatur qui tormentis vexatus eſt citra mortem, nominatímque Maſculum archimimum, ait Victor, per Geiſerici inuidiam martyrio excluſum, reuerſum confeſſorem. S. quoque Cyprianus, Aurelium, Celerinum, & Numidicum, etiam ſi tormenta paſſos, vocat confeſſores epiſt. 33. 34. & 35. Idem verò Cyprianus plerunque Confeſſoris nomen aptat iis qui nondum torti, eſſent tamen incluſi vt torquerentur, quos Tertullianus *martyres deſignatos* nominauit lib. ad Martyres initio. Eámque Confeſſoris notionem apud S. Cyprianum, pluribus ſtabilit Pamel. ad epiſtolam eius nonam num. 2. & ad lib. Tertul. ad Martyres n. 1. annuítque Baron. in notis ad Rom. Martyr. 2. Ianua. *littera H.* addens tamen, apud alios iam olim diuersũ fuiſſe vocis illius vſum, neminémque ab eis dictum Confeſſorem, niſi qui vel tormenta expertus nondum martyrium conſummaſſet, vel interpellatus, Chriſtum coram fidei hoſtibus confeſſus eſſet: Qua ratione, qui fuga confeſſionem præueniſſent, & ſpontaneo exilio tormentis, ſe ſubduxiſ-

ſent, vt factum eſt à S.Paulo primo Eremita,& à D. Baſilij maioribus, non fuiſſent nacti confeſſorum titulum. Sed contrarium conceptis verbis tradit S.Caius Papa in præclara parænesi ad Chriſtianos in Chromatij æde collectos, initio turbinis à Diocletiano in Eccleſiam concitati, vt refertur in actis S. Sebaſtiani & Sociorum. Ibi enim S. Pontifex, Chriſtianis immanitate perſecutionis conſternatis, duas ait à Chriſto illis propoſitas ſalutis vias, Martyrij ſcilicet, ſubeunda alacriter morte, & confeſſionis, ſecedendo voluntariè propter Chriſtũ, quod vt facerent, autor fuit omnibus iis quibus Romana commoratio periculoſa videretur, vſuris oblato per Chromatium in Campania domicilio, & neceſſariis ad victum. Quare ſine dubio hi quoque voluntarij exules, Confeſſores ſunt appellati, vt affirmabam. Baronius loco allegato, hos voluntarios exules, *extorres* dictos ait, vetuſto illo loquendi genere Certum tamen eſt, hanc appellationem his quoque æquè frequenter aptatam, qui Chriſtum profeſſi, mulctabantur exilio. Sic S. Cyprianus epiſt. 9. agens de Sanctis illis qui inter tormenta, fortes in confeſſione perſtiterant, ait eos poſt irrogata ſupplicia extorres eſſe factos. Epiſtola item 14. pro eodem accipit, extorrem fieri & pelli à patria. Præterea epiſt. 19. ait lapſos, iteratò tentatos & publicè Chriſtum confeſſos, factos eſſe extorres, ſicque anterius delictum abluiſſe: additque mulierem cui nomen *Bona*, cum conſtanter renuiſſet ſacrificia idolorum; extorrem factam, & pulſam in exilium. Denique epiſt. 35. Aurelium lectorem commendat ob editum inſigne fortitudinis ſpecimen, quando extorris fiebat per fidei hoſtes, & in exilium amandabatur. Apud Victorem quoque

quoque Vticenſem initio libri tertij, extorres apertè dicuntur, qui in exilium pulſi pro Chriſto fuerant, non ipſi vltrò abierant. Itaque quamuis *extorres* interdum dicti ſint illi, quos poſtremo loco recenſebamus inter eos quibus olim Confeſſorum appellatio competebat; tamen non poteſt dubitari, quin ſaltem æquè frequenter ea vox, ad quoſcumque pro Chriſto exules accommodaretur. Et quadrat vocis cortex; dictos enim *extorres*, quaſi extra terram eiectos, notat Alciatus ad l. *nemo Clericus* Cod. de ſumma Trinit. & fide Cathol. ac proinde etiam ij quos propriè relegatos dictos volunt, & extorribus vltro abeuntibus contra ponunt, extorres quoque dici potuerunt, & reuera ſunt dicti.

Qui nunc Confeſſores.

4. Præter hactenus propoſitas notiones *Confeſſoris*, prout *Martyri* contradiſtinguitur, ea eſt quæ nunc ſola viget, deſignatque hominem ſanctè ac piè viuentem, & eatenus Domino confitentem: quamuis martyrio, niſi incruento & interno, non ſit perfunctus. Expreſſit pulcherrimè hanc Confeſſoris à Martyre diſtinctionem S. Bernardus ſerm. de S. Benedicto. Tractans enim ſpiritualem ſeminationem quæ facta eſt in terra noſtra per ſanctiſſimam Trinitatem, per Angelos, Apoſtolos, Martyres, & Confeſſores, concludit quoad illos de quibus eſt hic ſermo. [Martyres, manifeſtum eſt fortitudinem ſeminaſſe. Porrò verò Confeſſores, ſeminauerunt iuſtitiam, quam in omni vita ſua ſecuti ſunt. Hoc enim intereſt inter Martyres & Confeſſores, quod inter Petrum ſimul omnia relinquentem, & Abraham,

ſubſtantiam mundi in bonos vſus expendentem. Sic enim illi, conſummati in breui, expleuerunt tempora multa: Iſti verò longa & multimoda traxere martyria.] In eandem ſententiam Petrus Bleſenſis tract. de inſtitutione Epiſcopi in ipſa meta, ita loquitur ad
" Ioannem Vvigorinienſem in Anglia Epiſcopum. [Sic
" ſtudeas implere Pontificem, vt in Domino viuas,
" & in Domino moriaris. Verbum Apoſtoli eſt: ſiue
" viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Vita qui-
" dem Confeſſorem, cauſa martyrem facit. Vbi autem
" perſecutionis cauſa non imminet, pia in ſeipſum
" crudelitas, & deſiderium patiendi, vicem martyrij re-
" compenſet.]

Preſsè ac latè dicti martyres, ſecernuntur.

5. Habemus ergo, qui preſsè, & in quodam vocis rigore per inolitum vſum probato, martyres ſint dicti: Nempe omnes qui mortem pro Chriſto oppetierunt, vel cum tormentis & grauibus ærumnis extrinſecùs irrogatis ſunt conflictati. Cæteri verò quos recentiore vocis vſu, Confeſſores dictos vidimus; hoc eſt; quicunque extra fidei cauſam, ac citra mortem, acerbum aliquid ſunt paſſi extrinſecùs irrogatum, vel ab ipſiſmet accitum, non niſi laxato vocis rigore, dicti ſunt martyres. Diſtinguit latè hoc duplex Martyrium, autor libri de duplici martyrio inter S. Cypriani opera, & pulchrè Origenes tomo 5. in Ioannem, expendens illud de Baptiſta ſcriptum Ioan. 1. *Hic venit in teſtimonium.* Præfatus enim, &
" Deum, & Chriſtum, & Sanctos Prophetas, mune-
" re teſtium & martyrum perfunctos, ſubdit. [Quiſ-
" quis autem teſtificatur de veritate, tum verbis, tum
" operibus, quomodocunque fauens illi, is iure teſtis
" dicendus eſt; ſed iam fraternitatis more, qui admi-

ratione

ratione proſecuti ſunt,(nempe affectum eorum, qui «
vſque ad mortem certarunt pro veritate, vel fortitu- «
dine) eos propriè ſolos nominarunt martyres, ſeu «
teſtes, qui ſui ipſorum ſanguinis effuſione, diuini «
cultus myſterio, teſtimonium reddidere. Cum ſerua- «
tor etiam, nominet omnes teſtimonium præbentes «
iis, quæ de ſe annunciantur, μάρτυρας, hoc eſt, teſtes, «
cum in cœlum reciperetur dicendo Apoſtolis: eritis «
mihi teſtes, tum in Hieruſalem, tum in Samaria, & «
vſque ad vltimum terræ. Vt autem leproſus ille mun- «
datus munus offert à Moſe præceptum, ad teſtimo- «
nium hoc faciens iis, qui in Chriſtum nondum cre- «
diderunt, ſic ad teſtimonium afferendum infidelibus, «
tum martyres, tum ſancti cæteri teſtificantur, quo- «
rum opera coram hominibus lucent. Vitam enim «
degunt, in Chriſti cruce ſummam fiduciam haben- «
tes, & teſtificantes de vera illa luce.] Hactenus de vo- «
cum notione, & martyrij multiplicitate, cortice
tenus. Nunc eadẽ duplex martyrij notio diſtinctè &
in particulari illuſtrãda & enucleãda eſt, ducto initio
à martyrio latè ac laxè dicto, quod minùs in eo hęren-
dum ſit, cum huius cauſæ minùs interſit, vt patebit.

PARS PRIMA.

Pancarpia Christiana; ſiue Eclogæ ex Patribus de Martyrio latè dicto.

HOc martyriũ, fuſiſſimè & explicatiſſimè proponitur ab Auctore libri de duplici martyrio, qui D. Cypriani operibus admix-

BIBLIOTH DE LA VILLE LYON

tus habetur,ita vt ſi Cypriani vel idonei au-ctoris opus eſſet, non alia requirenda videri poſſet eius tractatio. Verùm quiſquis fuit qui glorioſo S. Cypriani nomine ſpurium illum fœtum honeſtare voluit, admodum pingue iudicium, de lectorum iudicio, & obeſa eorum nare, ferre viſus eſt. Præter paucas namque plagulas hinc inde ex Cypriano decerptas ad maſtrucam illam inoculandam, nihil omnino in eo opere eſt, quod Cyprianum redoleat: éſtque id adeò obuium, per ſe, ac citra laboris impenſam, vt non ſit ſagacitas neceſſaria ad veſtigandũ curaue ad deprehẽdendum. Et quamuis inſulſus mango ad fucũ imperitis faciendum, Fortunati & alterius ad eum à ſe conſcripti libri, qui Cypriani germanus fœtus eſt, mentionem ingeſſerit, ſignarítque etiam annos qui à Chriſto fluxere ad ſanctum vſque Cyprianum quos ad ſuam vſque ætatem & tempus quo illa ſcriberet, ducentos quadraginta plus minus interlapſos affirmat: Tamen quod operoſum ſit affabrè mentiri,alia quædam adiungit,quibus ſuam fingendi ruditatem, ſatis prodidit. Cuiuſmodi eſt vt cætera premam, quod Diocletiani in Chriſtianos ſæuientis meminerit num. 17.cum tamen conſtet ferá illam non

paucis

[library stamp]

paucis à Cypriani morte annis in Chriſti ouile eſſe graſſatã. Militem præterea à Cæſare ad Turcas profugientem inducit num. 24. quamuis quanto poſteriùs innotuerit Turcarum nomen, & Cæſarum aduerſus eos bella cœperint, nemo in re hiſtorica adeò rudis ſit, vt ignoret. Quod verò ſe quandoque Magum num. 26. ementiatur, hoc perſpicuè ad illud Græcorum erratum pertinet quo etiam Gregorius Theologus laborauit, de vno eodémque Cypriano Nicomediæ paſſo ſub Diocletiano, antea Mago, & Carthaginenſi, paſſo in Africa ſub Valeriano. Eum enim errorem nondum edoctus, perſonatus hic Cyprianus, Magicæ ſe impietatis inſimulat. Quare cum res ſibi ſuas habere iubeo, & ad martyrij latè accepti illuſtrationem, neglecta eius tractatione aggredior. Et quia martyrium, vt fere omnium ſenſus, perpeſſionem aſperorum pro Chriſto ſonat, eáque conſtituitur; id inprimis generatim proſequar: Tum ſigillatim deſcendam ad perpeſſiones quaſdam, quæ inter incruentas videntur maioris operæ, ideóque martyrij latè ſumpti nomen, digniùs implent. Ac vt maior affletur fragrantia, non aliud ferè hac prima parte, quàm ſertum ex amœniſſimis Patrum areo-

lis

lis lectum porrigam, quod quia ex variorum defloratione contexetur, pancarpiam dicere viſum eſt cum Tertulliano L. contra Valenti. cap. 12.

CAPVT I.

Omnem omnino, patientem pij viri perpeſſionem, latè dicti martyrij ambitu, contineri.

1. QVandoquidem ſpectato vocis cortice, idem eſt martyr, qui teſtis, vt monſtrauimus; & martyrium, idem quòd teſtimonium, quiſquis incommodum aliquod patienter ſubeundo, teſtimonium Chriſto vel virtuti perhibet, ſiue vt ita dicam, in actu ſignato, hoc eſt adhibitis verbis conteſtatione veritatis alicuius reuelatæ fœtis, ſiue reipſa & opere, quæ optima eſt ac fortis teſtificatio, is martyris nomine, & in ſcripturis interdum, & frequenter apud Patres honeſtatur: illáque eius perpeſſio, martyrium quoddam dicitur. Signabo illuſtriora quædam loca.

Perſtricta Scripturæ quædam à Patribus Martyrium patientiæ aſtruentibus vſurpato.

Ex ſcriptura, non pauci Patres in hanc rem laudant Apoſtolum c. 11. & 12. ad Hebræos, vbi animans eos qui Chriſtianam fidem Iudaïſmo abiecto amplexi, & illuminati ſiue baptizati, magnum certamen ſuſtinuerant paſſionum, affirmat *Senes*, hoc eſt anteriorum temporum iuſtos, multa conſtanter in cauſa fidei & iuſtitiæ patiendo, conſecutos eſſe

mar

martyrium; non omnes quidem cruentum, ſed pleroſque duntaxat incruentum, & late ſumptum. *In hac*, inquit, agens de fide, initio vndecimi capitis, *teſtimonium conſecuti ſunt ſenes*, ἐν ταύτῃ ἐμαρτυρήθησαν οἱ πρεσβύτεροι. Tametſi autem Oecumenius, Gagneius, Richelius, & paſſim recentiores, verbum illud Græcum quod vulgatus expreſſit per eas voces *teſtimonium conſecuti ſunt*, ita expoſuerint, vt nõ ferat, iuſtos quos mox recēſet Apoſtolus, omnes eſſe martyres, & martyrium in fide conſecutos, ſed tantùm ferat eos à Deo approbatos eſſe, & teſtimonium fuiſſe conſecutos quòd Deo placerent: Tamen ſi vniuerſam Apoſtoli orationē inſpiciamus, (qui optimus eſt interpretandi & germanum ſenſum eruendi canon vt S. Chryſoſtomus ſæpè ingeminat,) videbimur non incongruè feciſſe, affirmantes, *teſtimonium conſequi*, in illo Apoſtoli loco, idem eſſe quod conſequi martyrium; nec ſignificare, teſtimonium à Deo accipere, ſed Deo reddere, vt aliquoties in ſenſu paſſiuo, non in actiuo quem aſtruimus, accipienda ſint eadem verba citato capite 11. Sanè in calce capitis, vbi concluditur enumeratio ſingulorum iuſtorum propoſita toto capite, ad exponendum quod præmiſſum fuerat eos in Chriſti fide teſtimonium eſſe conſecutos, ita loquitur Apoſtolus. *Hi omnes teſtimonio fidei probati, &c.* apertè refricans quod præmiſerat initiò capitis, atque adeo agens de illo ipſo teſtimonio, quod ſenes, in fide conſecutos aſſeruerat. Ita vt idem planè ſit, eos teſtimonium in fide eſſe conſecutos, & teſtimonio fidei eſſe probatos. In hoc autem poſtremo loco, probari teſtimonio fidei, non eſt fidem perhibere homini teſtimonium, vel Deum intuitu fidei quam in homine approbaret, mira

quædam

quædam præſtitiſſe, aut hominem ſibi eſſe charum, voluiſſe teſtatum, quæ eſt multorum huius loci interpretatio: Sed apertè, idem eſt *probari teſtimonio fidei*, atque *compertum eſſe fidelem teſtem*, ſiue commendari à teſtimonio per hominem præſtito fidei & veritati. Propterea namque Apoſtolus initio capitis 12. quod ſtatim ſubſequitur, addit. *Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium.* En *teſtium*, quorum profectò eſt, teſtimonium non accipere, ſed reddere. Quare manifeſtè Apoſtolus, ſenes quos enumerauerat, & teſtimonium in fide conſecutos dixerat, accenſuit martyribus, ſiue teſtibus diuinæ veritatis, eóſque in fide conſecutos eſſe martyrium profeſſus eſt. Quod liquet non poſſe de martyrio cruento accipi, cum plerique eorum quos recenſuerat, imo præter vnum Abelem, omnes quos ex nomine ſignauerat, placidè & naturali morte exceſſiſſe legantur. Et tamen de omnibus, ſiue ſigillatim enumeratis ſiue vniuerſim propoſitis, ait Apoſtolus: *Hi omnes teſtimonio fidei probati.* Nempe teſtimonio & martyrio ſaltem latè dicto, quale duntaxat in Abrahamo, Moſe, Dauide, aliiſque permultis ibidem enumeratis, licet agnoſcere. Et ita optimè notauit S. Chryſoſtomus orat. 5. contra Iudæos, & Theodorus Studita ſerm. 10. catech.

2. In eundem ſenſum, accipere licet illud dilecti diſcipuli, epiſtola 1. c. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt.* Duplicem enim eo loco profert Trinitatem, veritati diuinæ de Chriſto Domino atteſtantem. Alteram cœleſtem & increatam, tribus diuinis perſonis conſtantem. Alteram terreſtem & creatam

creatam, ſpiritu, aqua, & ſanguine (quæ item tria vnum eſſe aſſerit) conſtitutam. Vt autem dimittam immenſam ſyluam interpretationum de tribus illis teſtimonium in terra perhibentibus, videtur commodiſſima quam ex Balduino Cantuarienſi l. 1. de Euchar. c.48. referunt de ſpiritu iuſtorum contribulato, aqua pœnitentium, ſanguine martyrum; quæ tria vnum eſſe dicuntur teſtificatione, quia in hoc conſentiunt, quod ſingula ſunt martyrium & teſtificatio diuinæ veritatis: ſanguis quidem preſſè ac ſtrictè: reliqua duo, ſaltem largè, non tamen omnino impropriè & abſque vlla cum vero martyrio analogia, quæ maxima omnino intercedit, vt attigit S. Bernardus ſerm. 1. in octaua Paſchæ; & ſerm. de S. Clemente. Sed & quod Iacobi 1. patientia opus perfectum habere dicitur, in commentario attributo S. Thomæ, ita accipitur, *vt opus perfectum* idem ſit quod *martyrium*. Et fauet D. Auguſtinus qui perfectos in Eccleſia interpretatur martyres, ſerm. 17. de verb. Apoſt. Fortè alludens ad vſum priſcum Romanum, ex quo Athletæ præſtantiſſimi, dicebantur *perfecti*, & eorum præmia τελεία. Nolo in ſimilibus pleriſque locis hîc appendendis, diligentiam probare, quòd Patrum ſententiæ in rem propoſitam proferendæ, multis huiuſmodi vtriuſque diuini inſtrumenti teſtimoniis fœtæ ſint; nec videatur è re lectoris, iis iteratò adducendis, impleri paginas.

Patrum ſuffragia.

3. Quare ad Patres venio, qui innumeris locis affirmant quod hîc intendimus: Eſſe videlicet piam quamcum

quamcunque & patientem perpeſſionem probi hominis, martyrium quoddam, atque adeò martyrij ambitu non ſolam ſanguinis & vitæ profuſionem, ſed alia quoque contineri. In immenſa autem copia adhibendus erit delectus, & ſelectiora quædam loca aliis ſepoſitis ſignanda.

Clemens Alexandrinus diſertè ita habet 4.ſtrom.
« cap.4. [Quid mihi dicitis (inquit) Domine Domi-
« ne, & non facitis quæ dico? qui enim labiis diligit
« populus, cor autem longè habet à Domino, eſt
« alius alio perſuaſus, & ei ſe ſua ſponte vendidit:
« quicumque autem ſeruatoris mandata exequuntur,
« in vnaquaque actione ſunt martyres, id eſt teſtes,
« facientes quidem quod vult, conſequenter autem
« nominantes Dominum, & reipſa teſtantes, ei cui
« credunt eſſe carnem, cum eam cruci affixerint cum
« vitiis, & concupiſcentiis.]

Suffragatur S. Methodius apud Epiphanium hær. 64. Exponens enim illud, *igne nos examinaſti*, & id martyribus accommodans, negat, eo nomine illos tantùm eſſe intelligendos in quos procella forenſis, aut gentium inſectatio detonuerit, ſed alios quoque in Eccleſiæ pace, multa (vt aſſolet) pro Deo, &
« iuſtitiæ exercitatione perpeſſos. [Dicat ſanè (inquit)
« etiam Abraham, igne examinatus in viſceribus ob
« vnigenitum filium, vbi mandatum Dei prætulit,
« poſtquam audiuit, Abraham parce filio tuo, abiecto
« gladio: probaſti nos Deus, igne examinaſti nos, ve-
« lut igne probatur argentum. Dicat & Iob poſt pu-
« rulentiæ defluxum, & vbi ab amicis improperia
« pertulit, & corpore malè affectus doluit, & per
« procellam loquentem ad ipſum, Deum audiuit:
« putas me aliter tibi reſponſum dediſſe quàm vt
iuſtus

iuſtus appareas? poſuiſti tribulationes coram nobis Domine, quo nos velut aurum in fornace probes. Dicant tres illi in camino pueri, rore madentes, vt ne comburerentur igne: probaſti nos Deus, igne examinaſti nos, velut igne probatur argentum, Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos ad refrigerationem. Quare & mihi Methodio dicere licebit, vbi in die tua, ô Deus omnipotens, æternus pater Chriſti, citra dolorem tranſgreſſus fuero ignem, & aquarum naturam inuſtoriam mutatam habuero, ipſorúmque impetus effugero; Tranſiui per ignem, & aquam, & eduxiſti me ad refrigerationem.]

4. Luculenter Nazianzenus orat.6.coram Gregorio Nyſſeno in SS. Martyrum feſto habita. [Purificemus noſmetipſos martyribus fratres, vel ei potiùs cui ipſi quoque cruoris ſui profuſione, veritatiſque confeſſione, purificati, & expiati ſunt. Mundemur ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, Lauemur, mundi efficiamur, exhibeamus nos etiam corpora noſtra, & animas, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabilem noſtram precationem. Neque enim purus tanto in pretio quicquam habet, quàm puritatem, aut purgationem. Certemus propter athletas: vincamus propter victores: Teſtimonium dicamus veritati propter martyres. Hoc illorum certaminibus demus, vt ipſi quoque palmam aſſequamur, atque eiuſdem gloriæ hæredes ſimus, tam illius, quam à nobis accipiunt, quàm illius quæ in cœlis recondita eſt: cuius monimenta quædam, & exigua ſigna ſunt, quæ oculis cernuntur: Aduerſus principatus, & poteſtates, certamen ineamus; aduerſus inuiſi-

" biles illos perſecutores, & tyrannos, aduerſus
" mundi rectores tenebrarum huius ſæculi, aduer-
" ſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus, & quæ cir-
" ca cœleſtia feruntur, aduerſus domeſticum atque
" inteſtinum vetus bellum, quod in animi pertur-
" bationibus ſitum eſt, aduerſus quotidianos ea-
" rum, quæ externè accidunt rerum impetus. Iram
" velut belluam quamdam, linguam velut præa-
" cutum gladium ſuſtineamus: voluptatem velut
" ignem extinguamus, Auribus noſtris ianuas ap-
" ponamus quæ tempeſtiuè aperiantur, & clau-
" dantur: oculis frænum iniiciamus, tactum rabie la-
" borantem, & guſtum vellicantem coërceamus:
" ne alioqui mors per feneſtras noſtras aſcendat:
" (hoc enim nomine, ſenſuum ſedes vocari exiſti-
" mo.) Effuſum & petulantem riſum irrideamus. Ne
" ob rerum penuriam, ante Baal genu flectamus,
" nec ob metum ſi auream imaginem adoremus.
" Hoc vnum timeamus, ne quid magis, quàm
" Deum timeamus, diuinæque imagini per impro-
" bam viuendi rationem probrum inferamus. In om-
" nibus fidei ſcutum aſſumamus, atque omnia dia-
" boli tela effugiamus. Nam hoc quoque bellum
" graue, ac periculoſum eſt, hæc quoque dimicatio
" magna, & amplum ac luculentum hoc trophæum.]

Ad eandem mentem S. Ephrem, in altera SS.
" Martyrum laudatione.] Sanctorum te Martyrum
" diſcipulum præbet. Nam ſi te illis diſcipulum de-
" deris, erunt & ipſi viciſſim tibi magiſtri optimi,
" addiſceſque ab iis paſſiones quaſcunque ſuperare,
" ac nullatenus eis locum dare: diſces quoque ab
" eiſdem perfectam fidem, dilectionem Dei, ac
" ingentem commiſerationis affectum, futurorúm-

que

que bonorum deſiderium:nam ardentem hi rogum ac flammam virtute Dei, fidéque perfecta extinxerunt, atque vicerunt. Quare & tu ſemper prauæ ac noxiæ concupiſcentiæ flammmas in teipſo reſtingue, ac vince. Varia illi tormenta ſuperarunt, ſpe,qua in Chriſtum erant,ſuffulti: quocircà & tu turpes cunctas paſſiones, caſta piáque mente, atque cogitatione ſuperare contende. Vicerunt illi tyrannos ſua modeſtia atque longanimitate. Vince igitur & tu tyrannidem iracundiæ, iiſdem inſtructus armis. Illi palam martyres fuerunt: at tu in ſecreto ſaltem, martyrem perfectum te præbe. Illi in aperto certamen conſummarunt: perfice tu quoque certamen in occulto; vt in die retributionis, corona cum ipſis doneris: ac in cœleſti regno ſocius gloriæ illorum inueniaris, ſimulque gaudio ſempiterno perfruaris.]

Eleganter & fusè, nec infrequenter idem tradit S. Chryſoſtomus; vnum aut alterum duntaxat locum ſignabo. Initio orationis in S. Barlaam ſic ratiocinatur. [Qui fieri poteſt,dicet aliquis,vt martyres imitemur: Non enim perſecutionis eſt tẽpus. Equidem id etiam ſcio, perſecutionis quidem tempus non eſt; at Martyrij eſt tempus: luctarum eiuſmodi tempus nõ eſt, at coronarum eſt tempus: Non perſequuntur homines, at perſequuntur Dæmones: Non vexat tyrannus, at vexat Diabolus, tyrannorum omnium ſæuiſſimus: Non obiectas prunas conſpicis, at cupiditatis conſpicis flammam accenſam. Illi prunas calcarũt, tu naturæ pyram calca: illi cum beſtiis pugnarunt, tu iram, immitem & indomitam belluam fræna: illi aduerſus intolerabiles dolores ſteterunt, tu abſurdas, pra-

uáſque cogitationes, quæ in corde tuo pullulant, vince. Ita Martyres imitabere. Nunc enim nobis non eſt colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem; ſed aduerſus principes, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ. Ignis eſt cupiditas naturæ, ignis inextinctus ac perennis, canis eſt rabidus & inſanus: licet millies eum propellas, millies impetum facit, nec abſiſtit. Sæua quidem prunarum eſt flamma, verùm hac vehementior eſt flamma cupiditatis. Nunquam inducias belli huius obtinemus; nunquam pugnæ ceſſationem obtinemus, dum in hac vita verſamur, ſed perpetuum eſt certamen, vt & ſplendida fiat corona: propterea Paulus nos ſemper armat, quandoquidem belli eſt tempus; quandoquidem vigilat ſemper hoſtis.] Optimè idem in Pſalmum 95. *ſub finem*, vbi locum ex S. Ephrem prolatum videtur expreſſiſſe. Commendat enim martyrium in occulto, quod in perpeſſione patiente conſtituit, & eiuſdem cum manifeſto rationis eſſe docet: quod ſicut martyr manifeſtus, coram iudice Deum abnegare renuit, & idcircò letho datur, & coronatur, ſic martyr in occulto, vrgente ad ſcelus Satana, & impatientiam aduerſus diuina ſcita excutere annitente, Deo iudice coronetur, tanquam martyr propoſito, & voluntate, penes quam vnam, gloria martyrij attenditur. Idem pulcherrimè homil. 11. in ad Hebr. poſt enumerata ſacrificiorum myſticorum varia genera, quæ vocat rationabilia obſequia, iſtud quoque non omiſit, quod martyrium eſſe ait, & holocauſtum continere admodum affine, & quo preſsè dicti martyres ſanguinem ſuum fundentes, Deo litant.

S. Ambro

S. Ambroſius, myſticæ huius perſecutionis ac martyrij auctores, eiúſque multiplicitatem, diligenter & pro more amœniſſimè aperit ſerm. 20. in Pſalm. 118. V. s. expendens illud, *Multi qui perſequuntur me*, poſt tactum martyrium S. Sebaſtiani, cuius tunc natali, eam Pſalmi partem, pro concione exponebat. [Non ſolùm (inquit) perſecu- « tores ſunt qui videntur, ſed etiam qui non videntur, « & multo plures perſecutores. ſicut enim vnus per- « ſecutor Rex multis perſecutionis præcepta mitte- « bat, & per ſingulas vel ciuitates, vel prouincias « erant diuerſi perſecutores: ita etiam Diabolus mul- « tos miniſtros ſuos dirigit, qui non foris tantùm, ſed « etiam intus faciant perſecutiones, in animis ſingu- « lorum. De his dictum eſt perſecutionibus; omnes « qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutio- « nes patiuntur. Omnes dixit, nullum excepit. Quis « enim poteſt eſſe, cum ipſe Dominus perſecutio- « num tentamenta tolerauerit? perſequitur auaritia, « perſequitur ambitio, perſequitur luxuria, perſe- « quitur ſuperbia, perſequitur fornicatio. Vnde & « Apoſtolus ait. Fugite fornicationem. Nam qua, « cauſa fugeres, ſi non illa te perſequeretur? Eſt enim « malus ſpiritus fornicationis, eſt malus ſpiritus aua- « ritiæ, malus ſpiritus ſuperbiæ. Iſti ſunt perſecuto- « res graues, qui ſine gladij terrore, mentem homi- « nis frequenter elidunt, qui illecebris magis quàm « terroribus animos expugnant fidelium. Hi tibi ho- « ſtes cauendi. Hi grauiores tyranni, per quos Adam « captus eſt. Multi in perſecutione publica coronati, « occulta hac perſecutione ceciderunt. Foris, inquit, « pugnæ, intus timores. Aduertis quàm graue certa- « men ſit, quod eſt intra hominem, vt ſecum ipſe «

" confligat,cum ſuis cupiditatibus prǽlietur.Ipſe Apo-
" ſtolus fluctuat, hæret, aſtringitur, captiuari ſe aſ-
" ſerit in lege peccati, & mortis corpore debellari,
" nec potuiſſe euadere, niſi eſſet Domini Ieſu libe-
" ratus gratia. Verùm vt multæ perſecutiones, ita
" multa martyria. Quotidie teſtis es Chriſti. Tenta-
" tus es ſpiritu fornicationis, ſed veritus Chriſti fu-
" turum iudicium, temerandam mentis, & corporis
" caſtimoniam, non putaſti, martyr es Chriſti. Tenta-
" tus es ſpiritu auaritiæ, vt poſſeſſionem minoris in-
" uaderes, indefenſæ viduæ iura temerares, & in
" cõtemplatione cœleſtium præceptorum opem ma-
" gis ferendam quàm inferendam iniuriam iudicaſti,
" teſtis es Chriſti. Denique tales vult teſtes Chriſtus
" aſſiſtere, ſecundùm quod ſcriptum eſt: iudicate pu-
" pillo, & iuſtificate viduam, & venite diſputemus
" dicit Dominus. Tentatus es ſpiritu ſuperbiæ: ſed
" videns inopem, atque egenum, pia mente com-
" paſſus es: humilitatem magis quàm arrogantiam
" dilexiſti: teſtis es Chriſti: & quod eſt amplius, non
" ſermonis tantùmmodò, ſed etiam operis teſtimo-
" nium perhibuiſti. Teſtis es Chriſti. quis enim lo-
" cupletior teſtis eſt, quàm qui confitetur Domi-
" num Ieſum in carne veniſſe, cum Euangelij præ-
" cepta cuſtodit? Nam qui audit, & non facit, negat
" Chriſtum: etſi verbo fatetur, operibus negat.
" Quàm multis dicentibus Domine, Domine, nonne
" in tuo nomine prophetauimus, & dæmonia eieci-
" mus, & virtutes multas fecimus, in illa die reſpon-
" debit, Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis?
" Ille ergo teſtis eſt, qui aſtipulantibus factis Domi-
" ni Ieſu præcepta teſtatur. Quanti ergo in occultis
" quotidie martyres Chriſti ſunt, & Ieſum Domi-

num

num confitentur? Nouit hoc martyrium Apoſtolus, & teſtimonium Chriſti fidelium,qui dixit:hæc eſt enim gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, *&c.* Et in intimis perſecutionibus ſunt Reges, & præſides, terribiles iudicij poteſtate. Habes exemplum in domini tentatione,quam pertulit. Demonſtrata enim ſunt ei omnia regna, & dictum eſt ei: Tibi dabo hæc omnia, ſi procidens adoraueris me. Lectum eſt & alibi: Non regnet peccatum in veſtro mortalì corpore. Vides ante quos Reges ſtatuaris ô homo, ante quos præſides peccatorum? Si culpa regnat, quot peccata, quot vitia, tot reges: & ante hos adducimur, & ante hos ſtamus. Habent etiam iſti reges, tribunal in mentibus plurimorum. Sed ſi quis Chriſtum, fateatur, ſtatim regem illum facit eſſe captiuum, dejicit de ſolio ſuæ mentis. Quomodò enim poterit Diaboli tribunal manere in eo cui Chriſti tribunal aſſurgit. Multi ergo perſecutores, & tribulantes me.]

7. De iiſdem incruentis martyriis aſperorum patienti perpeſſione & firma tolerantia conſtitutis, apud D. Auguſtinum plurima & crebrò in hanc rem leguntur. Decerpo nonnulla. Serm. 250. de tempo. negat poſſe quemquam cauſari, præciſam nobis in Eccleſiæ trãquillitate,& huius maris in quo nauigamus, veluti fluſtro, martyrij gloriam.[Nemo dicat *(inquit)* fratres chariſſimi, quod in iſtis temporibus martyres non ſint.quotidie martyres fiunt. Martyr enim teſtis interpretatur. Quicunque ergo pro veritate teſtimonium dederit, & omnes cauſas cum iuſtitia iudicauerit, quicquid pro teſtimonio veritatis, vel iuſtitiæ pertulerit, totum ei dominus pro martyrio computabit. Ac ſic & ille qui ebrie-

« tati reſiſtit. ſi cum dei adiutorio perſeuerare voluе-
« rit, & pro illo ipſo aliquas pertulerit tribulationes,
« omnia ei Dominus ad martyrij gloriam reputabit.]

Ibidem ſerm. 252.tractans offenſionem,in quam pro illorum temporum corruptela,(heu nunc quoque ſuperſtite,)incurrere timebāt qui prouocātibus ad numeroſam fœcundorum calicum exſiccationem, recuſabant obtemperare,poſt multa,ita con-
« cludit. [Nemo dicat fratres chariſſimi,quod in iſtis
« temporibus martyrum certamina eſſe non poſſint.
« Habet enim & pax noſtra martyres ſuos. Nam,ſicut
« frequenter ſuggeſſimus, iracundiam mitigare, libi-
« dinem fugere, iuſtitiam cuſtodire, auaritiam con-
« temnere, ſuperbiam humiliare, pars magna mar-
« tyrij eſt.]

Rurſus ſerm. 32. de ſanctis, qui eſt tertius de S.
« Laurentio. [Martyr Græcè, Latinè teſtis dicitur.
« Igitur quotieſcumque bonis actibus mandatum
« Chriſti, facimus, toties Chriſto teſtimonium per
« hibemus. Vnde & crux domini, non tantùm illa
« dicitur, quæ paſſionis tempore,ligni affixione con-
« ſtruitur, ſed illa quæ totius vitæ curriculo cuncta-
« rum diſciplinarum virtutibus coaptatur. de qua
« mihi videtur ſaluator dicere, qui vult poſt me veni-
« re, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Nunquid
« enim omnes martyres, qui ſecuti ſunt dominum,
« crucifixi ſunt cum domino? Nunquid omnes virgi-
« nes qui iuxta Apocalypſim ſequuntur agnum Dei,
« crucifixi ſunt, vt ſequantur? nunquid Paulus Apo-
« ſtolus crucifixus fuerat cum dicebat, mihi autem
« abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chri-
« ſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego
« mundo? hoc autem dicit, vt intelligas,crucem non

ligni

ligni eſſe patibulum, ſed vitæ virtutiſque propoſi- "
tum. Tota igitur vita Chriſtiani hominis, ſi ſecun- "
dùm euangelium viuat, crux eſt atque martyrium.] "

Ibidem ſerm. 46. [non martyrium ſola effuſio "
ſanguinis conſummat, nec ſola dat palmam exuſtio "
illa flammarum. Peruenitur non ſolùm hoc caſu, "
ſed etiam contemptu carnis ad coronam. abſque "
iniuria ſanctorum, in perſecutionibus defunctorum, "
dicere liceat, carnem afflixiſſe, libidinem ſuperaſſe, "
auaritiæ reſtitiſſe, de mundo triumphaſſe, pars "
magna martyrij eſt.] "

8. Eadem incruenta martyria, agnoſcit, celebratque non vno loco ſcriptor vernantiſſimus S. Eucherius. ſed pulcherrimè homil. de S. Geneſio, vbi Chriſtianos omnes exemplo martyrum illorum, qui animas ſuas pro Chriſto abiecerunt, ad huiuſmodi ſaltem martyria ſtimulat. Ita verò concludit elegantem de more expreſſionem, vexationum SS. martyribus per Ethnicos in cauſa fidei irrogatarum. [Hos "
ergo chariſſimi ita miremur, vt homines fuiſſe me- "
minerimus: Hos inquam ita miremur, vt eos "
noſtri ſimiles nouerimus, & ſub eadem, qua nos "
ſumus carnis fragilitate vixiſſe; & per hoc ſequamur "
inquãtum poſſumus fidem illorum, ſectemur animi "
virtutem, qua terrena, & præſentia reſpuentes vim "
regnis cœleſtibus intulerunt. Superauerunt illi cor- "
porum dolores, nos ſuperemus morum, & cordium "
paſſiones: Vicerunt illi tormenta, nos vitia. Illi ſa- "
crificare dæmoniis horruerunt, nos malitiam, inui- "
diam, obtrectationes, contentiones, tanquam pro- "
phana ſacrificia deteſtemur: vt inter huius mundi "
conflictionis vitia, perſecutores virtutis probent eſſe "
nos martyres. Perſequamur in nos peccata, & ini- "

quitates noſtras: expugnemus ſuperbiam, debellemus iracundiam ipſi in nobis;& perſecutoris partes exequamur, & martyrum, per caſtigationem vigiliarum, per contritionem ieiuniorum, per hoſtiam viuentem, ſanctam, placentem Deo, Acquiramus nobis nouum, non carnis morte, ſed carnalis vitæ mortificatione martyrium: vt de nobis quoque, etiam viuentibus, dici poſſit, pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius Ergo in quantum fieri poteſt, extinguatur in nobis quicquid peccati eſt, mortificetur morti quod ſæculi eſt, vt pretioſa perficiatur in conſpectu domini mors viuentium.]

Idem in fine homiliæ de SS. martyribus Lugdunenſibus, Epipodio & Alexandro.] Dimicauerunt patres noſtri contra aſperrimos dolores, nos è contrario dimicemus contra molliſſimas voluptates. Vicerunt illi tormenta flammarum, nos vincamus ignea tela vitiorum. Illi calcato diabolo retulerunt ſpolia de morte, nos caueamus ne Chriſtum ſpoliemus in paupere. Illi per virtutem fidei expenſi ſunt in hoſtiam fidei, nos obſeruemus ne quis noſtrum ſpolietur per vulnus peccati, & victima efficiatur inimici. Illi mortui ſunt in pœna exterioribus in membris, & nos habemus quod occidamus in nobis. Ac ſic illuſtrium bellatorum pugnas, priuata cum paſſionibus noſtris congreſſione meditemur. Nam quia eſſe nouimus ſine perſecutore bellum, poteſt dare Deus & ſine cruore martyrium]

9. Non multum ab Eucherij æuo aberat S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, imo iuxta eos qui vnicum agnoſcunt Eucherium Lugdunenſem Antiſtitem, σύγχρονοι fuere, vt alibi eſt diſputatum. Is homil. 45. profitetur, ſe quod hic vrgemus, fuiſſe

frequen

frequenter conteſtatum. [Frequenter (*inquit*) dixi-
mus, Chriſtiani perſecutionem patiuntur. mundus “
iſte totus in maligno poſitus eſt, aduerſarius noſter “
diabolus regnat in mundum,& nos putamus, quòd “
non patiamur perſecutionem? Quæ enim res non “
perſequitur Chriſtianum? miramur ſi nos perſe- “
quuntur alij? Si Chriſto ſeruire voluerimus, qui eſt “
omnium vita, & parentes noſtri nos perſequuntur: “
Quicunque diſſimilis eſt noſtri, perſequitur nos, & “
odio nos habet: & miramur ſi alij nos perſequun- “
tur, cum ipſum corpus noſtrum nos perſequatur?Si “
comedero paululum, & corpuſculum robuſtum “
fuerit, ſanitas corporis mei, perſequitur animam. “
Quocunque me vertero, perſecutio mihi eſt: Si “
videro mulierem,oculus meus me perſequitur:cupit “
interficere caro animam meam.Si videro diuitias,ſi “
aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones; quodcunque “
videro & deſiderauero, hoc perſequitur animam “
meam. Non putemus effuſionem ſanguinis tantùm “
eſſe martyrium. Semper ergo martyrium eſt. Ado- “
leſcentiam libido carnis perſequitur: Vult occidere, “
& effundere ſanguinem animæ. Sed quando pericli- “
tatur anima tua,& in grandi periculo eſt conſtituta, “
tunc oportet ieiuniis, & orationibus in dominum “
noſtrum Ieſum Chriſtum animum firmiter ſtare,& “
non conſentiamus morti. Si ergo ſunt martyria in “
pacis tempore,ſunt & negationes.Nemo ergo dicat “
non eſſe martyrium: & martyrium eſt, & negatio “
eſt.Ego hodie, qui videor eſſe monachus, ſi rupero “
propoſitum meum, Chriſtum negaui. Et ſi in pace “
Chriſtum nego,in perſecutione quid facerem? Si “
dum non torqueor,nec exuror, denego,ſi torquerer, “
& exurerer,quid facerem?Quæ enim plaga eſt, quæ “

« debeat ab amore Chriſti ſeparare? Quid enim dici« tur tibi, hoc eſt, incendio ardebas, in equuleo pen« debas, propter me torquebaris: & dicis non potui « ſuſtinere tormenta? Quomodo ſuſtinuit Petrus? « quomodo Paulus? Quomodo martyres cæteri ſuſti« nuerunt, & habuerunt corpora ſicut tu habes? ô « monache, qui ieiunium fugis, putas te ignẽ fugere? « qui ebrietati conſentis, credis te euadere aëreum « ſerpentem? Hoc ergo vobis dico, fratres: quoniam « ſunt omni tempore martyria, ſunt & præuaricatio« nes.] Hæc, totidem verbis illata ſunt in ſermonem 60. Pſeudo Auguſtini ad fratres in eremo.

10. Tradit eandem doctrinam ac inſigni exemplo illuſtrat S. Gregorius hom. 35. in Euang. quam in S. Mamantis martyris die natali ac templo habitam, graui ad patientiam adhortatione obſignat, occaſione accepta ex S. Mamantis exemplo, quem à pueritia ad ſenectutem vſque, longum patientiæ martyrium duxiſſe, tandémque per ſanguinis profuſionem, illud fœliciter conſummaſſe, Eccleſiaſticæ tabulæ produnt. Ad ſtrenuam ergo S. Martyris imitationem, & martyrij captationem, in alta licet Eccleſiæ pace, ſuos in hunc modum prouocat, « S. Gregorius.] Quia natalem martyris hodierna die « colimus, fratres mei, nequaquam nos à virtute eius « patientiæ exiſtimare extraneos debemus. Si enim « adiuuante nos Domino virtutem patientiæ ſeruare « contendimus; & in pace Eccleſiæ viuimus, & ta« men martyrij palmam tenemus. Duo quippe ſunt « martyrij genera: vnum in mente, aliud in men« te ſimul, & actione. Itaque eſſe martyres poſſu« mus, etiamſi nullo percutientium ferro trucide« mur. Mori quippe à perſequente, martyrium in

aperto

aperto opere eſt. Ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione: Nam quia duo ſunt martyrij genera; vnum in occulto opere, aliud in publico, teſtatur veritas, quæ Zebedei filios, requirit dicens: poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Cui cum protinus reſponderent, poſſumus; illico Dominus reſpondit, dicens, calicem quidem meum bibetis. Quid enim per calicem, niſi dolorem paſſionis accipimus? De quo aliàs dicit: pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Et Zebedei filij, id eſt Iacobus, & Ioannes, non vterque per martyrium occubuit; & tamen quòd vterque calicem biberet, audiuit. Ioannes namque nequaquam per martyrium vitam finiuit, ſed tamen martyr extitit: quia paſſionem, quam non ſuſcepit in corpore, ſeruauit in mente. Et nos ergo hoc exemplo ſine ferro eſſe poſſumus, martyres, ſi patientiam veraciter in animo cuſtodimus.]

Hæc generatim dicta, exemplum Stephani Abbatis à S. Gregorio mox adductum, maximè illuſtrat. Erat vt ait, ſancti Abbatis lingua ruſtica, ſed docta vita: præſertim verò patientiæ intenſiſſimo amore flagrabat. Itaque in tribulationis camino diu excoctus, tandem ſanctorum Angelorum qui ſe aſpectabiles præbuerunt, numeroſa militia ſtipatus, puriſſimam animam efflauit. [Quibus hunc credamus, (ait S. Gregorius,) niſi ſanctis martyribus ſociatum, quem atteſtantibus corporeis quoque oculis, à beatis ſpiritibus conſtat eſſe ſuſceptum? Nullo iſte gladio percuſſus occubuit, tamen coronam patientiæ, quam in mente tenuit, in egreſſione percepit. Probamus quotidie verum

eſſe,

" eſſe, quod ante nos dictum eſt, quia ſancta Eccle-
" ſia electorum floribus plena, habet in pace lilia,
" in bello roſas.] Dixerant id ante S. Gregorium S. Cyprianus epiſt. 9. S.Hieronymus epiſt.27.S.Hilarius Arelat.in D.Honorati panegyrico, S.Auguſtin. ſerm. 37. de Sanctis, & ſerm.de S. Laurentio, qui eſt 37.de diuerſis. Poſt Gregorium verò idem vſurpauit Beda Prouerb. 31.

11. Vſum voluntariæ flagellationis,ac(vt paſsim loquimur,) diſciplinarum, inducere in vſum monachorum ſatagebat Petrus Damiani,obſiſtente Petro cerebroſo, nominis ſui monacho. Eum Petrus Damiani lib.6. epiſto. 27. cum aliis ex capitibus corri-
" pit, tum nominatim ex eo quod id tormenti pro
" Christo ſubire, ſit martyrum ſorte cenſeri. [Dum
" manus carnificis nunc ab infligendo, martyribus
" verbere ceſſat,quid obeſt ſi ſancta deuotio,ipſa ſibi-
" met vnde ſanctis martyribus particeps fieri merea-
" tur,exhibeat.?] Idem optimè ſerm.1.de S. Apolli-
" nare in ipſa clauſula.] Quiſquis gaudes fortiter
" egiſſe martyres Chriſti, corripe & ipſe arma inter
" milites Chriſti.Deſunt exteriùs hoſtes? verte manus
" in te, & multos ſeditioſos inuenies ciues. Doma ſu-
" perbiam, iugula iracundiam, extingue libidinem,
" reprime auaritiam; occide inuidiam: & vt breuiter
" cum Apoſtolo cuncta complectar; crucifige carnem
" tuam cum vitiis,& concupiſcentiis. Hoc eſt fortiter
" agere, hoc eſt viriliter dimicare. Nam quid iuuat ſi
" circa vallum te non obſideant acies perſequētium,
" & intra vrbis mœnia graſſetur barbaries vitiorum?
" Vis autem adhuc apertiùs diſcere, qualiter in pace
" ſanctæ Eccleſiæ valeas martyrium inuenire? Audi
" attentè,intellige diligenter.cor vigilet, oculus non

dormi

dormitet. Quod enim dico breuiſſimũ eſt. Aſcende "
igitur tribunal mentis, & temetipſum pertrahe ad "
iudicium quæſtionis: cogitatio accuſet, animus "
iudicet, pœnitens conſcientia velut carnifex feriat, "
lachrymarum riuus velut vulnus erumpat. Sic ſic "
per martyrij ſimilitudinem, ad veram peruenies "
martyrum dignitatem.]

Tandem in calce ſermonis quo S. Barbatianum Confeſſorem exornauit, negat obtendendum eſſe remiſſioni noſtræ defectum tyrannorum, & perſecutionum, cum fas ſit vnicuique, martyrij in ſe, nec inanem formam exprimere. Itaque ſic concludit. [Nemo ergo dicat quod illi ſolummodò cœle- "
ſtibus digni præmijs habeantur, qui perſecutorum "
gladiis pro Chriſti nomine feriuntur. Concluſit "
Deus omnem noſtræ tergiuerſationis aditum, ob- "
ſtruxit omne excuſationis humanæ confugium. "
Ecce iam non valemus, cum beato Apollinare pro "
Deo mortem ſubire, poſſumus ſaltem cum beato "
Barbatiano vitam Deo placentem ducere. Magnum "
quippe eſt mori pro Chriſto, ſed non eſt inferius "
viuere Chriſto. Vtrumque enim in ſtatera Paulus "
æqua lance pendebat, cum diceret: Nemo enim no- "
ſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur; ſiue enim "
viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur, Do- "
mino morimur. Siue ergo viuimus, ſiue morimur, "
Domini ſumus. Quiſquis igitur amat martyrium, "
exhibeat ſe martyrio dignum, & martyrij conſe- "
quetur proculdubio præmium. Non poteſt ſangui- "
nem fundere; poteſt ſemetipſum pœnitentiæ telo "
percutere: & in cordis contritione mactare. Præ- "
paretur ad feriendum iugulus: non deerit remune- "
rator, etiam ſi defuerit gladius. Deeſt carnifex, "

qui

„ qui ceruicem exteriùs feriat : adeſt iudex qui bonæ
„ voluntatis præmium reddat.]

Richardus Victorinus cap. ſuo 20. in Cant. exponens quorſum genæ ſponſæ, fragmini mali punici ſint collatæ, non integro malo, ait id factum, quia nulli pij, præ Chriſto, plenè ac integrè paſſi, cenſendi ſunt. Ideóque imperfectum ſuum videntes, ſibíque vileſcentes, pro exilitate paſſionum præ Chriſto, in adimplendis iis quæ deſunt, ſtrenuè laborare, & magno flagrare deſiderio moriendi pro dilecto: Hanc eſſe vnicuique eorum
„ ſummam votorum.[Quod ſi (*inquit*) non conceditur in corpore, facit ſibi martyrium in mente.
„ Mortificat carnales appetitus, propriam voluntatem, vitia cordis, prauos mores, Luctatur cum
„ propria carne, & cum inimico indeſinenter eam
„ impugnante. Martyrium quoque abſtinentiæ, inuiſibiliter habet in mente, dum reprimit oblecta-
„ menta terrena cordis, & motus ſenſualitatis;dum
„ renuit omnes conſolationes, quæ carnaliter delectant. Spiritualiter patitur, dum frigitur in men-
„ tis ſartagine zelo animarum ; dum cruciatur de
„ contemptu iuſtitiæ, de præualente malorum iniquitate.Martyrium quoque compaſſionis obtinet,
„ dum affligitur pro peccantibus, dum compatitur
„ infirmantibus, dum condeſcendit quacunque neceſſitate laborantibus.]

Hoc *martyrium cordis*, (ita enim appellat,) eſſe martyrio corporis anteponendum, tanquam præcellentius, egregiè docuit Gulielmus Pariſ. L. de legibus c. 28. *ſub finem.* Cui mea quidem ſententia ſuppar, vel eo etiam poſterior fuit, qui paſſim Idiota nominatur,& perperam ſub annum Chriſti

octingen

octingenteſimum vel nongenteſimum refertur, vt à quibuſdam factum, quos noſtra ad integram eius editionem diſquiſitio, repellit. Is in libello contemplat de vera patientia c. 10. perſpicuè agnoſcit incruenta hæc piæ perpeſſionis martyria: Ait enim. [Sine ferro & flammis, martyres eſſe « poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter con- « ſeruemus.] Quæ verba apud Laurentium quoque « Iuſtinianum leguntur in ligno vitæ tract. de patien- « tia c. 2. ea tantum acceſſionè præmiſſa verbis iam relatis. *Patientia hominem martyrem facit.* Nec diſſimilia in eandem ſententiam proſtant apud S. Gregorium homil. 35. in Euang. & apud Iſidorum 7. Orig. c. 11. & apud Bernardum ſerm. 40. de modo benè viuendi, Bonauenturam in Pſal. 118. cuius verba de triplici martyrio abſque ſanguine, quorum vnum ſit martyrium patientiæ, referam infra ex Bernardi ſententiis. Quid quod in Marci Papæ decreto apud Alphonſum Piſanum l. 3. Concilij Nicæni, diſſimilitudines morum ſupplere perſecutorum ſæuitiam, diſertè traditur? Abſtergat faſtidium ex ingeminatione locorum plerunque affinium, pia cantillatio hominis piiſſimi, Thomæ Kempenſis. Eius hæc eſt rythmica oratio, in ſpirituali cantico de patientia ſeruanda.

Aduerſa mundi tolera,
Pro Chriſti nomine:
Plus nocent ſæpè proſpera
Cum leni flamine.
Cum à multis moleſtaris,
Nihil perdis, ſed lucraris:
Patiendo promereris:

" *Multa bona conſequeris.*
" *Nam deum honorificas,*
" *Et Angelos lætificas:*
" *Coronam tuam duplicas,*
" *Et proximos ædificas.*
" *Labor paruus, & breuis vita;*
" *Merces grandis eſt, quies infinita;*
" *Totiens martyr Dei efficeris,*
" *Quotiens pro Deo pœnam pateris.*]

CAPVT II.

De martyrio patientiæ in morbo noſtro, & noſtrorum morbo ac funere.

1. QVæ de patientiæ martyrio hactenus propoſita à nobis ſunt, ad vniuerſam patientiæ materiam pertinent. Nunc ad ſpecialia quædam aſpera, delabendum eſt, quorum perpeſſionem SS. Patres, martyrij appellatione cohoneſtarunt. Inter quæ primatum tenere videtur patientia in morbo, quæ eo operoſior eſt, quo ſibi quiſque, eſt coniunctior; nec difficilè pellem pro pelle, & vniuerſa quæ habet, pro anima ſeu vita ſua, eiúſque non incommodo ſtatu confert. Vt proinde non immeritò patiens hac in parte perpeſſio, præſertim in morbo grauiore aut diuturniore, ad martyrij decus referatur à Patribus

Patiens morbi perpeſſio, admodùm ardua, ideóque ad martyrium ſpectat

Agmen ducat S. Chryſoſtomus, qui arduita-

tem patientiæ in morbo, cum aliis locis, tum ex inſtituto epiſto. 4. demonſtrans, frequenter confirmat, eam ad martyrium pertinere. Quam in rem aſſumere ſolet Iobi exemplum: quem vt per ſe perſpicuum ſtatuit, omnino eſſe martyribus accenſendum: & cum maturus æui, nec gladio metente, ſed deficientis naturæ vitio è viuis exceſſerit, non niſi patientiæ martyr fuit; eo præſertim ex capite, quod cum fœdiſſimo, & vniuerſam corporis habitudinem peſſundante morbo conflictatus, patientiſſimè tulerit. Quam illi fuiſſe difficillimam inter omnes quas ſubiuit, patiendi materiam, latè ea quam dixi epiſtola diſputat S. Chryſoſtomus. Itaque intrepidè hom. 25. ad pop. vel homil. 1. in 2. ad Cor. præfatus tantam eſſe martyrum in atrociſſimis ſuppliciis voluptatem, quanta neque dici poteſt; omnéſque animans ad generosè patiendum ob Chriſti amorem, tacitam obiectionem, quod nunc martyrij tempus non ſit, ac proinde deeſſe videatur paſſionum materia, ita præcludit. [Quid ais, non adeſt, martyrij tempus? Nunquam profectò hoc abeſt ſed ante noſtros ſemper eſt oculos, ſi vigilemus. Non enim in ligno ſuſpendi, ſolùm hoc, martyrem facit: Nam ſi ſic eſſet, extra tales coronatos Iob poneretur. Nec enim ante tribunal fuit conſtitutus, nec iudicis vocem audiuit, non vidit carnificem, neque ſuſpenſus in ligno, vel ſublimis poſitus circa latera laniatus eſt: attamen multis martyribus grauiora paſſus eſt: & illorum ſuccedentium ſibi nuntiorum voces omni plaga ſæuiùs percutiebant, & eum vndique pungebant, & innumeris tortoribus acerbiùs vermium illorum ora

" eum vndique corrodebant. Cui non itaque dignus
" hic ſit martyri comparari? Innumeris equidem.
" Etenim per omnia pugnabat, & per omnia coró-
" nabatur, per pecunias, per filios, per corpus, per
" vxorem, per amicos, per inimicos, per ſeruos,
" (nam hi in ipſius faciem inſpuebant) per famem,
" per cibos, per dolores, per fœtorem, per hæc in-
" quàm, non vni, vel duobus, vel tribus, ſed infi-
" nitis erat martyribus comparabilis. Nam præterea
" quæ dicta ſunt, tempus quoque multam eius co-
" ronis affert acceſſionem, quod ſcilicet ante le-
" gem, ante gratiam, hæc paſſus ſit, & ad menſes
" quidem multos, & omnia cum exceſſu, & omnia
" ſimul ei mala ingruerint, & hoc, cùm eorum
" quódque per ſe foret intolerabile. Nam multi qui-
" dem plagas ſuſtinuerunt, pecuniarum verò iactu-
" ram non tulerunt: Quin & pro eis, flagris cædi
" maluerunt, & innumera mala pati, quàm earum
" aliquid amittere; & maior eis eſt viſa plaga, pecu-
" niarum iactura. Itaque rurſum & hic eſt alius
" martyrij modus, harum perditionem generosè
" ferenti.]

2. Non is ſum, qui ſancto viro refragari ſuſti-
neam: ſed ipſemet eodem loco, tantum pecuniæ
ſtudium ſupra carnis curam, non niſi ex corrupto
illorum pecuniæ diſcolarum ſenſu eſſe profectum;
ſecundùm naturam autem rem ſpectando, potiorem
cuiuis eſſe bonum carnis ſtatum, diſertè conteſta-
" tur, verbis illis. [Siue quis infinitas amittat poſſeſ-
" ſiones, ſiue filios, ſiue quodcunque, hoc eſt omnibus
" ad doloris rationem imperioſius. Pellem enim pro
" pelle inquit, & omnia quæ homo habet, dabit pro
" anima ſua. Et nihil poteſt eſſe doloribus grauius.]

Itaque

Itaque tantò illuſtrius fuit patientiæ martyrium quod ex hoc capite perpeſſus eſt S. Iob. quantò corpus illi intimius erat, quàm res externæ quæcunque: ac proinde quanto acerbiorem doloris morſum infigit corporis vexatio, quàm fortunarum aut bonorum quorumuis externorum euerſio. Collaudat ex hoc capite *iſtam* vt vocat *adamãtinam animam infractámque & æneam mentem,* idem Chryſoſtomus homil. 8.in ad Philipp. morbi grauitatem cum Athletæ conſtantia certantem egregiè deſcribens. Cum martyribus item ex hoc capite confertur, & morbi eius grauitas præclarè exprimitur apud autorem latinum homiliæ de Beato Iob, quæ eiuſdem Chryſoſtomi homiliis de Iobi patientia, alibi ſubnectitur. Iobo in patientiæ huius martyrio, Lazarum adiungit idem Chryſoſtomus in pſal. 127. confirmans hanc vnam eſſe ex viis Domini, quibus inſiſtentes qui timent Dominum, ad immarceſſibilem coronam pertingunt. [In ſinu Abrahæ *inquit*, receptus eſt, qui mortuo nihilo erat meliùs affectus, ſed planè erat iners, & inutilis, in diuitis veſtibulo proiectus: & cum patriarcha, qui tot, & tantas res præclarè geſſerat, coronabatur; & victor renunciabatur, & ſinu illius fruebatur, qui nec eleemoſynam fecerat, nec ei cui iniuriç fiebãt manum prębuerat, non hoſpites exceperat, nec aliquid aliud oſtendere poterat; ſed tantùm in omnibus Deo gratias egerat, & præclaram patientiæ coronam retulerat. Magna enim res eſt gratiarum actio & philoſophia, quæ tot & tantis malis exercetur: idque factum, eſt longè omnium maximum. Vnde etiam Iob coronatus eſt, & dicebat diabolus: pellem pro pelle, & omnia quæ

 homo

" homo habet, dabit pro anima ſua, ſed immitte
" manum tuam, & tange carnem eius. Non eſt enim
" parum, dolore affectam refrænare animam, ad hoc
" vt nihil peccet. Hoc eſt cum martyrio conferen-
" dum, hoc eſt bonorum colophon. Et tu ergo, ô di-
" lecte, cùm te ſæpè vel morbus, vel febres, vel dolo-
" res inuadunt, cogente te cruciatu dicere aliquid
" blaſphemum, ſi te retinueris, & deum gloria, &
" honore affeceris, eandem mercedem accipies. &c.
" Fer ergo forti, & generoſo animo quæ accidunt.
" Hoc enim eſt tibi martyrium. Non enim eum qui
" ſacrificare iubetur, non ſacrificare, ſed potius dila-
" niari, & excarnificari quàm hoc facere, ſolum facit
" martyrium: ſed etiam cum dolor impellit ad blaſ-
" phemandum, toleranter potiùs ferre laborem ſta-
" tuere, & nihil turpe, & inhoneſtum dicere, facit
" martyrem. Iob enim non ideò fuit coronatus, quod
" ſacrificare iuſſus non ſacrificauerit, ſed quod do-
" lores, & calamitates forti animo perpeſſus ſit.
" Quin etiam Paulus propterea victor renunciatus
" eſt; propter flagella, propter afflictiones, propter
" alia quæ ſuſtinuit cum gratiarum actione.]

Itémque ob non quæſitam malis artibus ſanitatem.

3. Aliam rationem ſtabiliendi huius in morbis martyrij, init orat. de valetudine aduerſa, quæ eſt 4. inter latinè primùm editas à Cromero. Ibi in eos conclamans, qui præ morbi impatientia curationem à ſatana per incantationes, & maleficium magicum petunt, grauiſſimè tradit, non minori ſtudio refugiendam eſſe Chriſtiano nefariam illam ſanitatis

ſanitatis conciliationem, quàm impias victimas, & idoli adorationem: nec minùs pretioſam eſſe mortem quam quis oppetat ex morbo ne dæmonis ad curationem ſubſidium aduocet, quàm quæ obeatur ab homine ne ſimulachro accidat. Itaque concludit [Cum igitur in grauem morbum incideris, & multi adfuerint, qui cogant, alij quidem incantationibus, alij amuletis, alij porrò aliis quibuſdam mitigare malum, tu verò propter timorem Dei generoſo, & infracto animo tuleris, & omnia pati malueris; quàm vt eiuſmodi quidquam facere ſuſtineas, hoc tibi martyrij coronam affert. Et ne dubita: Quemadmodum enim ille tormentorum cruciatus fert fortiter, vt ne adoret ſimulachrum; ita & tu morbi dolores perfers, vt ne vllius rei ab illo indigeas, neque facias ea quæ imperat. Atenim vehementiores illi ſunt. Verùm hi diuturniores: Quocirca par exitus. Nam cum febris ardor intus moleſtus eſt, & vrit, tu verò alijs hortantibus incantationem refutas, nonne martyrij coronam induiſti? Cum enim incantatores magna cum contumelia domo eieceris, omnes qui audierint, laudabunt, & admirabuntur, dicéntque ad ſe mutuò: hic ægrotans cum innumerabiles orarent, & hortarentur quidam, & magicis quibuſdam incantationibus vti ſuaderent, non eſt aſſenſus, ſed dixit: præſtat ſic mori, quàm prodere pietatem. Quod ſi hic tantæ laudes ſunt, cogita quantas illic coronas feres, cum præſentibus angelis, & archangelis Chriſtus tranſiens manu te apprehenſum in medium theatrum illud producet, & omnibus audientibus dicet: hic homo febri correptus aliquando, cum innumeri eum horta-

" rentur, vt è febri illa euaderet, propter nomen " meum, & timorem mei, vt nulla in re offenderet, " repulit ac deſpexit eos qui ſe illo modo curaturos " recipiebant, maluítque morbo emori, quàm " beneuolentiam erga me prodere. Nam ſi eos qui " ſe potarunt, & cibarunt, & veſtiuerunt in me- " dium producit, multo magis eos, qui propter ſe " febres ſuſtinere voluerunt. Neque enim par eſt " dare panem, & veſtimentum, & morbum diutur- " num ſuſtinere; ſed longè hoc illo maius eſt: ita & " corona erit ſplendidior: Audiuiſti quæ de Lazaro " dicta ſunt, quomodo cum fame, morbo, ſolitu- " dine per omne tempus ſuum luctatus eſt, ita vt & " vitam ipſam in veſtibulo diuitis finiret, neglectus, " eſuriens, canibus eſca expoſitus. Adeò namque " corpus ipſius debilitatum erat, vt ne abigere qui- " dem poſſet canes inuadentes, & vulnera lamben- " tes. ſed tamen non quæſiuit incantatorem, non " applicauit folia, non ad magica mouit, non præſti- " giatores ad ſe vocauit, non quicquam aliud veti- " tum fecit: ſed maluit immori malis illis, quàm " exiguam prodere pietatis partem.

" Excurrit in adiuncta patientiæ Lazari, & quan- " tum in eo Deus patientiæ exemplum ſtatuerit in " tot vniuerſi corporis vexationibus, præ quibus " (quod Hippocrates de vnoquoque hominum " dixit,) totus morbus videri poterat, elegantiſſimè, " & pro more exactiſſimè; omnibuſque ſagaciter " exploratis & libratis exponit. Itaque de Chry- " ſoſtomi ſententia, Lazarus in morbo ex hoc quo- " que capite martyr fuit, quia mori maluit quàm " illicita & nefaria ad curationem remedia tentare.

4. Diligentiùs etiam ac pleniùs de martyrio in

morbi patientia incantationùmque deſpectu philoſophatur idem Chryſoſtomus orat. 5. contra Iudæos. Quod enim per ea tempora, impius vſus ſanitatem à magicis ſubſidiis petendi, latè ſerperet, & pauci Chriſtiani ex Iudæorum & ethnicorum conſuetudine, qua erant carnis ſuæ cura, ab impura illa medicandi ratione abhorrerent, paſſis eloquentiæ velis vir ſanctus in eam corruptelam concitatur, monſtrátque quàm ſit illud facinus Chriſtiano tetrum atque indignum; quantam etiam conſcientiæ lancinationem inferat, qua fodicatus homo peius afficiatur, quàm per febrem incenſiſſimam aliúdve quodcunque incommodùm corporis. E contra verò reſpuenti nefaria illa malagmata, vberrimam conſolationem quæ morbi acrimoniam planè diluat, martyrij decus, ac ſi res ferat, ſanitatem à Deo ſpondet. Plagulam ex ſuauiſſima & piiſſima oratione repræſentare, dignum eſt. [Si perduraueris pauliſper, eóſque « qui vel incantationem aliquam cauere voluerint, « vel applicariones aliquas applicare corpori, mul- « ta etiam cum contumelia tuis ex ædibus eiece- « ris, protinus ab ipſa conſcientia refrigeratio- « nem acceperis. Etiamſi millies exurat febris, a- « nima tua quouis liquore, quauis irroratione, « meliorem vtiliorémque mitigationem adducet. « Quemadmodum enim poſtquam receperis in- « cantationem, ſanúſque factus fueris, miſeriùs « affectus es iis qui febre laborant, dum tecum re- « putas peccati magnitudinem: ſic nunc quoque, « etiamſi febriciteris, innumeráque patiaris mala, « repulſis impiis illis, quouis ſano meliùs eris « affectus animo, geſtiente præ gaudio conſcien- «

"tia, ac laudante te, probantéque ac dicente, "euge euge, heus homo, Chriſti ſeruus, fidelis "vir, athleta pietatis, qui malueris moleſtiis im- "mori, quàm deſerere tuam pietatem, proximo "ſecundùm martyres loco ſtabis in illo die. Quem- "admodum enim illi præoptarunt cædi flagris, "torquerique, vt ad honorem peruenirent, ita tu "quoque hodie præoptaſti flagellari torquerique "à febri, vulneribúſque affici ne abiiceres pieta- "tem, non incantamentis, non applicaturis ac "ſpebus iſtiuſmodi ineſcatus, neque ſenſu pre- "mentium dolorum deiectus.]

" Videri poterit S. Chryſoſtomus, decus huius patientiæ detriuiſſe nonnihil, cum per eam homines non ſimpliciter martyres, ſed *proximo ſecundum martyres loco* ſtatuendos dixit. Sed nihil inde huius patientiæ ſplendori decedere, docent illa quæ ibidem poſtmodum ſubiungit, exagitans eam impietatem quæ ſitæ à dæmone per magos ſa- "nitatis. [Quàm multi frequenter optarunt martirij "coronam accipere? Hæc eſt parata martyrij coro- "na. Non enim is modò martyrium peragit, qui "iuſſus ſacrificare, potius ducit emori: verùm et- "iam, ſeruare quod iuſtum, ac ſponte propter "Deum mortem acceſſere, manifeſtum eſt mar- "tyrium. Ac vt intelligas hoc eſſe verum, recordare "quomodò Ioannes Baptiſta mortuus, ſi qua de cau- "ſa, & quamobrem, quomodo Abel. Neuter enim "horum, vel altare vidit incenſum, vel ſtatuam "poſitam, vel iuſſus fuit immolare dæmonibus: ſed "ille quidem, quia tantummodò reprehendit He- "rodem, decollatus eſt: hic verò quoniam Deum "meliori ſacrificio honorauit quàm frater, occiſus eſt.

eſt. Num igitur priuati ſunt martyrij corona? At quis hoc audeat dicere? Quandoquidem ipſum etiam mortis genus ſufficit ad omnibus perſuadendum, quòd inter primos martyres celebrantur. Quod ſi etiam diuinam ſententiam ſuper his prolatam quæris, audi quod dicit Paulus. Nam quæ ille loquitur, ſine dubio ſpiritus ſunt. Puto enim, (inquit), quod ſpiritum Dei habeam. Quid igitur hic dicit? Exorſus eſt ab Abel cum dixiſſet, quod maiorem hoſtiam Abel præ Cain obtuliſſet Deo, & propter hanc mortuus adhuc loqueretur: deinde digreſſus ad Prophetas, ac decurſa ſerie vſque ad Ioannem, dixiſſet, in occiſione gladij mortui ſunt, alij verò diſtenti ſunt: multis & diuerſis mortis generibus commemoratis, ſubiecit hoc modo: Itaque nos quoque tantam habentes circundantem nos nubem martyrum, abiecta omni ſegnicie, & tenaciter inhærente peccato, per tolerantiam curramus. Vides quòd etiam Abel appellauit martyrem, & Noe, & Abraham, & Iſaac, & Iacob? Nam & iſti propter Deum mortui ſunt. Quemadmodum (inquit Paulus, quotidie morior: Atqui non mortuus eſt, ſed propoſito tantùm perpeſſus eſt mortem. Sic & tu ſi repuleris incantamenta, veneficia, ac magicas artes, etiamſi morbo moriaris, martyr perfectus fueris, eo quòd aliis pollicentibus verbi leuationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate.]

5. Verùm ex Chryſoſtomo in hanc rem iam nimis multa, præſertim cum alij præterea ſuppetant grauiſſimi Patres quibus eadem inſederit ſententia, quóſque Chryſoſtomo ſuccinentes audire, operæpretium videatur. In primíſque S. Auguſti-

num

num qui tract. 7. in Ioannem, & optimè ſermone de Iacob & Eſau, habito in natali S. Vincentij, (eſt 44. de diuerſis,) eodem cum Chryſoſtomo ſpiritu actus, nefaria illa remedia potentiſſima oratione inſectatur: & ita quidem, vt ex Chryſoſtomo profeciſſe videri poſſit. Adſcribo clauſulam « ſermonis allegati. [Has nobis epulas exhibuerit « ſanctus Dominus Deus noſter per natalitia martyris ſui. Vincentij nomen, victoria eſt; amate autem vt vincatis, non enim deeſt perſecutio. Diabolus perſecutor eſt, nunquam deſit occaſio coronæ. Tantùm miles Chriſti intelligat pugnam, & ſciat quem vincat. Nunquid quia non te vrget hoſtis manifeſtus corporis, non vrget perſecutor occultus? Illecebris carnis, quanta ſuggerit mala? Quanta per cupiditatem? Quanta per timorem? Quibus illecebris perſuadet vt eas ad ſortilegos, ad mathematicos quando dolet caput? Qui dimittunt Deum, & eunt ad ligamenta diabolica, victi ſunt à diabolo. Contra ſi cui ſuggeſtum fuerit ſecundùm corpus, fortaſſè efficit remedia diaboli, vnde alius ſanatus eſſe dicitur, quia accepto ab illo ſacrificio ſuo, deſerit perſequi corpus quia cor obtinuit. Ergo cuicunque ſuggeſta fuerint iſta remedia ſcelerata, & dixerit; morior potius, quàm talibus remediis vtar. Si vult Deus flagellat, & liberat me, ſi nouit quia neceſſarium eſt, liberet me: ſi autem ſcit quia debeo exire de hac vita, ſiue contriſter, ſiue læter, ſequar voluntatem Domini. Ecce enim poſt paruum tempus, qua fronte excurſurus ſum ad Dominum? Non enim hoc mihi præſtant remedia diaboli, quod præſtat Deus, vitam æternam. Quare ergo damno animam, emo paucos dies

dies corpori meo? Qui hoc dicit, & non it, nec applicat cor ſuum vt faciat mala remedia, vtique vincit. Vnam rem dixi exempli gratia. Videtis certè iam quanta diabolus ſuggerit. Videtis illum certè languere, videtis anhelantem in lecto, videtis vix mouentem linguam. Laſſus iſte diabolum vincit. Multi coronati ſunt in amphitheatro pugnantes ad beſtias; multi in lecto vincentes diabolum coronantur, ac videntur non ſe mouere poſſe, & intus in corde tantas vires habent, tantam pugnam exercent: ſed vbi eſt occulta pugna, ibi occulta victoria. Quare iſta diximus fratres? Vt quando celebratis natalitia martyrum, imitemini martyres, nec putetis ideo vobis deeſſe poſſe occaſiones coronæ, quia modó deſunt tales perſecutiones. Nec modò enim deſunt quotidie perſecutiones à diabolo, ſiue per ſuggeſtionem, ſiue per moleſtias aliquas corporis. Tu tantùm ſcito te habere Imperatorem, qui iam præceſſit in cœlum: dedit tibi viam qua ſequaris, tene te ad illum. Noli cum viceris, per ſuperbiam tibi tribuere, quaſi viribus tuis luctatus fueris: ſed præſume de eo qui dedit vires vt vinceres, quia ipſe vicit ſæculum, & ſic ſemper coronaberis, & martyr hinc exies, ſi omnes tentationes diaboli ſuperaueris.]

Idem Auguſtinus breuiùs, at non minùs concinnè, vel appoſitè ad rem noſtram, ſerm. 39. de diuerſ. c.8. prolatis SS. Martyrum actis. [Ego quia mando memoriæ, de libellis miraculorum martyris, quæ in conſpectu veſtro leguntur, ante dies, lectus eſt quidam libellus, vbi quædam ægrota quæ doloribus accerrimus torquebatur, cum dixiſſet, ferre non poſſum; ait illi ipſi martyr qui ſanare, venerat,

« venerat, quid ſi martyrium duceres? Multi ergo
« ducunt martyrium in lecto: Prorſus multi. Eſt
« quædam perſecutio Satanæ, occultior & aſtu-
« tior quàm tunc fuit. Iacet fidelis in lecto; tor-
« quetur doloribus, orat, exauditur, imo non
« exauditur, ſed exercetur, ſed vt recipiatur fi-
« lius, flagellatur. Ergo cùm torquetur doloribus,
« venit linguæ tentatio, accedit ad lectum aut
« muliercula aliqua, aut vir, (Si vir dicendus eſt,)
« & dicit ægroto: fac illam ligaturam, & ſanus eris;
« adhibeatur illa præcantatio, & ſanus eris. Ille, &
« ille & ille, interroga vnde ſani facti ſunt. Non ce-
« dit, non obtemperat, non cor inclinat: certat ta-
« men. Vires non habet; & Diabolum vincit. Fit mar-
« tyr in lecto, coronante illo, qui pro illo pependit
« in ligno.]

Illuſtre exemplar martyrij patientiæ in morbo.

6. Placet hoc loco huius patientiæ in morbis, martyris exemplum, de plurimis vnum, ſed planè eximium, quódque magnum licet martyrij nomen impleat, repræſentare. Lydvvida, virgo fuit in Hollandiæ comitatu admodum pia, quæ anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio viuere deſiit: poſtquàm per annos octo ſuprà triginta, cum grauiſſimis ac vel lectu horrendis, vexationibus corporis, conflictata eſſet, cum retinendæ virginitatis cupida, vix duodennis à pleríſque ad nuptias expetita, numen exoraſſet, vt ſi alia via auertendi quod ingerebatur cõiugij non ſuppeteret, ita ſuũ corpus deformaret, nullus vt eſſet à quo de

coniugio

coniugio negotium vltra ſuſtineret. Miraculum patientiæ virginis piiſſimæ, & numeroſi exercitus morborum in vno corpuſculo vaſtando certantis, diuturnam malignitatem, Ioannes Brugmannus Ordinis minorum diffusè admodum ſcriptis prodidit, exſcriptus in Surij appendice tom. 7. & contractus à Franciſco Vebhaër, ex quo plagulas daro. [Lydunina annos nata plus minùs quindecim ex « diuturno morbo admodum deformis effecta eſt. Sed « & non multo poſt in glaciei fragmenta caſu pro- « ſtratæ, coſta vna corporis frangitur. Accerſuntur « vndequaque medici, caſſa prece, & pretio. In pe- « ctore, & ſub coſtis, innumeræ exiſtebant perpeſ- « ſiones, accedebat diriſſimum apoſtema. Iudicio « medicorum fiebant ſemper poſteriora deteriora « prioribus. Ex valida deiectione, diruptum apoſte- « ma eſt. Porrò humor noxius apoſtematis per cor- « poris membra ſe diffundens, diuerſas attulit vir- « gini ægritudines moleſtas valdè. Computreſcebant « apoſtemati vicina membra, marceſcebant propin- « qua corporis inteſtina, vermes horridiſſimi è cor- « pore emergebant tribus locis. Erant foramina illa, « magnitudine fundi ſcutellæ communis. Vermes « autem inde erumpebant quandóque centum. Non- « nunquam ducenti. Vt plurimùm ampliùs centum « quotidie, quorum aſpectus ſanè horrendus, craſ- « ſities inſtar extremæ partis fuſi vſitatioris; longitu « do qualis eſt articuli in digitis. Deinde & dextrum « brachium eius, ignis quem ſacrum vocant, vſque « ad oſſa conſumpſit. Caput eius, dolorum aculeis & « malleolis compungebatur: frontem fiſſura longa, « & lata atque flexuoſa deformabat. Mentum quo- « que ad labrum vſque fiſſum erat, & concreto ſan- «

guine

« guine tumidum ; ita vt non darè liberè eloqui non « poſſet. Oculus alter penitus cæcatus erat, alter lu- « men naturale ſine effuſione ſanguinis, nouóque « cruciatu ferre non potuit. Vomebat rubram aquam « tanta copia, vt plerunque menſe vno vas inde im- « pleri poſſet quod à duobus viris portaretur. Pul- « monis quoque & hepatis, reiiciebat particulas. « Quin & calculo, inſtar columbini oui magno, du- « riſſimè affligtabatur; ita vt ſæpiſſimè & ſenſu, & « loquela deſtitueretur. Et ne ſingulis immorer; non « erat vllum eius in corpore membrum, quod inau- « ditis non eſſet doloribus obnoxium.] Puellam hanc in tanta támque diuturna & communes patiendi fines tantopere tranſgreſſa valetudinis corporeæ clade, multos martyres tolerando ſuperaſſe ac proinde martyrem patientiæ cenſeri poſſe, nemo eat inficias.

Extenſio antedictorum ad patientiam in ſuorum morbo ac morte.

7. Nec in propriis duntaxat, ſed & in neceſſariorum morbis, ac morte, patientia, vſum periaptorum & ſuperſtitioſæ curationis deuitans, germana martyrij eſt iudice D. Chryſoſtomo homil. 8. in ad Coloſſ. [Non poteſt fieri (*inquit*) vt afflictiones ſentiat homo ille, qui in afflictionibus gratias agit. Gaudet enim animus, vtpotè qui confeſtim illuſtrem ſibi conſcientiam comparauerit; lætatur encomiis ſuis. Non poteſt autem animus illuſtris, mœſtus eſſe: Illic verò etiam cum calamitate inſtat conſcientia flagellans; at hic & coronat, & prædicat. Nihil hac lingua ſanctius eſt, quæ in aduerſis Deo

Deo gratias agit. Certè non inferior eſt lingua martyrum. Itáque pariter coronatur: Nam & aduerſus iſtam inſtat lictor, Deum per maledicentiam negare cogens; inſtat Diabolus argutis cogitationum quæſtionibus lacerans, & animi anguſtiis obtenebrans. Si ergo dolores pertulerit, & gratias egerit, martyrij coronam ſortitur. Vtpotè morbo decumbit filiolus, & tamen gratias agit Deo. Quo tortore non ſæuior eſt animi anguſtia? Attamen verbulum aliquod acerbum extorquere nequit. Moritur? Rurſus gratias agit. Fit filia Abrahæ. Nam etiam ſi non propria manu filiolum immolat, ſupra aram, tamen illum velut victimam collocat. Id quod idem eſt. Non conqueritur oblato dono. Rurſus in morbum incidit? Non applicat ſuperſtitioſa remedia; pro martyrio illi imputatur. Immolat enim filium, animi ſententia. Quid enim? Etſi nihil proſint ſuperſtioſa illa remedia, ſed ſeductio ſint, & ludibrium, ſunt tamen qui prodeſſe ſuadeant. At mauult iſta mortuum videre puerum, quàm idololatriæ locum dare.] Addenſat conſequenter quàmplurima aduerſus ſacrilegas fatuitates, appendentium collo ægrotantium puerorum nomina flùuiorum, aut amuleta ex cinere, fuligine, & ſale, per vetulam deliram adhibita ſpondentem puero ſalutem: quæ idololatriæ adiuncta eſſe demonſtrat: ac proinde mortem ſibi ſuiſve præeligere aliquem, potiùs quàm hæc vſurpet, pro martyrio habendum ſtatuit.

8. Idem homil. 3. in ad Theſſalon. inter expendendum illa Apoſtoli, *nemo moueatur in tribulationibus iſtis, ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus*; docet hoc velle Apoſtolum ſignificare, iunges in

D omni

omni Chriſtianorum vita, martyrij occaſiones ſe
« dare. [Præclarè dixit B. Paulus in hoc poſiti ſumus.
« Non dixit ſimpliciter, tentamur: ſed in hoc poſiti
« ſumus, pro eo quod eſt, ad hóc facti ſumus: hoc
« eſt opus noſtrum; hæc noſtra vita, & tu requiem
« quæris? Non inſtat lictor, latus tuum lacerans, &
« ad ſacrificandum cogens? At inſtat vehemens pecu-
« niarum, & auaritiæ cupido, oculos nobis effo-
« diens. Nullus miles pyram nobis incendit; neque
« craticulæ nos impoſuit? At corporum flamma,
« animam noſtram magis incendit, quàm illa. Non
« adeſt Rex innumera bona promittens, & ab inſti-
« tuto deflectens? At adeſt væſana gloriæ cupido,
« peius nos illo titillans. Magnum reuerà bellum,
« & admodùm magnum. Si ſobrij voluerimus eſſe,
« & vigilare, habet coronas & præſens hoc tempus.
« Audi quid Paulus dicat; repoſita eſt mihi deinceps
« corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex:
« non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui dilexe-
« runt aduentum eius.] Subiicit peculiarem illam,
martyrij cauſam, ex patientia in noſtrorum cala-
« mitate, & morbis, vel etiam obitu. [Si quando
« filium amittis, dilectum, vnigenitum, in multis
« deliciis enutritum, ſpem bonam præbentem ſe
« vnum hæreditatem tuam percepturum, ne inge-
« miſcas, ſed gratias agas Deo, eúmque glorifices
« qui illum accepit; & hactenus non eris deterior
« Abrahamo. Quemadmodum enim ille filium ſuum
« iubenti, ac poſtulanti Deo dedit, ita tu accipiente
« eo, non ingemuiſti. Graui morbo decumbit, &
« accedunt multi ad vanitatem vrgentes. Et ij qui-
« dem incantationibus, iſti amuletis, illi verò aliis
« quibuſdam ſuperſtitionibus ſolamen mali adferre

conantur:

conantur: Si propter timorem Dei fortiter, & im- «
motè tuleris, & omnia malueris perpeti, quàm «
ſuſtinere, vt aliquid quod idololatriam ſapit, fa- «
cias, hoc tibi martyrij coronam adferet. Non eſt «
quod dubites. Et quomodò, quáue ratione? Ego «
dicam: Quoniam quemadmodum martyr, dolo- «
res ex tormentis acceptos generosè tolerat, ne ſi- «
mulacrum adoret; ita tu dolores illos, qui ſunt ex «
filij morbo, toleras, ita vt nihil eorum quæ ab illo «
obueniunt, puſillanimiter depreceris, neque facias «
quæ ille videtur præcipere. Sed vehementiores «
ſunt martyrij dolores? At iſti diuturniores. Itáque «
pari fine deſinunt. Sæpenumero vehementiores «
etiam ſunt iſti. Quid enim, dic mihi, quando in- «
tus ardens fatigaris, & inflammaris, & aliis adhor- «
tantibus, tu incantationem amoues, an non mar- «
tyrij corona hoc pacto ornaberis?] «

Iob ex hoc maximè capite martyr.

9. Hæc expendenti mihi, iure omnino videtur idem Chryſoſtomus, cum varias martyrij ſpecies in vno Iobo adunatas, & conduplicatas recenſet, inde eum ſupra omnes martyres martyrem prædicare homil. 1. in 2. ad Corinth. Ex eo quoque capite martyrem Iobum ſtatuere, quod in filiorum clade, & inopino ſimul ac immaturo exitio, inuicta patientia ſteterit, deiici neſcius. Nam ſi attentè rem æſtimamus; vix vllum fuit in paterno pectore infixum acerbius telum, nec ad ſanciandam modò patientiam, ſed etiam ad exſcindendam mentis ſanitatem, magis idoneum. Quod ex paterna charitate, liberorum optima indole, & miſerabili ob-

tritione, licet coniectare. Graphicè eam calamitatem exhibet S. Chryſoſtomus epiſt. 4. Ego tantæ tragœdiæ ſenſum aliquem, decerptis nonnullis ex vno aut altero loco eiuſdem Chriſtianæ facundiæ primicerij, excitare ſatagam; quod inde, hoc in ſancto viro ex ſuorum obitu patientiæ martyrium, ſit apertum futurum. Nam vt ipſe meis verbis ad hoc aggrediar, adduci non poſſum: non tam quod panaceam hac parte 1. exhibiturum receperim, quàm quod ipſe optimus dicendi magiſter S. Chryſoſtomus, aliquid argumento dignum deſpondeat. Quare & inſtituto congruenter, & ad declinationem ruboris quo ſuffundenda eſſet calamitati impar oratio, illum adducam ex calce homiliæ 1. de « patientia Iob. [Quomodò talem tantámque tra« gœdiam, explicauero, non ſatis noui; & quidem « quorumcúnque præconiorum laudúmque magni« tudinem in lingua ferens. Qui enim ſecundùm « carnem parentes ſunt, cum natum vltimo ſpiritu « laborantem habuerint, circumſedent, vltimáque « eius audiunt verba, manus circumpalpant, adhor« tationes, fomentáque alia de induſtria adhibent, « os deoſculantur vltimo parentum oſculo. Exinde « cum reddiderit puer animam, quemadmodum de« ſiderant, iubent parentes officia adhibere. Manus « componunt, oculos claudunt, caput directò ſta« tuunt, pedes reducunt, lauant, ſepulchróque con« digno dignis funeralibus condunt, atque propriam « calamitatem ſolantur. Sed quid ſimile generoſo « huic pugili? Abiit ad domum funeſtam; quæ ipſis « vna & eadem hora, domus, & ſepulchrum; con« uiuium, & tumulus; feſtum, & fletus facta eſt. « Circumfodit, & quæſiuit liberorum membra, inuenítque

uenítque vinum, & ſanguinem, panem, & ma- "
num, & puluerem, & excepit quandóque quidem "
manum, quandoquepedem, quandóque caput cum "
puluerulenta materia, quam abſtrahebat cum lapi- "
dibus, cum lignis: Et quandóque quidem ventris, "
quandóque inteſtinorum partem, viſcera cum ma- "
cerie confuſa. Sedit autem cœlo celſior ille luctator, "
diſperſa liberorum membra legens: Sedit compo- "
nens membra, ad membra; manus ad brachium "
aptans; caput ad humeros; genu ad femur. Neque "
vna erat illius caſus calamitas, ſed diabolica opera- "
tione, & tyrannide, omnem ſermonem excedens "
ſubuerſio. Sedit itáque verus fortíſque adamas, bea- "
tus Iob, diſcernens liberorum ſuorum membra, ca- "
uénſque ne fortè in maſculinis membris fœminea "
coniungat. O beatam, profectóque generoſam, fœli- "
cémqueanimam, celebrem Angelorum famam ſu- "
perantem. Quare? Quia in omnibus quæ ſuperue- "
nerunt ei, non peccauit Iob in conſpectu Domini, "
ſed pro his omnibus perfectam gratiarum actionem "
ſacrificij loco obtulit, dicens: Sit nomen Domini "
benedictum.] "

10. Iure itaque, ſpectata tam immenſa mole cruciatuum, S. Chryſoſtomus, Iobum pluſquàm martyrem pronunciauit. Iure ex hoc maximè capite, Iſidorus Pelus. l. 3. epiſt. 106. Beatum Iob *vniuerſam Diaboli potentiam concidiſſe, & ipſius ſagittas conſumpſiſſe, pharetrámque reddidiſſe inanem*, pronunciat. Addítque Tertullianus l. de patient. feretrum in eo diuinitus extructum diabolo. Cuius enim conſtantiam non labefactet, animúmque non frangat tanta liberorum calamitas, quam tamen vir ſanctiſſimus inconcuſſo animi robore excepit, patientiæ ſe in-

uictum pugilem, & ſupra martyrem approbans? Quare meritiſſimò S. Chryſoſtomus homil. 5. de patientia Iob parentibus orbitatem ſuam non ſuſtinentibus, & liberorum immaturum obitum immedicabiliter lamentantibus, certiſſimum ac fortiſſimum leuamen, ex Iobi tanta patientia in ſuorum obitu petit, & coronas ex ea tolerantia apud Deum « comparatas, conſiderandas obijcit. [Cogita *inquit* « huius iuſti tormenta & videbis, atque illicò exur« ges, paruipendéſque propriam calamitatem. Si « autem vis bellum a natura, vehementia multa, mul« táque violentia generoſo huic illatum audire, ad « ea quæ dico, aduerte: Decem amiſit liberos, decem « repente, decem ipſo in ætatis flore, decem multa « fultos virtute non communi lege naturæ, ſed nece « violenta ac miſeranda. Quiſnam poterit talem cala« mitatem explicare? Quis vel ferreus homo? Quis « adamas tot mala pertulerit? Eſt nemo: Nam ſi « horum quodlibet, intolerabile per ſe eſt, cogita cum « ſimul vniuerſa coïuerunt, qualem excitauerunt tu« multum. Cum filium amiſeris, filiámue, refuge ad « iuſtum illum, ſolatiúmque tibi prorſus ſummum « inuenies. Memento eius in miſeranda illa liberorum « calamitate, verborúmque mille coronis, anguſtiæ « ſanctum id caput ornauerunt. Cogita calamitatis « magnitudinem nouúmque id naufragium, extr« neámque illam inopinatam tragædiam. Tu quidem « fortaſsè vnum amittes, vel ſecundum, vel tertium: « Ille verò tot natos, natáſque: & qui multis abun« dabat liberis, repentè liberis orbatus eſt, neque ſibi « ſenſim viſcera carpſerunt, ſed omnis repentè fructus « arreptus eſt: Neque aſſiſtenti, aſſidentiúe quò vel « vltima audiens verba, vllum haberet funeris tam

acerbi

acerbi ſolatium, ſed repentè præter ſpem omnem, „ horum alterum lugubre, alterum horribile ſuperauit. „ Non enim mors importuna ſolùm, ſed & in „ ætatis vigore, omnes conſiſtere, omnes virtute præſtare, „ amabiles omnes ſimul, omnéſque ſexus vtriuſque „ eſſe, non communi lege naturæ, poſt talem „ tantámque aliorum bonorum iacturam: quòd nul„lius mali nec ſibi nec illis erat conſcius, quò ejuſ„modi pateretur. Horum quodque potuerat & à ſe„metipſo turbare. Cum verò vnà concurrere appa„ruerunt, cogita fluctuum altitudo quanta fuerit; „ quanta hyemis procellæ illius exuberrima fluctua„tio. Miranda quidem hæc, vel auditu ſolùm accepta. „ Si autem ſolerti eadem diligentíque indagine perſ„crutatus fueris, tunc maius admodùm eſſe proſpi„cies. Cogita enim quod non quidem diabolus ſur„ripuit, dimidiúmque reliquit, ſed prorſus atque om„nino fructum omnem legit, arborémque non de„iecit: Omne ſuperinduxit mare cum fluctibus, cym„bamque nõ demerſit: Omnem euacuauit virtutem, „ turrémque vel quatere nequiuit, ſed ſtabat aſſiduè „ ictus miniméque nutans. Multitudo telorum fere„batur, neque territus erat: magis autem mittebantur „ quidem, non autem vulnerabant. Excogita quantum „ eſt tot liberis orbari. Quid enim? ſatíſne fuit lachry„mis vti? Nonne in ipſo ætatis flore, nonne multa „ virtute præſtantes, atque modo vltionis tam acerbo „ finiuere vitam? Nonne poſt tot plagas nouiſſima „ hæc illata eſt? Num pietatis amore feruebat, qui „ genuerat? Nonne abeuntes tot, optabiles? Cum enim „ malos quis amittit liberos, paſſione quidem mor„detur, ſed acerbitate, vehementiaque minori: nam „ decedentium malitia, acerbiorem non ſinit eſſe do„

" lorem:cum autem virtute præſtiterint, permanens " vulnus fit,non modò à natura,ſed à virtutis honeſto, " deſiderium faciente. Cæterùm cum partim ſurripi- " untur, eadem paſſio aliquod ſolutiam facit:Nam & " reliqui qui ſunt, abeuntium triſtitiam obumbrant. " Cùm verò funditùs obierit vniuerſus chorus, ad " quemnam reſpicere poterit, qui in multis filiis, re- " pentè filiis orbatus?Si enim tribus aut quinque die- " bus quibuſdam decedentibus, mulieres & proximi " quique id maximè plorant, quòd citò repentéque " ab illorum moriens raptus eſt oculis; multò magis " hic doluerit, cui non diebus duobus, tribúſue, aut " vno, ſed hora yna ſic omnes ſurripiuntur. Cogita " tum: namque tempore, malum non iam valdè " fuerit intolerabile, expectatione id leue fortaſsè de " facili faciente:contra verò ſpem quid contingere,ac " repentè fieri, intolerabile, omnémque ſermonem " ſuperat.Non ipſos enim lectulo expirantes,animam " reddentes vidit, ſed domo contumulatos omnes. " Cogita igitur quis erat ille maceriam effodiens, & " nunc quidem lapidem, nunc filij membrum retra- " hens, & manum videns adhuc phialam tenentem, " dexterámque alteram recumbentem cyatho, & " ipſam corpore corruptam filiam, capite diſſipato, " naſóque contrito, oculis extinctis, cerebróque diſ- " perſo, vnlnerúmque varietate non permittente fa- " ciei deſideratæ formam noſſe. Confuſi eſtis hæc au- " dientes,& lachrymas funditis. Cogitate igitur,quis " ille erat hæc videns.Si enim poſt tantum temporis, " ſine lacrymis nequiuimus, tragædiæ iſtiuſmodi " ferre auditum; ídque alienam audientes calamita- " tem; qualis ille adamas fuit,coram hæc accipiens?] " Haud dubiè pluſquàm martyr, vt S. Chryſoſtomi

voces

voces iterem?Non enim habeo commodiores, quibus immanem molem doloris Iobum opprimentis, vtcunque explicem. Oppreſſum dixi, pro vſu ac more cæterorum in oneribus longè leuioribus.Nam ipſe quidem illabente tanto pondere, inconcuſſus ſtetit;nec facto, ner verbo, nec ſigno quopiam, temerauit patientiam. Fuit ergo,fuit planè Beatus Iob patientiæ martyr,cum ob proprij corporis vexationem grauiſſimam patienter exceptam; tum etiam ob conſtanter retentam in tam luctuoſa amantiſſimæ ſobolis obtritione,æquanimitatem, quæ in aliis ad longè leuiores caſus,miſerè alliſa conteritur.

CAPVT III.

Religioſæ vitæ Martyrium.

1. IN hoc argumento, ſplendidiſſimè pro more verſatus eſt ſapientiſſimus Pater Hieronimus Platus,luculẽto opere de bono ſtatus religioſi,cuius ſingulæ paginæ, tantam in legentium pectoribus fecere ſementem pietatis,vt illatam poſtmodum in horreum Domini meſſem, nulla menſura definiat. Eius operis lib. 2.c. 12. autor qua ſolet ſacræ eruditionis vbertate & orationis nitela,maſcula & graui, religioſæ vitæ martyrium deſcribit;vt niſi tractationis ſuſceptæ hiatus alioqui interponendus, ad hoc denuò verſandum adigeret,ſuperuacaneum, imo inconſultum videri poſſet,eius veſtigia relegere. Inſtituti tamen neceſſitate aliqua vrgente, auſim in hoc veſtibulo meam facere petitionem à Gregorio Nyſſeno adhibitam initio orationis aduerſus fœneratores, quòd argumentum Baſilius magnus ante

D 5 verſa

« verſarat. [Rogo omnes quicunque audituri ſunt,
« vt me audaciæ & inſipientiæ non condemnent,
« quod cum vir diſertus & in rebus ad diuinam philo-
« ſophiam ſpectantibus magni nominis, & in ſomni
« dicendi genere admodùm exercitatus in hac ipſa
« materia præclarè verſatus ſit,ego in eandem arenam
« deſcenderim, iunctis boum aut aſinorum paribus,
« quibus contendam,cum equis victoriæ corona redi-
« mitis.Semper enim cum grandioribus viſuntur non-
« nulla humiliora. Nam onerariam nauem, quæque
« millenis mercibus referta hinc inde impellitur, ſe-
« quitur exigua quędam cymbula,idem ſecans æquor;
« viriſque athletico more, & ritu depugnantibus,
« eadem lege digladiantur,& pueri. Hæc igitur noſtra
« ſit petitio.]

Religioſus ſtatus, martyrium vitæ totius.

2. Eſſe igitur religioſum ſtatum, longum quoddam & incruentum martyrium,vt grauiſſimi Patres diſertè appellant,cum vniuersè & generatim, tum ſingillatim, iis expenſis, quæ religioſi ſtatus veluti ſubſtantiam conſtituunt,demonſtrarè non erit difficile.Quod enim vniuerſa complexione exercitationum,quas religioſus ſtatus infert,accuratè obeunda, multæ ac aditu aſperrimæ propter Deum deuorandæ ſint difficultates,& ærumnæ excipiendæ, meritò cum aſperitatum communitate, nominis quoque participatio ad ſtatum religioſum manauit. Agnouit hoc pulcherrimè ſcriptor antiquiſſimus, & omnium conſenſu eruditiſsimus, Clemens Alexandri-
« nus 4.ſtrom.c.2.verbis illis. [Si quæ eſt apud Deum
« confeſsio, eſt teſtimonium, quæcunque anima ſe

pure,

purè, & ſyncerè geſsit cum Dei agnitione, & quæ « præceptis paruit, & vita, & ſermone eſt teſtis, quo- « modocunque liberetur à corpore, fidem tanquam « ſanguinem, per totam vitam, & etiam in exitu pro- « fundens. Iam dicit Dominus in Euangelio, qui reli- « querit patrem vel matrem, vel fratres, & quæ dein- « ceps ſequuntur, propter euangelium & nomen « meum, is eſt beatus, non quoduis ſignificans teſti- « monium, ſed quod eſt ex cognitione, vt qui ex regu- « la euangelij vitam egerit, propter dilectionem in « dominum. Cognitionem enim ſignificat perceptio « nominis & intelligentia euangelij, ſed non nudam « ac ſimplicem appellationem; relinquere quidem « genus mundanum, relinquere autem facultates, & « omnem poſſeſsionem propterea quod viuat citra « vllam ad ea affectionem. Dicitur quidem certè pa- « tria mater, & nutrix allegoricè: Patres autem leges « ciuiles. Quæ quidem grato animo ſunt contem- « nenda viro iuſto, qui eſt magni & excelſi animi, vt « deo fiat amicus, & conſequatur dexteras partes « ſanctificationis, ſicut etiam fecerunt Apoſtoli.] « Vides quàm perſpicuè, Clemens, vitam Apoſtoli- cam & ad Euangelicorum conſiliorum amuſsim exactam, teſtimonij ſiue martyrij nomine inſigniat.

Diſertiſſimè idem habet commentarius S. Hieronymo adſcriptus in Pſal. 115. ad illud, *dirupiſti domine vincula mea.* Sic habet. [Catenis ſuorum « peccatorum vnuſquiſque conſtringitur, ſed in mar- « tyrio meo, dirupiſti vincula peccatorum meorum, « & de vinculis plicaſti mihi coronam victoriæ. Vbi « enim abundauit peccatum, ſuperabundauit & gra- « tia. Itaque tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Poſt « martyrium vbi ſacrificat? In regione viuorum. Sa- «

crificabo

" crificato inquit tibi ſacrificium. Quale ſacrificium? " Numquid hircum aut vitulum? Illa Iudaïca erant " & tranſierunt. Sacrificato tibi hoſtiam laudis. Hæc " eſt laus martyrum. Sicut enim martyres laudant " Dominum purè in regione viuorum, ita & Mona- " chi qui die & nocte pſallunt Domino, debent eam- " dem puritatem habere martyrum, ſiquidem ipſi " martyres ſunt. Quod enim faciunt Angeli in cœ- " lis, hoc Monachi faciunt in terris.] Expreſſiùs Laurentius Iuſtinianus Opuſc. de contemptu mundi cap. 6. hoc religioſi ſtatus martyrium, ita depingit, " [Solitariam ducunt vitam, cœnobiorum cuſto- " diunt regulas, martyriíque ſpiritualis fatigantur " agone. Nam etſi perſonalis minimè perſecutor ap- " pareat, non tamen deficiunt à Diabolo, homini- " bus, nec à ſenſualitate illatæ moleſtiæ. Ab his ne- " mo iuſtus liber exiſtit, adeò vt verum eſſe probe- " tur quod ait Apoſtolus; Omnes qui piè viuere vo- " lunt in Chriſto Ieſu, perſecutiones patiuntur. Equi- " dem tentationibus variis inſequitur Diabolus ſan- " ctos, vt eos auertat à Chriſto, & ad facinoris con- " ſenſum trahat. Porrò ab hominibus inferuntur re- " rum damna, homicidia, detractiones, atque con- " uitia. Cupiditatibus ac voluptatibus blanditur ca- " ro, vt ſæculi ſectentur illecebras, quod eſt dirum " perſecutionis genus. Omnibus quippe his pro " amore diuinitatis repugnare viriliter, martyrij per- " ducit ad palmam. Mentium namque inſpector " Deus, nòn ſolùm laborem operis, verùm etiam " affectum voluntatis, in retributione compenſat. " In membris igitur ſuis ſpiritualibus, ſemper trium- " phat Eccleſia.]

3. Aſtipulatur Theodorus Studita, vitæ mona- ſticæ

ſticæ inſigne exemplar, & Eccleſiæ turbidiſſimis nebuloſiſſimíſque temporibus lumen & columen. Poſt deſcriptam namque inuictam SS. martyrum conſtantiam, quæ ipſos quoque Tyrannos laſſauerit, & in rabiem verterit, quòd effœtum malitiæ ſuæ virus ſpectarent; cum poſuiſſet cauſam inditæ eis martyrum appellationis, ex eo duci, quod per dura quæuis & aſpera, Euangelicæ veritati eſſent atteſtati; ſubiungit. [Ecquid ergo ſoli martyres ſunt qui ſanguinem profundant? Minimè verò? quin ij quoque qui vitam obeant diuinam. Ait enim Apoſtolus, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Et paulopòſt: Tantam habentes nubem martyrum, deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum per patientiam decurramus propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum. Viden' vt vniuersè martyres vocauit omnes pietatis amantes, afflictámque vitam tolerantia trahentes? Quare & nos fratres, numerati in hoc martyrio ſumus. Nam qui toleranter, vitæ ærumnas crucigeræ amplectamur, qui virginale votum tueamur, nec morigeratione detrectanda, in qua ineſt quiddam inſtar certaminis, Ieſum teſtamur & Chriſtum eſſe, & Dei filium, teſtamur iudicium, ac renumerationem futuram, teſtamur vitæ exactæ rationem reddituros ad terribile Chriſti tribunal, obſiſtentes Diabolo, Chriſti inimico, torquenti, & aſſidua cogitationum, ac lethalium voluptatum obiectatione, velut flagris, vrgenti negare nos eſſe Deum. Etenim

quorum

" quorum corrupta ſtudia ſunt, cedunt atque obſe-
" quuntur perduelli, rebus ipſis Deum eſſe negan-
" tes, ſecundùm ſancti Dauidis ſententiam, dixit
" inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.] Excurrit in eorum caſum, qui ſicut vrgentibus Eccleſiam Tyrannorum perſecutionibus imbecilles eneruéſque nonnulli, ita & ipſi aſceticis aſperitatibus fracti, à martyrio religioſo reſiliebant, quorum triſtiſſimam ſortem deplorat. Tum conuerſa ad perſtantes oratione, hortatur vt omnis conſummationis finem videant, nec ante martyrio religioſæ vitæ, quàm vita ipſa defungantur. Eius hæc eſt ad fratres
" allocutio, omnis pietatis ſapore condita, quem vtinam nimia interpretis de ſermonis apparatione ſo-
" licitudo, non obtudiſſet. [Verùm nos fratres, ceu
" Chriſti martyres adhuc præclaro martyrio funga-
" mur, adhuc illuſtrem confeſſionem obeamus. Gau-
" deamus cum omnibus Sanctis, quòd meriti pro
" Chriſto martyrium ſumus, genu Baali non infle-
" xo, quæ carnis libido eſt, ac reliquæ vitæ volu-
" ptates. Ne credamus ſpectra ſuggerenti vnde obe-
" dientiam detrectemus. Quin quotidie velut in ſta-
" dio contra luctemur, icti, neque præfracti; ani-
" moſi, non percuſſi. Iam verò quod martyrij com-
" pendium? Scitis vt martyrio in quoquam ſecun-
" dùm vitam perfuncti, ſocij ſint eorum gaudij, re-
" rúmque pro quibus martyrio ſunt affecti conſor-
" tes oſtendantur. Ergo huic conſectarium eſt, &
" Chriſti martyres vt eum in cunctis martyrio teſta-
" tos, pro veróque teſtimonio pœnas intolerabiles
" perpeſſos, in futuro ſæculo hæredes cum eo decla-
" rando. Nam Apoſtoli hæc ſententia eſt, cum Chri-
" ſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebi-

tis

tis cum ipſo in gloria: cum quibus & nos, peracto « noſtro martyrio, (longum eſt autem per omnem « vitam) bonis frui ſempiternis, in æuúmque cum « Chriſto triumphare mereamur.] «

Religio crux quotidiana.

4. En religioſum martyrium, longum & diuturnum eſt, ipſique vitæ commenſum, iudice Theodoro: martyrium verò quod ſanguinis profuſione ſubitur, martyrij eſt compendium. Quod S. Hieronymus epiſto. 27. Euſtochium ſanctiſſimæ parentis Paulæ non degenerem prolem conſolans, de eadem Paula in monaſterio, communi more ſpoliata, & quietè fato functa, antea pronunciarat, ſic locutus. [Secura eſto Euſtochium, magna « hæreditate ditata es. Pars tua Dominus, & quo « magis gaudeas, mater tua longo martyrio corona- « ta eſt. Non ſolùm enim effuſio ſanguinis in con- « feſſione reputatur, ſed deuotæ quoque mentis ſer- « uitus immaculata QVOTIDIANVM MAR- « TYRVM eſt. Illa corona de roſis & violis ple- « ctitur; iſta de liliis: Vnde & in Cantico ſcribitur « Canticorum, fratuelis meus candidus & rubicun- « dus: & in pace & in bello eadem præmia vincen- « tibus tribuens.] Alludit apertè Hieronymus ad Cy- « prianum epiſto. 9. cuius illa eſt exclamatio. [ô bea- « tam Eccleſiam noſtram, quam ſic honor diuinæ « dignationis illuminat, quam temporibus noſtris « glorioſus martyrum ſanguis illuſtrat. Erat ante in « operibus fratrum candida, nunc facta eſt in mar- « tyrum cruore purpurea: floribus eius nec lilia, nec « roſæ deſunt. Certent nunc ſinguli ad vtriuſque ho- «

noris

« noris ampliſſimam dignitatem, vt accipiant coro-
« nas vel de opere candidas, vel de paſſione purpu-
« reas. In cœleſtibus caſtris & pax & acies habent
« flores ſuos, quibus miles Chriſti ob gloriam coro-
« netur.] Ad illud item alluſit Hieronymus, quod à S. Athanaſio in vita B. Antonij c. 23. ſcriptum eſt: nimirum S. Antoniũ profundendi pro Chriſto ſanguinis & martyrij cruenti cupidiſſimum, cum aliquandiu ea ex cauſa hæſiſſet Alexandriæ, vbi tunc temporis Maximiani rabies in Chriſtianos expromebatur, ad extremum reddita Eccleſiæ pace, regreſſum eſſe ad ſuum monaſterium, vt ſpe cruenti martyrij irrita facta, QVOTIDIANVM
« (verba ſunt S. Athanaſij.) FIDEI AC CON-
« SCIENTIÆ MARTYRIVM mereretur;
« acrioribus ſe ieiuniis vigiliiſque conficiens; veſti-
« mento cilicino intrinſecùs, deſuper pelliceo vtens,
« nunquam corpus lauans, nunquam pedibus ſor-
« des abluens.] Omne denique reliquum monaſticæ vitæ martyrium, alacriter conſtantérque conſummans.

5. Eodem reſpexiſſe dixerim alios, quibus religioſam vitam, *quotidianum martyrium* nominare, ſolemne eſt. Sic enim S. Hilarius Arelatenſis eo S. Honorati deceſſoris ſui panegyrico in quem omnes dicendi veneres congeſſiſſe videtur, S. illum Antiſtitem qui primus Lerini annos aliquot monachum egerat, poſteáque Arelatis cum ſplendore infularum, probatiſſimi aſcetæ vitam nexuerat, quoti-
« diano martyrio in pace perfunctum agnoſcit. [Ha-
« bet (inquit) & pax martyres ſuos. Chriſti enim tu
« quandiu in corpore moratus es, teſtis fuiſti. Illud
« enim ſtupendum quondam adoleſcentiæ tuæ robur,

bur, perpetuo abſtinentiæ rigore tenuatum, & in «
illam quam vidimus, (aſpectus licet decore ſeruato,) «
exilitatem redactum, CRVX vtique QVOTIDIANA «
conſumpſit.] Nec ita multo poſt, «
ſancti viri ſomnia de fundendo propter Chriſtum
ſanguine deſcribens, ſic eum affatur. [Tuis «
in tantum medullis Chriſtus inſederat, vt interdum «
(quod expertus loquor,) membris tuis «
placido ſopore deuinctis, illum etiam in ſomnis «
officio ſolito tua lingua reſonaret. Sæpè dormiens «
ſaniſſimæ exhortationis, ſæpè orationis «
affectu officioſiſſimo verba fudiſti. Agebatur «
quippe in lectulo corporis quies, mentis in Chriſto. «
Et quidem hæc prout quique affuimus, experti «
ſumus: Tu verò vnica ſemper omnium requies, «
quàm alacer, quàm ſæpè referebas ſomnia non «
aliquid præſagientia, neque aliqua in futurum «
anxietate ſollicita, ſed inquietis animæ deſideriis «
excitata; martyrium ſcilicet, quod ſemper meditatione «
geſtabas, (credo interdum alludente, & «
prouocante cupiditatem tuam Domino) tanquam «
excitata in fidem tuam perſecutione peragebas. «
Et verè puto, neminem diffiteri, tibi ad martyrium «
, tempus non animum defuiſſe.] Vtique «
martyrij cruenti, quod exoptabat. Nam incruento
hoc & quotidiano de quo agimus, perfunctum S.
Honoratum diſertè dixerat. Apud Bernardum quoque
ſerm. 1. in octaua Paſchæ, huius quotidiani
martyrij mentio eſt verbis illis. [Quia baptiſmum «
aqua, martyrium diximus ſanguine deſignari; «
memento & vnicum & quotidianum eſſe Baptiſmum, «
ſimiliter & martyrium. Eſt enim & martyrij «
genus, & quædam effuſio ſanguinis in quoti- «

E diana

« diana corporis afflictione. Eſt & Baptiſmus aliquis
« in compunctione cordis, & lacrymarum aſſiduita-
« te. Sic quippe infirmis, & puſillis corde neceſſe
« eſt, vt quem ſemel pro Chriſto ponere non ſuffi-
« ciunt, ſaltem mitiori quodam, ſed diuturniori
« martyrio ſanguinem fundant.]

Denique ſcriptor rei aſceticæ peritiſſimus, & pietate cum antiquis conferendus, Thomas Kempenſis ſerm. 12. ad Nouitios, quotidianum hoc religioſæ vitæ martyrium egregiè celebrat his præter
« cætera. [Fuerunt multi nobiles ac diuites viri, qui
« longo tempore in abſtinentia carnium, in carentia
« frumenti, vini, & olei, & aliorum delectabilium
« ciborum, duxerunt vitam valdè religioſam & du-
« ram, crucifigentes cum vitiis & concupiſcentiis
« ſuis, carnem fragilem; non propter laudem hu-
« manam, ſed vt Deo ſatisfacerent pro peccatis per
« feruentem pœnitentiam. Hi contra tentationes
« Diaboli, & mundi honores, certantes vſque ad
« mortem, fœlici tandem fine, curſum vitæ ſuæ
« compleuerunt. Quamuis igitur iſti Tyrannorum
« gladium, aut ignem vrentem, aut morſum beſtia-
« rum, ſeu alia ſæuiſſima tormenta non pertulerunt
« in corpore; maximum tamen bellum, & quoti-
« dianum martyrium perfecerunt in mente, vitam
« caſtam, humilem, abiectam, internam, deuo-
« tam, benignam, patientem, ſobriam, modeſtam,
« pauperem, & abſconditam, præ cunctis mundi
« opibus amplexantes; ideóque dignè coronas me-
« ruerunt habere perpetuas.]

6. Cur porrò religioſa vita, martyrium quotidianum, & crux quotidiana vocetur, non eſt obſcurum. Iugis enim mortificatio, & quotidiana interni

terni ac externi hominis propter Deum mactatio, quam exercitationes aſceticæ adiunctam habent, pro morte in ſingulos dies irrogata computatur. Idque Apoſtolus c. 8. ad Rom. apertè confirmat, adducto loco Pſalmi 43. quo Pſaltes ſacer, aut potiùs ex eius ore pij quique, profitentur ſe propter Deum mortificari tota die, æſtimarique ſicut oues occiſionis, & quamdiu corpore concluduntur, quotidie mori. Religio ſit, verè aureum Chryſoſtomi commentarium eius loci miſſum facere. [Quando- «
quidem fieri minimè poterat vt qui homines eſſent «
ij infinitas mortes tolerarent, oſtendit, ne hac «
quidem ratione præmia eſſe imminuta. nam vt na- «
tura ſortiti id ſimus, ſemel tantum vt moriamur: «
tamen voluntate id quotidie perpeti, ſi id in ani- «
mum induxerimus, dedit Deus: Vnde liquet fore, «
vt cùm tot hinc coronis decedamus, quot dies hic «
vixerimus, imò verò multò pluribus: Licèt enim die «
vno, & ſemel & bis, & ſæpè mori. Qui igitur «
ad ipſum comparatus fuerit, is ſemper mercedem «
abſolutam recipit. Hoc igitur & Propheta ſignifi- «
cans, dixit: Tota die. Quapropter & illum Apo- «
ſtolus introduxit.] Nec diſſimilia ab eodem Chry- «
ſoſtomo traduntur hom. 73. ad pop. & 11. in Geneſ. in expenſione illorum Pauli verborum *quotidie morior*. Hanc iugem mortem, & pluſquàm quotidianum martyrium, bellè admodum verbis illis expreſſit Leo magnus homil. de Machab. [Non «
quia ceſſauit perſecutor & tortor, quia iam Deo «
militant poteſtates, deſunt Chriſtianis quas ſupe- «
rent paſſiones. Fili (inquit) accedens ad ſeruitutem «
Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam «
tuam ad tentationem. Et Apoſtolus dicit. Quicun- «

« que in Chriſto piè volunt viuere, perſecutionem « patiuntur. Qui ergo putas quieuiſſe perſecutio- « nem, & nullum tibi cum hoſtibus eſſe conflictum, « intimum cordis tui ſcrutare ſecretum, & omnes « recurſus animæ tuæ diligens explorator ingredere, « & vide ſi nulla te impugnat aduerſitas, ſi nullus « tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari. Noli « cum auaritia pacem firmare, & iniquorum quæ- « ſtuum incrementa contemne. Superbiæ concor- « diam nega, & magis time in gloriam ſuſcipi, quàm « in humilitate calcari. Diſſociare ab ira, nec dolo- « rem inflammet inuidiæ, cupido vindictæ. Renun- « cia voluptati, auertere ab immunditia, pelle luxu- « riam, fuge iniquitatem, omitte falſitatem, & « cum videris te multiplicem habere pugnam, tu « quoque imitator martyrum, numeroſam quære « victoriam. Toties enim peccatis morimur, quoties « in nobis peccata moriuntur, & pretioſa in conſpe- « ctu Domini, etiã iſta mors Sanctorum eius, vbi ho- « mo occiditur mundo, non terminatione ſenſuum, « ſed fine vitiorum.] Hæc mors tam multiplex, per « affectuum quorumuis mactationem & ſedulam depulſionem peccatorum, mundi conculcationem, ac virtutum (aſperam licet & arduam,) exercitationem, religioſo qui nomen illud dignè præferat, non quotidiana tantùm, ſed perpetua ac cõtinua eſt.

7. Eſt igitur religioſa vita, mors quotidiana, & iuge martyrium; ita vt quamuis corpore nemo noſtrum mori poſſit niſi ſemel, nec liceat ſæpiùs ſubire cruentum martyrium; tamen martyrij huius incruenti in dies ſigulos copia fiat. Quod probè intellexit S. Bernardus, religioſæ vitæ & adiunctarum ei ærumnarum apprimè ſciens. Latronem

enim

enim qui ad ſupplicium abducebatur, permitti ſibi cum poſtulaſſet, conteſtante Theobaldo Campaniæ Comite ſancti viri obſeruantiſſimo, hominem eſſe omnibus coopertum flagitiis, & multiplici morte digniſſimum; repoſuit, & idcirco à ſe depoſci, vt quod vna morte ſufficienter expiare non poſſet, pluribus ac per dies ſingulos inferendis, exolueret, in religioſo ſtatu. Quod & perfectum à latrone proditur, tricenario religioſæ pœnitentiæ martyrio conſtanter & alacriter exacto in Ciſtercienſi familia, quotidie perdendo vitam & animam ſuam propter Chriſtum: iuxta Chriſti verba de martyribus, quæ probatis aſcetis æquè communia eſſe, idem Bernardus ſer. 30. in Cant. optimè expreſſit tractans verba illa Pauli, conteſtantis intentatis ſuppliciis *nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem quàm me.* Hanc per Paulum, animæ ſiue vitæ corporalis contemptionem, imitatione exprimi per Monachos ſuos, auebat Bernardus; & potuiſſe exprimi, imò verò religioſè viuendo expreſſam eſſe, docet ſic differens. [Animæ portio eſt, carnalis affectio eius, & vita quam adminiſtrat corpori. Hanc ergo animam ſuam Paulus ſpernebat pro ſe, paratus pro Domino non ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem, & ſic perdere animam ſuam, iuxta conſilium Domini. Tu quoque ſi propriam deſeras voluntatem, ſi corporis voluptatibus perfectè renuncies, ſi carnem tuam crucifigas cum vitiis & concupiſcentiis, ſed & mortifices membra tua quæ ſunt ſuper terram, probabis te Pauli imitatorem, qui non facis animam tuam pretioſiorem teipſo: Probabis & Chriſti diſcipulum, etiam illam perdendo ſalubriter.

" Et quidem prudentius eam perdis vt cuſtodias,
" quàm cuſtodis vt perdas. Nam qui voluerit ani-
" mam ſuam ſaluam facere, perdet eam.]

Quanta quotidiani huius ac iugis martyrij acerbitas.

8. Cuiuſmodi verò ſit quotidiani huius martyrij acerbitas præ cruento, ſic poſtmodum eo ipſo loco exponit idem Bernardus increpans delicatos quoſdam, & molles Epicuri potiùs (vt ait) aut Hippo-
" cratis, quàm Chriſti diſcipulos.[Animæ in corpore
" vitam, Saluator monet perdere. Quid enim tibi
" aliud de Chriſti auditorio ſonuit, cùm paulò antè
" clamatum eſt: Qui amat animam ſuam perdet eam.
" Dixit ſiue ponendo vt martyr, ſiue affligendo vt
" pœnitens. Quanquam genus martyrij eſt, ſpiritu
" facta carnis mortificare: Illo nimirum quo membra
" cæduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diutur-
" nitate moleſtius.] Iterat hæc ipſa verba idem mellitiſſimus ac piiſſimus Pater ſerm. 2. in cœna Domini. Vtrobique agnoſcens, quotidianum hoc martyrium, eſſe ſola diuturnitate moleſtius, horrore tamen mitius eſſe, ac perpeſſu facilius.

At proximè laudatus Thomas Kempenſis, quandam inter vtrumque hoc martyrium, æqualitatem acerbitatis ſtatuere videtur, indiſtinctè æquiparans amborum vexationes & præmia, quæ conſtat inæqualiter vexatis inæqualia rependenda, cæteris paribus. Scitè autem cum variis forenſium reorum cruciatibus, varias religioſi ſtatus ærumnas
" componit, in hunc modum.[Poteſt quilibet in or-
" dine & in ſtatu ſuo, religioſè, & deuotè viuendo,

palmam

palmam martyrij obtinere, ſi contra vitia ſua fortiter certat; ſi pro aduerſantibus, & detrahentibus orat; ſi caſtitatem illibatam ſtrenuè ſeruat; ſi obedientiam vſque ad mortem exemplo Chriſti cuſtodit; ſi de omnibus terrenis, & neceſſariis huius vitæ, ſemper minus, quàm plus habere deſiderat, & beneplacitum Dei in omnibus quærit, & ſuum velle relinquit. Sancta quippe voluntaria paupertas, pro martyrio computatur. Et ideò ſicut martyribus, ita & pauperibus regnum cœlorum à domino promiſſum eſt & donatur. Cum ergo verboſo & diſſoluto ſilentium imponitur, ne extraneis, vel fratri loquatur; tunc lingua ad fabulandum prona, quaſi reſte ligatur, & ne noceat alteri, ſilentio cohibetur. Et verè multis verboſis expedit, pro pace conſcientiæ verecundè tacere, quàm hinc inde hiſtorias de ſtatu ſeculi retexere: & cùm homini præcipitur in clauſtro manere, aut in cella quietè reſidere, tunc pedes eius pia violentia, quaſi in cippo locantur; & ſic ad viam ſalutis, cor inſtabile redire compellitur, iuxta illud domini verbum: exi citò in vicos, & plateas ciuitatis & compelle intrare. Heu quanti foris vagando perierunt: Quanti ſuæ curioſitati ſeruiendo, nil ſanctitatis retulerunt. O quàm multi per rectoris virgam reducti ſunt ad conſcientiæ, & bonæ vitæ cuſtodiam, & de neceſſitate fecerunt virtutem? Cum curioſus oculos ſuos claudit, ne ſeculi vanitates aſpiciat, tunc mercedem cum ſanctis recipiet, quorum oculi fuerunt à tyrannis excæcati. Cum piger aliquis laborare cogitur, tunc manibus, & pedibus ad locum martyrij trahitur, & ſi obedierit ad omnia ſibi iniuncta, præmiabitur cum martyribus; quorum manus vinculis fuere

« ligatæ,& pedes in equuleo ſuſpenſi. Cogitare ergo « debet bonus obediens frater, quia proprij corporis « non habet poteſtatem, ſed prælatus; cui propter « Deum ſe reſignauit liberè, vt eat,& faciat, quod ille « iuſſerit pro animæ ſuæ ſalute. Sic enim obtinebit « cum martyribus patientiæ palmam, & æternæ vi- « tæ coronam.]

9. Quid verò ſi non mitius modò aut æquale, ſed durius etiam & acerbius, cruento martyrio eſſe quotidianum hoc martyrium quis affirmet? Paphnutius ſanè inſignis martyr ex monacho, cuius res geſtas ſcriptis à Metaphraſte conſignatas exhibet Surius 28. Aprilis, Ariano Ægypti præſide vniuerſum exprimendæ in ipſum crudelitatis apparatum, equuleos, ſartagines, ſecures, ſcorpiones, aliáque feralia inſtrumenta oſtentante, vt ſancti viri animum emolliret, & ad impura ſacrificia adduceret, intre- « pidè reſpondit in hæc verba [Putaſne tua hæc tor- « menta adeò mihi horribilia videri, vt propterea « Deum verum negandum putem? Quinimo hoc « ſcito, noſtras monaſticas conſtitutiones, multo plura « in ſe tormenta continere, quoniam in multis exer- « citationibus aſſiduè tentamur. Sed ſaluator noſter « ita nos corroborat, vt omnia perferre, & ſuperare « poſſimus. Quare idem etiam nunc corroborabit ad « tuam hanc ſæuitiam ſuperandam.] Videtur Paphnutius iiſdem gratiæ ſuppetiis contentus, ad omne carnificis ingenium in tormentis laſſandum, ac etiã fruſtrandum, quibus in monaſtico inſtituto ad tot cum eo implicitas ærumnas patienter ferendas, roboratus fuerat. Imo cum multo plura eſſe religioſæ vitæ tormenta afferat, quàm quæ ab impio Præſide oſtentabantur, ne tanta quidem cœleſtia ſubſidia

ſibi

ſibi ad ſanguinis pro fide profuſionem neceſſaria, quanta ad religioſum martyrium, videtur agnoſcere. Et diſertè (quod vnum hìc contendimus,) prodit monaſticæ vitæ tormentorum multitudinem & acerbitatem, præ qua ad obiectum immanium illorum inſtrumentorum, horrere non deberet.

Plenior, Religioſi martyrij illuſtratio, expenſione paupertatis.

10. Sed vt liquidiùs deprehendi poſſit, quàm aptè & ad veritatem conſentanea, religioſè vita nomine martyrij quotidiani inſigniatur, operæ pretium eſt ſigillatim diſpicere ea quibus religioſi ſtatus veluti ſubſtantia continetur; vota inquam tria vulgaria, quibus veluti cultris homo à ſe externonorum quorumcunque, ac ſui etiam ipſius, immodicum amorem reſcindit: Paupertate quidē, deſiderium opum quibus veluti fomētis alitur in homine ignis ſuperbię, malè altipetæ, vt S. Paulinus ſcitè nominauit. Caſtitate verò, corporis immodicum ſtudium: denique obedientiæ interuentu, quod in anima eminet, liberam ſtatuendi de ſe ipſo facultatem atque iudicium. Reſecantur hæc omnia, quæ iure dixeris ſanctimoniæ attingendæ aheneos obices, trium illorum quæ recenſui votorum interpoſitione. Et idcirco homo eorum emiſſione non quidem perfectus vt egregiè diſputat S. Thomas opuſc. 17. c. 6. ſed ad perfectionem proximè aptus, ſiue mediis ad eam conſequendam quàm accommodatiſſimis inſtructus, & ad diuinum cultum optimè compoſitus denominatur, quòd ipſum eſt, dici ac eſſe religioſum; nec alia quærenda eſt religioſi ſta-

tus veluti ſubſtantia. Nam ritus omnes, & externæ corporis ſpecies, peculiariſve amictus & victus ratio ac forma, quamuis apud rudes æſtimatores ſubſtantiæ locum interdum teneant; re ipſa tamen non niſi aſcititia ſunt ornamenta, quibus vt conciliari ſtatui de quo agimus decus aliquod ac fructum non eam inficias, longè tamen abſunt à primària illa & fundamentaria eiuſdem ſtatus ratione, quam contineri votis diximus. Vt proinde cum hæc ſola, ſint religioſæ vitæ adeò intima, vt ſtatuatur his conſtitutis, ſublatis verò euaneſcat, nihil ſit præterea penes quod vniuerſaliter de ſtatus religioſi aſperitatibus pronunciare liceat. Quare videamus quæ ſit paupertatis, quæ obedientiæ, quæ caſtimoniæ voto firmatæ, difficultas & aſperitas, vt ſtatus iis conſtitutus, rectè cum quotidiano martyrio collatus appareat. Neque verò ſpectari iſta velim prout ab homine manant vberi diuinæ gratiæ rore delibuto. Plerumque enim tam copioſa affluit homini de cœlo benedictionum dulcedinis largitas, vt computreſcat iugum à facie olei, & medium fornacis ſtatuat dominus quaſi ventum roris flantem: Sed ſpectanda ſunt in homine (non quidem gratiæ exſorte. quid. n. boni germinis ex tam arente ac exſucco ſolo exiſtere poſſit, cuius fructus æternæ vitæ ac gloriæ, commodet, quæ eſt religioſi ſtatus meta?) Non igitur in homine per nuda naturæ præſidia operante ſpectanda ſunt, ſed in eo qui communibus duntaxat gratiæ ſubſidiis fulciatur. Aut (ſi hæc alicubi abundant) in quem diuina largitas parciùs ſtillet, ſiue ita ferente hominis remiſſione anterioris beneficentiæ prodiga, nec eam ſatis æſtimante: ſiue pro diuini conſilij beneplacito, ad hominis probationem, &

fontis vnde gratia defluit, manifeſtationem.

11. In huiuſmodi ergo homine, paupertas voluntaria voto firmata, & exactè fidelitérque ſeruata, quantam putamus cruciatuum dolorísque materiam ſubminiſtrat, quantam angorum & ærumnarum, ad martyri um incruentum pluſquàm ſufficientium? Conſiderandum enim eſt, ſicut opes omnium corporis commodorum inſtrumenta ſunt, quod Teles de comparat. diuitia. & virtutis diffuſè monſtrat, & Theodoretus ſerm. 6. de prouid. attigítque Philo libro de temul. vocans *externa bona, corporis ſatellites*: Ita etiam cum diuitiarum excluſione per paupertatem, omnium incommodorum, atque adeò etiam ærumnarum, infœlix (carni quidem ac ſenſui,) coniugium exiſtere, quod ad martyrium, nec mite aut leue ſufficiat. Nec enim cupediis tantùm, aut ſuperfluis rebus, ſed etiam neceſſariis carendum eſt. Quo ex capite optimè S. Dorotheus doctr. 7. num. 9. religioſæ paupertati, tribuit rationem martyrij. Eum enim qui re neceſſaria carere cogitur, ita ſecum dicere iubet. [Nouit « Chriſtus melius quám ego, quid mihi ſit opus, « cuiúſne rei ſim indigus, & ipſe fiet mihi, huius « rei, vel huius cibi loco.] Et mox. [Si quiſquam « ouum appetat, & olus accipiat, dicat cogitationi- « bus ſuis: ſi vtile mihi ouum omnino fuiſſet, habe- « rem vtique illud: Nam bonitas Dei mihi prouidiſ- « ſet, miſiſſétque prorſus. Verùm potens eſt & ole- « ra in ouum conuertere, credátque Deo, & cedet « illi hoc in martyrium.] Eadem fuit S. Franciſci « mens. Sic enim apud eum lego collatione 8. [Si « propter inopiam & paupertatem frater corpus ne- « ceſſitates ſuas in ſanitate & infirmitate habere non «

poteſt

« poteſt, dum honeſtè petierit & humiliter à præla-
« to ſuo amore Dei, & ſibi non datur, ſuſtineat amo-
« re Domini patienter, qui etiam ſuſtinuit quærens
« qui eum coſolaretur & non inuenit. Et hæc neceſ-
« ſitas ſibi à Domino imputatur pro martyrio.] Non abhorret à Spiritus ſancti ſenſu, hæc de paupertate ſentiendi & loquendi forma. Sanè ſcriptura, paupertatis caminum in quo excoquantur homines, agnoſcit Iſaiæ 48. nec dubitauit S. Chryſoſtomus homil. 18. in 1. ad Cor. pauperes cum pueris in Babylonicam fornacem coniectis conferre, non modò quia vt illi, Deum luteum colere renuerunt, ſic & iſti numini auaritiæ pleróſque dementantis accidere detrectant; ſed etiam quia fornacem & flammã tolerant vtrique; & pauperes quidem multo ardentiorem, in qua ſi non concremantur qui eam voluntariè ad numinis cultum excipiunt, diuinæ potentiæ opus eſt, quale circa Babylonios pueros eſt proditum, vt D. Chryſoſtomus philoſophatur; non autem humanæ virtutis, vel retuſæ aut reſtrinctæ flammarum acrimoniæ argumentum. Quare rectiſſimè cum S. Bernardo licet concludere, in calce ſermonis primi in feſto omnium SS. paupertatem religioſam, inter martyrij incruenti ſpecies, iure optimo numerari. Tractans enim octauam beatitudinem qua ſanctis martyribus repoſita fœlicitas proponitur, recurrens ad primam qua conſtitutum eſt præmium pauperi-
« bus. [Quid ſibi vult (inquit) quod eadem promiſ-
« ſio facta eſt pauperibus, & martyribus, niſi quia
« veri martyrij genus, paupertas voluntaria eſt?
« Beatus vir, ait Propheta, qui poſt aurum non
« abiit, nec ſperauit in theſauris pecuniæ: quis eſt hic,

hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua. Quid mirabilius, aut quod martyrium grauius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter iſte appetitus? An non meritò coronabitur, qui ſic certauerit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod glorioſius eſt, de ſemetipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, ſed in paſſione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur.] Non diſſimiliter S.Chryſoſtomus homil.11. in ad Hebr. poſt enumerata ſacrificiorum myſticorum varia genera abrogatis quaſi agni immaculati immolatione pecuinis quibuſuis ſacrificiis demandata, ſubdit. [Sunt & aliæ oblationes quæ verè ſunt holocautomata, martyrum corpora: Ibi & anima & corpus offeruntur. Illa ſacrificia odorem ſuauitatis habent maximum. Potes & tu ſi volueris, tale ſacrificium offerre. Quid enim ſi non igne comburatur corpus? Sed alio igni poteſt: vt puta paupertatis voluntariæ, & tribulationis. Cum enim liceat deliciosè & optimè degere, ſi eligatur laborioſa vita & anima mortificánsque corpus, nonne holocautoma eſt? mortifica ergo corpus tuum, & crucifige, & accipe huius martyrij coronam. Quod enim illic gladius operatur, hoc hîc animi alacritas faciet.]

Idémque

Itémque expenſione obedientiæ.

12. Iam verò obedientiæ votum, quo impoſiti homines ſuper capita noſtra ferendi ſunt, vt aſperrimum ex ſe atque duriſſimum, ita iure optimo martyrij cuiuſdam nomen ſibi ac decus vendicat, iudice Thoma Kempenſi lib. de fideli diſpenſat. c. 3. §. 2. Tractans enim illud Cant. 5. *manus mea diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima*, & hanc myrrham interpretatus integram ac plenam voluntatis propriæ mortem per obedientiam, illud cupit eſſe quàm commendatiſ-« ſimum. [antequam huius myrrhæ ſpeciem quis « agnoſcat, vt in multis ſæpè grauitatibus ſeipſum « experiatur, quàm facilè caro remurmurat, quo-« ties trepidat, quoties ſubruit. In quo conflictu « intelligit, quantus ſit labor non facere quod con-« cupiſcit; quàm durum frangere ad omnem nutum « alterius, ſuos conceptus animi. Si ergo hæc & his « ſimilia, latiùs excogitata pertranſierit, tanquam « veræ mortificationis probamenta, (quæ omnia « fortes Chriſti amatores ardentiſſimo affectu ſubire « feſtinant,) inueniet proculdubio quàm veraciter « dictum ſit: & digiti mei pleni myrrha probatiſſi-« ma. Probantur enim à minimo vſque ad maxi-« mum eorum digiti, & à ſummo vertice, vſque ad « plantam pedis, ſine tentatione nihil vacat in ipſis. « Nam modò iubentur exteriora; modò compellun-« tur ad ſui cuſtodiam introire; nunc huc illúcque « diſcurrere, nunc etiam quieti conſiſtere; modo pau-« lo plus vigilare, & paulo poſt vigilias nequaquam « protrahere, nunc quodlibet protinus abiicere; nunc

nunc etiam quod horrent ſine mora perficere. Si « eſt aliquod genus ſupplicij, quod martyres facit; « tunc maximè illi martyres fiunt, qui toties verbo « Dei, tanquam gladio ſubmiſſi plectuntur; quoties ſibi ipſis per obedientiam moriuntur.] «

Pari pietate, nec minus appoſitè ad rem præſentem, idem autor ſerm.11. ad Nouitios quotidianum religioſi ſtatus martyrium exponens, hoc maximè ex capite rem conficit, ſic fratres affatus. « [O dilecti fratres qui in religione ſub obedientia « ſtatis; ſi fideliter impletis quod vouiſtis, martyres « eſtis, aut adhuc quotidie patiendo fieri poteſtis. « Nam toties nouas coronas, & margaritas pretioſas pro certamine veſtro accipietis, quoties ſingula membra veſtri corporis, quotidianis laboribus « pro Chriſto exponitis. Et ſi proprias voluntates relinquitis, & ſenſualitati veſtræ fortiter reſiſtitis, « magnam à Deo intus conſolationem percipietis. « Omnis religioſus in obedientia viuens, paratus « ſuam voluntatem frangere, atque prælato ſuo « humiliter nitens obedire, iſte veraciter in ſpiritu « martyr efficitur, quamuis materiali gladio in collo « non feriatur. Et quicumque perfectè mortificationi, tota die, id eſt per totum tempus vitæ ſuæ, ſe « tradit, ſimplici ex corde obediendo, exemplum « Abrahæ imitatur; qui vnicum dilectum filium « ſuum Iſaac, in holocauſtum offerre, ligare, & « occidere non recuſauit. Legimus etiam de ſanctis « martyribus, quod per diuerſa tormentorum genera tranſierunt ad regna cœlorum: qui non elegerunt pro ſua voluntate, qualem pœnam aut « mortem paterentur; ſed totaliter diuinæ ordinationi ſe commiſerunt, & corpus & animam creatori

« tori ſuo ad omnia ſuſtinenda conſtanter obtule-
« runt. Quando igitur aliquis veſtrûm audit, præ-
« ceptum ſibi contrarium à prælato imponi, & ta-
« men paratus eſt obedire, ſi tunc etiam vim ſibi
« ipſi inferre conatur, atque murmurationem inſur-
« gentem compeſcit & necat, tunc gratiſſimum
« Deo ſacrificium in ara cordis immolat, & cum
« martyribus, de hoſte victor ſui ipſius factus ſtre-
« nuè triumphat.]

13. Sed longè Thoma Kempenſi antiquiorem eſſe hanc de religioſæ obedientiæ martyrio doctrinam diſcimus ex Antiocho homil. 39. qui diſertè tradit, hominem per obedientiam tranſire in nu-
« merum teſtium Chriſti, addítque, [voluntatem
« propriam à te excindere, perínde eſt ac ſi proprium
« fundas ſanguinem.] Idem diſcimus ex Caſſiano collat. 18. c. 7. vbi Abbas Piamon probatos Monachos cum Sarabaitis monachorum perſonam ementientibus componens, præter cætera notat, quod iſtos voluntatum ſuarum habenæ quas ipſi-
« met tractant, vinculis omnibus exſolutos, alterius
« vinculis mancipant. [Illos patientia atque diſtri-
« ctio qua tam deuotè in hac quam ſemel arripue-
« runt profeſſione perdurant, vt nunquam ſuas ex-
« pleant voluntates, crucifixos huic mundo quoti-
« die, viuóſque martyres facit.] Reſpexiſſe videtur ad appellationem qua Iſaacum Chryſoſtomus t. 1. orat. de Abraham, cohoneſtat; vocat enim viuum martyrem & non viuum, mortuum & non mortuũ, Et fuiſſe Iſaacum exactiſſimæ obedientiæ ſpirãtem imaginem, teſtatiſſimum eſt apud Patres Ambroſium, Ephræmum, Baſilium Seleuciæ, Iſidorum Peluſiorem, & quotquot in deſtinatam eius immolatam

lationem, incurrunt ſcribendo. Itaque ſicut eum Chryſoſtomus à ſumma obedientiæ perfectione, qua iuuenis patri ſeni nihil cunctatus iugulum cædendum præbuit, *viuum martyrem* nominauit, ita eodem reſpiciens Chryſoſtomi alumnus, obedientes, *viuos martyres* nuncupaſſe videri poteſt. Quanquam vſurpatum quoque alia in cauſa à Chryſoſtomo eundem titulum non me latet. Homilia. n. in SS. Iuuentinum & Maximum ſub finem Chriſtianos quoſdam generoſos qui cum aperto periculo immanium tormentorum & mortis per ea inferendæ, Sanctorum pro Chriſto cæſorum corpora rapuerant, vt ea decenter curarent, eo illuſtriſſimo titulo donat: *Etiam ipſi viui martyres.* Sed & S. Paulinus epiſto 28. quæ eſt ad Victricium ſecunda, ſanctum illum Antiſtitem cuius in tormentis robur graphicè exprimit, quod ſupremo funeri ſubductus eſſet diuinitùs, *viuum martyrem* appellat. Quo eodem nomine Nazianzenus orat. 20. n. 13. inſignit ſanctos illos qui extremam in Chriſtianos, Satanæ rabiem ſub Maximino exceperunt, nec tamen hoſtili gladio ſunt deeſſim. [Hactenus videlicet relicti, vt victoriæ ſuæ ſuperſtites eſſent, « nec cum ipſis certaminibus abſcederent, ſed aliis « virtutis aliptæ, viui martyres, ſpirantes columnæ, « tacitáque præconia relinquerentur.] Hoc verò non exile videri debet obedientium decus, quod glorioſiſſimum titulum, nec fructus vacuum, ſanctis illis Chriſti athletis qui corporibus ſuis (quantum ex ipſis erat,) & ſanguine litarant, ab his Patribus attributum, communem habeant, ita vt poſſint ipſi quoque illud de Catholicis Arriano furore multa paſſis ab eodem Nazianzeno orat. 25. n. 41.

« vſurpatum, accommodare ſibi ipſis. [Viua viuen-
« tis Dei, templa ſumus, victimæ viuæ, holocauſta
« ratione prædita, ſacrificia perfecta, Dij denique,
« Trinitatis adoratæ, beneficio.]

Reſtat caſtitas, è tribus religioſo ſtatui ſubſtantialibus vnum, cui nomen quoque & prærogatiua martyrij, adſcribitur non ſemel. Sed quod hæc martyrij ſpecies, tametſi in religioſis domibus ad omnes æquè pertinens atque perpetua, iis tamen non coërcita finibus, ad ſæculares quoque fundatur, quos DEVS interdum in mediis ignibus indemnes, in altiſſimo voluntabro, (quæ gratiæ diuinæ potentia eſt,) nitentes ſeruat, placet de ea ſeorſim dicere.

CAPVT IV.

Martyrium Caſtitatis.

1. CAſtitatem S. Cyprianus, non quidem martyrium, ſed martyrio proximam ſenſiſſe videtur lib. de diſcipl. & habitu virg. n. 78. cum di-
« xit compellans ſacras virgines. [Primus centena-
« rius, martyrum fructus eſt, ſecundus ſexagenarius,
« veſter eſt. Vt apud martyres non eſt carnis & ſecu-
« li cogitatio, nec parua & leuis & delicata congreſ-
« ſio; ſic & vobis quarum ad gloriam merces ſecun-
« da eſt, ſit & virtus ad tolerantiam proxima.] Apud pleroſque tamen Patres, eóſque primæ notæ, martyrij nomen & decus retulit. Paucos qui occurrunt annoto, rationem eius appellationis poſt modùm ſubiuncturus.

Agon

Agon ſeruatæ pudicitiæ, ac velut viui-comburium.

Illuſtriſſimè S. Chryſoſtomus initio orationis de S. Thecla, eam ante martyrium cruentum quod perpeſſa eſt, martyrium obſeruatione virginitatis ſubiiſſe docet, prolatis quoque carnificibus & lictoribus tormenta inferentibus. Sic enim loquitur. [Virginitas illis qui rem accuratè perpendunt, « magnum quoddam martyrium, ante martyrium « videtur. Sunt enim crudeles quidam carnifices cor- « poris voluptates. Imo verò carnificibus crudelio- « res: Nam vinculis torquent, non manufactis: per « oculos animam vulnerant: per aures mentis rigori, « atque conſtantiæ, luxuriæ faces admouent: aſpero « flagello intellectum flagellant: nouis ſubinde præ- « liis nos laceſſunt. Quando quis oculis cæcitatem « indixerit, ne formas ſpectent; tum id quod clau- « ſum eſt, reſerant voluptates, & laſciuis per aures « cantilenis reſoluunt: quando in aures cantibus me- « retriciis occluſas inciderint, tum libidines cogita- « tionibus ornatæ illudunt. Quando illas per omnia, « vt paucis complectar, vigilantes ſuperauerimus, « dormientes vmbratili pugna diuexant. Ita nos per- « petuis, & in orbem redeuntibus præliis vrgent, quæ « neque cum ſole excitantur, neque cum nocte ſo- « piuntur. Porrò ſi iuuentutem etiam aggreſſæ fue- « rint, tum verò ignis cum igne miſcebitur; ſtipula « cum fornace iungetur: Facile namque voluptati- « bus iuuentus incenditur: quippe quæ pinguior « olei in morem, & aptior ſit ad inflammationem, vt « ad temperantiæ labores delicatior: Quæ nimirum: «

" omnia beatæ virginis Theclæ, longum martyrium " virginitatem reddebant; quæ cum voluptatibus, vt " cum beſtiis martyr pugnabat, cum cogitationibus, " vt cum cruciatibus, luctabatur, cum libidinum " imaginationibus, quaſi cum tormentis carnificum " congrediebatur: ſed ab illo tamen multiplici ac do- " meſtico bello victoriam reportabat: Si quidem ig- " ne naturali ardentior illi erat ignis animi, & ſanctus.

2. Quod de Thecla Chryſoſtomus, pulchrè de Iphigenia S. Matthæi alumna Eſpencæus in ſacris Heroidibus, dixit, eam inducens incruentum virginitatis martyrium, cruento ſic præferentem.

Mors cita martyribus venit, & victoria læta,
Vltima momento clauditur hora breui.
Horum noſtra cruces, palma: pœnáſque triumphos,
Natalésque ſolet gens vocitare neces.
Sanguine ſed nullo, longúmque perennéque caſtis
Martyrium viduis, virginibúſque ſuum eſt.
Lucta nec eſt, quàm morte ſemel finire dolorem,
In carnem leuior quotidiana ſuam.

Et paulò inferiùs.

Et certamen erit virgo cum martyre magnum.
Eſt vbi diſſimiles, eſt vbi dico pares.
Sed ſuper humanas ſunt hæc luctamina vires.
Vincat vter magni eſt munus vtrumque Dei.
Cuius habet violis permixta roſiſque quaſillus.
Lilia; habet flores pugnáque paxque ſuos.
Martyris expleta clareſcit adorea morte
Hic quoque virginibus laus ſolet eſſe ſua.

Nimirum quia caſtitatis indemnias non niſi perpeſſione quadam & ernucidatione extri ho-

minis,

minis, retinetur, vt poſtea pleniùs dicam ſæpéque in ſcripturis & Patribus proditur.

Et quaſi viuicomburium.

3. Sed quod igne naturali, hoc eſt cupiditatis venereæ homini cum natura conſertæ, exercitam non conſumptam ſanctiſſimam puellam, dicebat Chryſoſtomus, illuſtrandum eſt, adiunctis iis quæ de myſtico hoc viuicomburio alibi diſputat idem Chryſoſtomus exornans S. Barlaamum, qui manum ſubiectis in foculo prunis admotam tenere maluit quàm thuris grana eidem ſupinæ immiſſa excutere, ne Chriſtum abieciſſe videretur. Ad tantæ fortitudinis expreſſionem, adhortans concionem S. Chryſoſtomus, propoſita tacita cauſatione, pace frui Eccleſiam, & perſecutionis turbine non agitari, ſic reſpondet. [Equidem id etiam « ſcio; perſecutionis quidem tempus non eſt, at « martyrij eſt tempus. Non perſequuntur homines, « at perſequuntur dæmones, Non laxat tyrannus, at « vexat Diabolus tyrannorum omnium ſæuiſſimus: « Non obiectas prunas conſpicis, at cupiditatis con- « ſpicis flammam accenſam. Illi prunas calcarunt, tu « naturæ pyram calca: Illi cum beſtiis pugnarunt, tu « iram, immitem & indomitam belluam fræna. Illi « aduerſus intolerabiles dolores ſteterunt, tu abſur- « das, prauáſque cogitationes, quæ in corde tuo pul- « lulant, vince. Ita martyres imitabere. Nunc enim « nobis non eſt colluctatio aduerſus carnem & ſan- « guinem, ſed aduerſus principes, aduerſus poteſta- « tes, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, « aduerſus ſpiritualia nequitiæ. Ignis eſt cupiditas na- «

« turæ, ignis in extinctus, ac perennis canis eſt rabidus, & inſanus: licet millies eum propellas, millies impetum facit, nec abſiſtit. Sæua quidem prunarum eſt flamma, verùm hæc vehementior eſt flamma cupiditatis. Nunquam inducias belli huius obtinemus: nunquam pugnæ ceſſationem conſequimur dum in hac vita verſamur, ſed perpetuum eſt certamen, vt & ſplendida fiat corona. Propterea Paulus nos ſemper armat, quandoquidem belli eſt tempus, quandoquidem vigilat ſemper hoſtis. Viſne intelligere cupiditatem non minùs quàm ignem vrere? Audi Salomonem dicentem, ambulabit quis ſuper prunas ignis, & pedes non comburet? Sic qui intrat ad mulierem proximi ſui, & qui tangit eam non erit innoxius. Vides vt natura cupiditatis; naturam ignis æmuletur? Sicut enim fieri nequit, vt qui tangit ignem non vratur, ita formoſorum vultuum aſpectus, igne celeriùs laſciuè intuentem animam corripit, & velut accenſu facilis quædam materies, ita corpora ſpecioſa laſciuorum oculis ſunt obiecta. Quamobrem aſpectum exteriorem, cupiditatis igni non oportet in alimentum offerre, ſed omni ex parte cohibere illum, cogitationibus piis extinguere, atque vlteriùs graſſantem deflagrationem refrænare, nec animi noſtri conſtantiam ſinere ſupplantari. Sanè quidem voluptas omnis, quo tempore perturbationes prævaluerint, ſolet animum igne vehementiùs inflammare, niſi quis fortiter cum tolerantia fidéque aduerſus ſingulas perturbationes decertet.]

4. Habes ignem nobis domeſticum quo non pauci conflagrant. Porrò hunc ignem acrioribus flammis exardeſcere in illis qui caſtitati addicti

ſunt,

ſunt, egregiè in hunc modum demonſtrat idem Chryſoſt.l.de virgin.c.34.[Si quando in coniugibus " excitatur ardor libidinis, concubitu facilè ſedatur. " Virgo autem non habens vnde ignem reſtinguat, " flammam quidem excitatam & in altum ſublatam " videt:ſed eam extinguere non poteſt.Tantùm verò " relinquitur,vt igni reſiſtens non vratur.Quid igitur " eſt admirabilius,quam vniuerſum geſtare in animo " rogum ardentem, neque comburi? Quàm flam- " mam in intimis animæ partibus verſari, & inte- " gram permanere rationem? Nemo enim illi dat " hanc veniam,vt libidini parens, eiuſmodi carbones " effuſos extinguat.Verùm quod ſcriptor Prouerbio- " rum fieri non poſſe dicit in corpore, id ipſum ani- " mâ virgò cogitur ſuſtinere. Quid igitur inquit ille; " numquid poteſt homo ambulare ſuper prunas, vt " non comburantur plantæ eius? Ecce ambulat ipſa, " & perfert cruciatum. Numquid poteſt quiſquam " abſcondere ignem in ſinu, & veſtimenta eius non " ardeant? At hæc ipſa non veſtibus, ſed intus ignem " continens,furentem & crepitantem flammam,per- " fert & ſuſtinet.] Eſt igitur hæc affectio, flamma " quædam:& eiuſmodi quidem ſunt omnes quoque perturbationes, ſed hæc corporum ad naturæ propagationem commiſcendorũ, iure præcipuo flammæ ſibi quouis igne acriùs ac vehementiùs incendentis, nomen vendicat, vt propterea apud Caſſianum collat.7.c.2. Angelus Sereno Abbati ignitam carnis ſtrumam ex eius viſceribus eximere viſus ſit, cum conceſſa ei diuinitus eſt frœnandæ carnis concupiſcentiæ, facultas expedita, & cuiuſuis conſequentis ea in parte caſus ſecura. In diuino item lexico,carnis concupiſcentiam ignis nomine ſigna-

tam,frequenter legimus:vnde eſt illud apud S. Gregorium l.6.in 1.Reg.c. 1. *Quid eſt libido, niſi ignis.* S.item Cyprianus l.de bono pudic. n. 54. perbellè deſcribit in annis primis virentis ætatis, rudem adhuc ſanguinem æſtuantem,naturæ flammas accendere,& in medullis verſata cæca incendia concitare. Pulcherrimè prætereà Clemẽs Romanus l.9.recog. hunc internum concupiſcentiæ ignem, omnem in nobis ni prouideatur, gratiæ humorem ac virorem depaſci aptum, repræſentat: addens, Chriſtum, vt hanc flammam eſſe doceret, baptiſmi Sacramentum, quod reſtinguendo igni illi addictum eſt, in aquæ elemento inſtituiſſe. Quoddam igitur veluti viui comburium propter Deum ſubit, qui libidinis pyram incenſiſſimam ſuſtinet, diuino rore ſuperfuſo conflagrationem inhibente:non minore miraculo quàm quo olim tres pueri fornacem illæſi ſubiere, & durauere. S. Bernardus in ſententiis in hac
" planè eſt ſententia. Ait enim. [Martyrium ſine
" ſanguine triplex eſt: Parcitas in vbertate quam ha-
" buit Dauid & Iob: largitas in paupertate, quam
" exercuit Tobias & vidua: caſtitas in iuuentute, qua
" vſus eſt Ioſeph in Ægypto] Conſiderauit enim Ioſephum incenſiſſimæ vt S.Chryſoſtomum loquitur, amoris herilis pyræ immiſſum & innoxium. Videſis hoc diligenter librantem Chryſoſtomus homil. 62.in geneſ.& epiſto.8.ad Olympiam.

Martyrij caſtitatis, confirmatio ex ſenſu ſanctorum.

5. Aſtipulatur eidem caſtitatis martyrio S. Hieronimus epiſto. 8. Inducit enim Demetriadem, virginem

ginem ex Anitia familia nobiliſſimam, Chriſti nuptias cogitantem de Probæ auiæ & Iulianæ matris contraria voluntate ſollicitam, animantem ſeſe ad domeſticum certamen, exemplo ſanctæ virginis Agnetis, quæ & ætatem vicit & Tyrannum; quaſi & ipſi de profitenda virginitate conſilium capienti, martyrium incruentum eſſet ſubeundum. Et verò ſtimulos quibus ſeipſam vrgebat ad impigrè perficiendum opus Dei, his poſtremò verbis exacuit. *Habet & pudicitia ſeruata, martyrium ſuum.* Sed quod exemplo ſanctiſſimæ virginis Agnetis, incenſam ad hoc pudicitiæ martyrium Demetriadem prodat S. Hieronimus, iuuat annectere quod à S. Ambroſio l. 1. de virgin. ſcriptum eſt, poſt ſanctæ virgunculæ necem iis coloribus expreſſam quibus apud ſecularis eloquentiæ propolas, vix nitidius quicquam venuſtiuſve, ſit reperire. *Habetis igitur in vna hoſtia duplex martyrium, pudoris & religionis: Et virgo permanſit, & martyrum obtinuit.* Apertè, mellitiſſimus veréque Ambroſius pater, martyrium cruentum, quod ſanctæ virgini ob conſtanter retentam fidem illatum eſt, ſecernit ab incruento pudoris & illibatæ caſtitatis martyrio. Nec obſcuriùs paulo poſt Marcellinam ſororem compellans, gradúmque ſibi ad virginitatis commendationem ex propoſito B. Agnetis exemplo municus, rationem ornandæ eo commentario virginitatis, reddit in hæc verba. *Non ideò laudibilis virginitas quia in martyribus reperitur, ſed quia ipſa martyres faciat.* En virginitas propter Deum ſeruata, martyrem facit. Eſt ille quidem horum verborum non incommodus ſenſus, quod virginitate martyres fieri dixerit Ambroſius, quia ad martyrium pro Chriſti fide tolerandum aptat Chri-

ſtianum animum, iis abſciſſis retinaculis quæ quam plurimos carnali amore irretitos ab ipſo cœli vt ſic dicam veſtibulo, & mortis pro fide ſubeundæ procinctu retraxerunt, quod infra tractans Chriſtianorum martyrum fortitudinem, ex eodem Ambroſio teſtatum faciam. Inſuper tamen & quidem ad Ambroſij mentem congruentiùs, dicitur virginitas martyres facere, *formaliter*, vt ſcholæ phraſim retineam, hoc eſt per ſeipſam: quia cum martyrium quoddam ſit ſeruata pudicitia, vt cum Hieronimo paulo ante loquebar, martyrem conſtituit quemcunque exornat.

6. Eadem S. Auguſtino mens ſer. 250. de temp. vbi de quotidiano & iugi caſtitatis certamine déque pacis noſtrę martyribus, aliqua præfatus, ſubdit. [Chri-
« ſtianis quotidiana martyria deeſſe non poſſunt. Si e-
« nim caſtitas, & veritas, & iuſtitia Chriſtus eſt, ſic &
« ille qui eis inſidiatur perſecutor eſt, & ille, qui hæc
« & in aliis defendere & in ſe cuſtodire voluerit, mar-
« tyr erit. Et ideò qui hæc tota animi virtute, & ipſe
« diligit, & vt alij diligant, & verbis ſimul, & exemplis
« oſtendit, & vbicunque veritas, vel iuſtitia ſiue caſti-
« tas laborant, quantum præualet, ſe etiam vltro iugi-
« ter, & ſecundum quòd vires habuerit, defendere
« contendit, non vnam ſed plures coronas à Deo
« remunerãte percipiet.] Eadem verbatim apud eundem D. Auguſtinum iterantur t. 9. libello qui titutulum præfert, *de honeſtate mulierum*, cum inſcribendus potiùs fuerit, *de cauenda familiaritate mulierum.* Bernardus quoque martyrium hoc caſtigatæ carnis laſciuiæ per caſtimoniam, & ſententia proximè laudata celebrauit, & ſerm. 1. in Octaua Paſchæ, vbi hoc vocat quotidianum martyrium, & quandam ſangui-

nis

nis effuſionem. Eius verba in ſententia allegata, deſcripſit S. Bonauentura in pſal. 118. An eo etiam reſpexiſſe dixerim Leonem & Conſtantinum Auguſtos in iure Græco Rom. cum mandant Presbyteros & Diaconos aſſumi ἐν παρθενίᾳ μεμαρτυρημένους? Quamuis enim eam vocem ſonare teſtatam caſtimoniam, poſſit videri, æquè tamen referri poteſt ad caſtitatis martyrium, perinde ac ſi dixiſſent, *caſtitatis martyres.*

Scripturæ quædam ad idem inſtitutum.

7. Expreſſum id volunt graues ſcriptores ea viſione qua apud Zachariam c. 1. deſcribitur vir aſcendens ſuper equum ruffum, & ſtans inter myrteta quæ erant in profundo, poſt quem equi ruffi varij & albi ſequebantur. Equitem illum Petrus Cellenſis l. de panibus c. 23. latè & pulchrè, Chriſtum martyrum principem interpretatur. Humanitati namque verbum diuinum tanquam eques equo inſedit, eam regens dirigénſque, vt ſolet equum ſeſſor. Quorſum autem equus iſte ruffus dicatur, S. Ambroſius libro acephalo de fide reſurrectionis eleganter exponit, de humanitate Chriſti idcirco ruffa, quod eſſet ad martyrium deſtinata, & fuſo ſanguine quandoque rubricanda. Hunc ergo equitem ruffo equo inſidentem, Chriſtum inquam martyrum principem, ſequuntur equi alij ruffi, & varij, & albi: quod S. Ambroſius ibidem de variis Sanctorum ordinibus Chriſto duci ſuccenturiatis accipit. Commodiſſimè verò, vt comitatus Duci cui comitatur reſpondeat, & glorioſo martyrum Regi in equo ruffo ſedenti comites adiungantur martyres;

res;ſpecie equitum ruffoꝛum,deſignati intelliguntur martyres,qui ſuſo ſanguine teſtimonium Deo præſtant.quod ad eorum alacritatem in mortis generoſa aditione refert S. Hieron. circa illud Zachar. 10. *poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello.* Specie verò equitum variorum,rubeis quibuſdam veluti maculis intermicantium, ij notati ſunt qui variis exerciti ærumnis in numinis obſequio, Euangelicæ veritati per patientiam atteſtantur.Specie denique equitum albatorum, expreſſi ſunt qui nitentes ac puri ob ſeruatam pudicitiam, continuum cum ſeipſis bellum gerentes, laſciuiam carnis trucidant. Tametſi enim ſpecie externa prorſus albent;tamen hic albor pro rubore & cruore habendus eſt: quod in iis qui caſtitati ſtudent,gladius generoſi propoſiti, adactus intra ſpiritus viſcera,& carnis laſciuientis confoſſio, ſpiritus diuini virtute perfecta,colorem illum concilient.

Confoßio hominis per caſtitatem.

8. Hanc adactionem gladij ſpiritus, & vitalem hominis confoſſionem per caſtitatem, confirmare licet ex hiſtoria Iephte, cuius filiam Doctores non ignobiles cenſuerunt eatenùs tantùm in Dei honorem à Patre confoſſam, quatenus perpetuæ virginitati mancipata,eo lethi genere obtruncata eſt, quo caro repreſſa,laſciuiæ ac petulantiæ moritur,myſticéque mactatur.Eam quippe expoſitionem tametſi non omnibus probatam,non tamen prorſus eſſe aſpernandam, ex eo liquet, quod à non paucis nec planè obſcuris ſcriptoribus ſit tradita. Deinde quod iis difficultatibus libera ſit in quas induunt

ſeſe

ſeſe qui factum Iephthe de reali trucidatione filiæ interpretantur:quem in eo facto naturæ iura reuulſurum, & immaniter peccaturum fuiſſe, dubitare non licet, cum tamen apud Apoſtolum ab inſigni fide,(vtique viua & per charitatem formata,animatáque,) celebretur. Poſtremò S. Ambroſius in exhortat. ad Virgines cum deſcripſiſſet mactationem filiæ Iephthe; *hæc vobis* (inquit) *filiæ ſunt communia.* Vt vt verò ſe habuerit ea filiæ Iephthe mactatio, carnis per ſpiritus machæram tranſfixio, veréque vitalis mors exterioris hominis inde conſequens, ſexcenties eóque ampliùs, celebratur in ſcripturis, quibus monemur mortificare membra noſtra quæ ſunt ſuper terram, & exhibere nos hoſtiam viuam. Denunciantur verò maledicti, qui abſtinent manus ſuas à ſanguine, id eſt à ſui ipſorum myſtica trucidatione vt his verbis præclarè expoſuit Abbas Piſnutius apud Caſſianum collat.20. c.8. deſcribens varios modos abſtergendi peccatorum reliquias ſéque nitentem ac purum præſtandi. [Quia ſicut ſcriptum eſt, ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio: (Nec immeritò: Caro enim " & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.) " Ideò quiſquis ab huius ſanguinis effuſione gladium " ſpiritus quod eſt verbum Dei voluerit inhibere, " abſque dubio illa Ieremiæ Prophetæ maledictione " plectetur. Maledictus qui prohibet gladium ſuum " à ſanguine. Hic namque eſt gladius, qui illum no- " xium ſanguinem quo animatur materia peccato- " rum, ſalubriter fundens, quidquid repererit in " membris noſtris carnale, terrenúmve concretum, " reſecat & abſcinſtit.] Pertinet ad hanc rem illud " quaſi effatum antiqui illius patris quod celebrat

S. Do

S.Doroth.doct.1 o.*da ſanguinem*,id eſt certa, mortificare, carnem doma; *& habebis ſpiritum.*

9. Ex his perſpicuè apparet, quæ ſit ratio quamobrem pudicitia ſeruata martyrium ſuum habere dicatur. Continet enim quandam interni hominis veluti trucidationem, quæ pro eo amore quo vnuſquiſque carnem ſuam fouet, non poteſt abſque horrore aliquo & ardua colluctatione patrari. Deſignabátque huiuſmodi occiſionem Petrus Damiani l. 6. epiſt. 22. laudans illud nepotis ſui ſancto in ſeipſum & carnem ſuam odio acti. *Caro me conatur occidere, ſed ego eam potius occidam*, non materiali ferro, & agente rabie, ſed cultro ſpiritus infixo & ordinata in ſeipſum charitate ſtimulante. Vnde exiſtit funus illud humanæ ſubſtantiæ, quòd in vertice titulorum caſtitatis collocat autor libri de ſingularit. Clericorum, ſiue is ſit Origenes ſiue Ruffinus; Non eſt abs re, inſignem tot caſtitatis decorum aceruationem, veluti ſerti fragrantiſſimi odorem lectori hic inhalare, quod ſupremam inter tot illuſtria ornamenta ſedem, occupet illud quod dixi, funeris humanæ ſubſtantiæ, atque adeò incruenti martyrij, in quo illuſtrando laboramus. [Caſtitas (inquit) munimen inuictum eſt ſanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, & laſciuiæ petulantis infirmitas, probitatis præſidium, & improbitatis excidium; animæ victoria, & corporis præda; vbertas gloriarum, & ſterilitas criminum; pronuba ſanctitatis, & repudium turpitudinis; ſinceritatis indicium, & abolitio ſcandalorum; exercitium continentiæ, & euacuatio tota luxuriæ; pax ſecura virtutum, & debellatio inquieta bellorum; puritatis

tatis culmen, & libidinis carcer; honeſtatis portus, & ignominiæ naufragabilis locus; virginitatis mater, & hoſtis immunditiæ; lorica pudoris, & ſpolium probroſitatis; corruptionis exitium, murus rigoris, & deſtructio vulgaritatis; ſeueritatis gladius triumphator; & diſſolutionis occiſor; armatura virium, & exarmatura fluxorum, integritatis dignitas; & fornicationis addictio; claritatis faſtigium, & dedecoris præcipitium: voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum; refrigerium pudicitiæ, pœna petulantiæ; acquiſitio triumphorum, & facinorum detrimentum; perditionis exilium; vita ſpiritus, & carnis interitus; ſtatus qualitatis angelicæ, funus humanæ ſubſtantiæ.]

Collatio martyrij caſtitatis cum martyrio cruento.

10. Hæc ſunt quæ caſtitatem martyrij genus eſſe, aſtruere videntur, & confirmare non ſecunda aut proxima à martyrio ſede, vt ex S. Cypriano initio capitis referebam, ſed aliquatenus eadem eſſe ſtatuendam: ſiue vtriúſque dignitatem & gradum in Dei Eccleſia ſpectes, ſiue rependendam in futura vita gloriam, vitæ huius decoribus ritè conſtitutis admenſam. Verùm Beda lib. 2. de tabernac. c.4. non contentus caſtitatem martyrio adiunxiſſe, vlteriùs etiam prouehit. In myſtica namque operimentorum Moſaici tabernaculi tractatione, quod iubebatur Moſes de pellibus arietum rubricatis tabernaculum regere accommodans ad cruentam mortem iuſtorum, qui aliis duces ad ſanctitatem

ac omnem virtutem fuerunt: pelles iacinthynas ex quibus iuſſus eſt Moſes alterum operimentum priori ſuperducendum conficere, interpretatur eos qui cœleſtis conuerſationis amore, pellem ſuam & carnem, caſtitatis cultro mortificant, eximúntque à carnis concretione. Quos ſupra pelles rubricatas martyrum, ſtatui in diuino tabernaculo tradit, eo quod ſummorum & difficillimorum certaminum, par ſit ſummum eſſe decus in Dei Eccleſia. At difficillima eſſe caſtitatis certamina, nemini eſt incompertum, & S. Auguſtinus ſerm. 250.
« de tempore his verbis prodidit. [Inter omnia Chri-
« ſtianorum certamina, ſola duriora ſunt prælia ca-
« ſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria.
« Grauem caſtitas ſortita eſt inimicum qui quotidie vincitur & timetur.] S. item Chryſoſtomus l. de virginit. c. 27. potentiſſimè de more ac illuſtriſſimè.
« Noui virginitatis vim: noui huius certaminis con-
« tentionem. Quantum hoc habeat prælium difficul-
« tatis, intelligo. Vehementi quodam & forti animo
« opus eſt, & qui nullum habeat ſenſum voluptatis:
« Quandoquidem per candentes carbones, vt non
« aduraris; per mucrones gladiorum, vt non ſaucie-
« ris, eſt incedendnm. Ea eſt enim libidinis vis, vt
« cum igni & ferro conferatur. Quod niſi ſic anima
« comparata fuerit, vt ne illius quidem doloribus
« moueatur, ſe ipſam facilè perdat. Quamobrem
« adamantina quadam rationis vi, oculis nunquam
« ſomno conniuentibus, ſumma tolerantia, muris
« etiam firmis; muris inquam nobis opus eſt, atque
« repagulis quibus extrinſecús muniamur; vigilan-
« tibus præterea fortibúſque cuſtodibus, inprimis
« verò diuinæ gratiæ egemus adiumento.] Ex tanta
certa

certaminis arduitate, de coronæ præcellentia, & an rectè incruentum caſtitatis martyrium aliquatenus cum cruento committatur, pronunciandum eſt, ſalua tamen ſemper cruento, prærogatiua dignitatis ſimpliciter dicta, quam in Eccleſia eſſe exploratam S. Auguſtinus affirmat l.de ſancta virginit. c.45.

Martyrium mortificationis, nexum cum martyrio caſtitatis.

11. Exoluit porrò me hæc aliqualis illuſtratio martyrij caſtitatis, labore excurrendi in aliud item incruentum martyrij genus, quod memorat Petrus Bleſenſis ſerm. 38. carnis ſcilicet macerationem. Suffragatúrque S.Bernardus ſerm.30.in Cant. qui genus martyrij ſtatuit, ſpiritu facta carnis mortificare: Et illud Chriſti apud Matthæum c.16. *Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam*, quod eſt Euangelicum veluti diploma, prærogatiuarum veri martyrij, ad hanc quoque carnis afflictionem, vult pertinere. Sed & ſerm.1. in octaua Paſchæ hoc eſſe ait quotidianum martyrium & quandam ſanguinis effuſionem. Húcque accommodans illud 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant io terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis*, carnis mortificatione, teſtimonium ſanguinis contineri interpretatur. Labore igitur excurrendi in hoc martyrium, exſolutum me video, illuſtratione martyrij caſtitatis, ad quam velut ad finem, corporis caſtigatio refertur: vt proinde nihil ſit neceſſe, ſeorſim à fine, de hoc eius medio, non niſi finis radiis collucente, plura addere. Quanquam

apud S.Brigitam lib.4.reuelat.c.17. martyrij ſplendor non in ea tantum mortificatione agnoſcitur quæ refertur ad caſtitatem, ſed in alia quacunque. Locus eſt pulcherrimus quem appono huic capiti
« clauſulam. [Si aliquis eſt in honore & deliciis, &
« cogitat ſic; Ecce ego abundo in omnibus & pauper
« deficit, & tamen vnus Deus eſt omnium. Quid
« promerui ego, & quid demeruit ille? Quid verò
« eſt caro niſi cibus vermium? Quid verò tot deli-
« ciæ niſi nauſeæ & occaſio infirmitatis, perditio
« temporis & peccati inductiuum? Ideò refrenabo
« carnem meam ne in ea vermes laſciuiant; ne gra-
« uius iudicium ſubeam, ne tempus pœnitentiæ
« inaniter expendam. Et ſi fortè caro malè educata
« non poterit faciliter flecti ad groſſiora, vt pauper
« ſubtraham tamen ei paulatim delicatiora aliqua ſi-
« ne quibus bene poteſt ſubſiſtere, vt neceſſitatem
« habeat non ſuperfluitatem. Quicunque ergò ſic
« cogitat, Et faciendo conatur quantum poteſt, hic
« & confeſſor & martyr vocari poteſt, quia martyrij
« genus eſt, delicias habere, & deliciis non vti. In
« honore eſſe, & honorem contemnere: Magnum
« eſſe apud homines, & minima ſentire de ſeipſo.]

CAPVT V.

Martyrium condolentiæ.

1. DE hoc martyrio ita ſcribit Petrus Bleſenſis ſerm. 38. *Tria ſunt genera martyrij. In ſanguinis effuſione, in carnis maceratione, in proximi compaſsione.* At apud Bernardum in ſententiis, è triplici item martyrio, vnum ſtatuitur *largitas in* pauper

paupertate, quod Tobiæ & viduæ adſcribitur. Quaſi non omnis compaſſio & condolentia martyrium ſit appellanda, ſed duntaxat quæ efficax eſt, & ſubuentionem adiunctam habet, præſertim cum aliquo condolentis incommodo exertam. Nec enim dubium eſſe poteſt, quin veluti prærogatiua quadam, martyrij nomen præ illa alia condolentia, ſiue ſterili, ſiue cum nullo condolentis incommodo coniuncta, ferat hæc quæ non de ſuperfluo, ſed de neceſſariis impenditur: quod Tobias & vidua præſtiterunt. Quia tamen omnis condolentia eiuſdem eſt rationis, & quæ verè nomen illud præfert, cum ſuppetit facultas, non ſiſtit intra inertem opitulandi voluntatem, ſterilémque de alieno malo mœrorem, ſed manum operi admouet, abſolutè in condolentia rationem alicuius martyrij agnoſco, vt à Bleſenſi factum retuli: præſertim quia quod ad ſubuentionem attinet, S. Gregorius 10. moral. c. 26. & 27. ita eam cum vera condolentia nexam aptámque eſſe demonſtrat, vt diuelli nequeant, cum ſubueniendi facultas ſuppetit: cum verò deeſt, pluris quandoque æſtimanda ſit, quàm externus actus quem pareret, ſi potis eſſet.

LYON 1896

Opes, ſanguis hominis.

1. Scrutanti autem mihi, quorſum condolentia, & rerum ſuarum per eam cum miſero communicatio, martyrium dicta ſit, duæ ſuccurrunt cauſæ: vna ex parte opum quæ in ſubuentionem egentium effunduntur: altera ex parte affectus, ipſiúſve condolentiæ. Prior vt perſpiciatur, animaduertendum eſt, opes non rarò ſanguine ſignari ac etiam ipſo ſan-

guinis nomine plerunque denotari. Priſcus Comicus apud Stobæum ſer. 91. diſertè ita habet. [Argentum, hominibus ſanguis & anima eſt: Id quiſquis non habet, neque poſſidet, ille inter viuos mortuus obambulat.] Sed & Heſiodus carmine quod inſcripſit, *Opera*, idem profeſſus eſt, cum dixit. [Pecuniæ anima ſunt miſeris hominibus.] Videri etiam poſſit Sophocles eodem reſpexiſſe, cum ab opibus conciliari homini bonum colorem, & faciei totiúſque corporis venuſtatem, dixit. Ea enim venuſtas ex conuenienti ſanguinis affluxu & temperatione exiſtit. Præterea in Plauti Curculione, lupæ effrænium iuuenum crumenam emungentes, ſanguinem eorum ebibere dicuntur. Inſigniter verò in hanc rem Artemidorus l. 1. onirocrit. c. 35. [Sanguinem vomere, multum & boni coloris, & non corruptum, bonum eſt pauperi: acquiſitionem enim ſignificat, & abundantiam pecuniarum. Eadem enim ratio ſanguinis & argenti eſt, velut etiam veteres prodiderunt.] Concinit quod ex Achmete habetur c. 31.] Sciendum eſt, quod quemadmodum capilli vires & diuitias hominis ſignificant, ſic etiam & ſanguis, ſed & multo magis, diuitias denotat.] Hinc illa non ignobilis Poëtæ in pragmaticos ærufcatores intorta, hirudinis ſiue ſanguiſugæ comparatio, quam metro & proſa proſequitur in ſuo pegmate.

Plus iuſto ſitiens, vitalis hirudo cruoris,
Pallentem mittit non niſi plena cutem.
Nouit pragmaticus cauſas differre clientis,
Sanguine ab humano, non niſi paſtus abit.

Præiuerat Epiſcoporum Magiſter l. 5. de prouid.

referens

referens Bagaudarum defectionem ad Gothos, in eos. [Qui exactionis publicæ nomen in quæſtus proprij emolumenta verterant, & indictiones tributarias, prædas ſuas eſſe fecerant. Qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum, non rexerant traditos ſibi ſed deuorarant: nec ſpoliis tantùm hominum, vt pleríque latrones ſolent, ſed laceratione etiam, & SANGVINE PASCEBANTVR.] Sed & Sidonius Apollinaris l. 2. epiſt. 1. agens de Seronati crudeliſſimi Aruernorum expilatoris rapacitatibus, ſic de eo ad Ecdicium ſcribit. [Rediit ipſe Catilina ſeculi noſtri nuper turribus, vt ſanguinem fortunáſque miſerorum, quas ille ibi ex parte propinauerat, hîc ex aſſe miſceret.]

3. Nec refugit eum loquendi modum ſermo diuinus. Hoc enim eſt, quod Abacuc veh denunciat ædificanti ciuitatem in ſanguinibus, & præparanti vrbem in iniquitate. Id eſt ex pauperum oppreſſione, quorum veluti ſanguis per potentiores exſugitur. Ieremias item c. 2. refert Deum cum Iſraële expoſtulantem atque dicentem. *Malitias tuas docuiſti vias tuas, & in alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum:* quas ſcilicet facultatibus ſuis expoliaſti. Quo eodem ſenſu Nahum c. 3. exclamat *Veh ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilaceratione plena, non recedet à te rapina.* Quaſi diceret rapuiſti, rapiens; ſanguinem pauperum ſuxiſti, indéque ſucci plena & benè colorata apparuiſti; alij te ſugent: nec ſugent modò ſed & lacerabunt atque diſcerpent, ita vt effluat vniuerſus ſanguis tuus, & ad ſummam paupertem omnibus ſpoliata redigaris. Nolo in ſimilibus locis congerendis hærere. Non patior tamen premi hor-

 tendum

rendum exemplum quod in huius rei illuſtrationem extat in S. Franciſci de Paula rebus geſtis lib. 1. §. 11. Refertur eo loco, virum ſanctum Neapolim cum veniſſet, à Ferdinando Rege non perinde ac priuatum aliquem vel tenuis ſortis hominem, (cuiuſmodi externa ſpecie erat S. Franciſcus,) ſed iiſdem honoribus quibus magni Principes ſolent, exceptum eſſe, ipſius Regiæ vſum hoſpitio, negante Rege paſſurum ſe vt ad alium diuerteret vir ſanctus. Munera autem eo animo & principatu digna, cum Rex offerret in bonum religioſæ familiæ recens à viro ſancto tunc conſtitutæ, negauit ſe accepturum, ſatiúſque Regi fore conteſtatus eſt, aliena ſi reſtitueret, quàm ſi adeò magnificè vel etiam prodigè profunderet malè parta. Suboffenſo Regi, & neganti quicquam apud ſe eſſe alienum, repoſuit Beatus pater, eas ipſas pecunias quas obtruderet, pauperum ſanguinem eſſe, quem exaggeratis tributorum penſitationibus exſuxiſſet. Fidémque dicto fecit, correpto nummo ex ſumma quæ offerebatur, & diffracto in duas partes, è quibus plurimus illico ſanguis manauit.

4. Qua verò ex cauſa, ſanguinis nomen ſit facultatibus datum, variæ cauſæ coniectari poſſunt. Nam & ſanguis vitæ ſymbolum eſt, vt propterea in Scripturis anima in ſanguine eſſe dicatur: & facultates vita ipſa quodammodò eſſe videntur, cum per eas foueatur & exigatur vita. Adhæc ſanguinis nomine veniunt plerumque labores grauiſſimi, atque pericula adita in rei alicuius comparatione: vt propterea Dauid libans Domino aquam è Bethleemitica ciſterna hauſtam, dixerit nolle ſe ſtrenuiſſimorum militum ſanguinem bibere: & Panegyri-

ſtes

ſtes imperatorium paludamentum idcirco rubrum eſſe dixerit, quod milîtum ſanguine, id eſt iugibus periculis atque laboribus circundatum eſſet Imperatori. At opes nō ſine innumeris laboribus & periculis parantur, vel etiam angoribus partus dolores ſuperantibus pariuntur. Nam & inde dici, *partas opes*, S. Auguſtinus obſeruauit. Fortaſſis etiam quod ſanguis ſit peccati ſymbolum, vnde illæ voces, *libera me de ſanguinibus*; & *ſanguis ſanguinem tetigit*; transfuſa eſt ſanguinis denominatio ad opes, quod vt plurimùm ſint partus iniuſtitiæ & mammona iniquitatis. *Omnis quippe diues, aut iniquus aut iniqui hæres* iuxta priſcum effatum. Poſſis denique cum Bernardo dicere in ſententiis ſub finem, ſanguine deſignari ſummam votorum & deſideriorum humanorum. [Sanguis (inquit) animæ meæ, voluntas « mea. Naturæ ſiquidem cognatus præ cæteris hu- « moribus ſanguis dicitur, & animæ vita in volunta- « te eſt.] Quo autem aliò collimant ſtudia morta- « lium, quàm ad opes parandas, & nullo ſtato fine exaggerandas? Quæcunque porrò harum cauſarum placeat, aut quæuis alia, ſatis ſupérque eſt ad rem præſentem, quod facultates quibus erogandis aliena calamitas leuatur, & condolentia efficax expromitur, nomine ſanguinis cum in ſcripturis tum in communi vſu atque ſermone deſignentur.

Effuſio opum, in Dei gratiam, ſanguinis effuſio, atque martyrium.

5. Hinc perſpicuè eruitur ratio ex parte ſubuéctionis & doni, cur à patribus quos proferebam condolētia de alieno malo, ad illud ſubleuādum accincta,

martyrium, nominetur. Continet enim quandam veluti ſanguinis effuſionem propter Deum. Neque verò pleríſque mortalium charior eſt ſanguis, quàm opes; ſed eadem parcitate de venis ſuis ſanguinem profundunt, & aurum è crumena. Eodem doloris ſenſu, effluere ſibi ſanguinem, & imminui res ſuas ferunt. Quo laudabilior, & vt arduitatis ſic gloriæ plenior videri debet eorũ generoſitas, qui alienam egeſtatem ſubleuare; rei ſibi adeò pretioſæ profuſione non dubitant: & præſertim cum de ſua tenuitate aliquid acciſum volunt in alterius ſolatiũ: quòd à vidua Chriſto ipſo præcone celebrata, & à Tobia per *magnanimitatẽ deuotionis*, vt loquitur Saluianus lib. 1. ad Eccleſ. *præcepta legis excedente, & indigentibus vſque ad indigentiam ſuam conſulente*, per tempus tenuitatis ſuæ factum referebam, tanquam ad martyrium pertinens iudice Bernardo. Hoc enim perinde eſſe videtur, ac ſubſtantiam ipſam ſuam in alterius gratiam perdere. Nam etiam facultates, *ſubſtantiæ* nomine venire liquet ex c. 15. Lucæ, vbi adoleſcentior filius patrem popoſcit ſubſtantiæ ſuæ portionem; id'eſt partem facultatum, quas ibi Euangeliſta ſubſtantiæ nomine, Græcè οὐσία, notatas voluit: quaſi hæc ſit hominis ſubſtantia aut eſſentia, vt Latinus ſcriptor Marius Victorinus eum locum allegat l. 1. contra Arrium. Quid quod paulo poſt in eadem parabola, additur in editione vulgata, *& diuiſit illis ſubſtantiam*. Græca habent, καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον, quod ad verbum vertas, *diuiſit illis vitam*. Quaſi opes ſint vita ipſa, quod hæc ſine opibus miſerrimè tranſigenda eſſet, nec vitæ ſed mortis rationem habitura, vt ex Antiphane dicere ſupra memini. Suam igitur ſubſtan-

tiam,

tiam, ſuam eſſentiam, & vitam, in aliorum quibus condolent bonum, impendere videntur, qui aliis efficaciter condolent, ideóque non incongrue martyrum nomen referre videri debent. Quod inſinuat S. Cyprianus in calce tractatus de opere & eleemoſinis, vbi elargitioni facultatum ſuarum qua in agone iuſtitiæ, Deo & Chriſto ſpectante curritur, reſpődere ait, ſine periculo perſecutionis, carmen pacis, & hũc eſſe *operum*(ita vocat eo libro eleemoſinas) agonem, & operum ſalutarium palmam, ad quam libenter ac promptè certandum ſit.

Qui condolet, altero ſe cruciatu onerat, & fit martyr.

6. Alia ratio eiuſdem denominationis, duci poteſt ex ipſo condolentiæ affectu, cuius ea eſt vis, vt alienum malum refundat in condolentem, eúmque in illômet ſtatu aliquatenus collocet, in quo eſt is cui condolet. Quod optimè attigit S. Gregorius 20. moral. c. 26. docens tum demum aliquem afflicto perfectè ſubuenire, ſi [cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in ſe animum ſumit, vt priùs in ſe dolentis paſſionem transferat, & tunc contra dolorem illius per miniſterium concurrat.] Háncque ſubueniendi & condolendi formam expreſſiſſe in ſe Chriſtum Dominum, qui malum quod à nobis depellere aggrediebatur, mortem inquam & reliquos peccati frutices, in ſe admiſit, peccato & ignorantia ſecluſis. Et ſanè quod hominem malè afficit, per modum formæ & morſus actualis, atque adeò formaliter & in actu ſecundo, non eſt obiectum diſconueniens, ſed morſus ille

doloris, qui in appetitu ex perceptione obiecti diſconuenientis per externos internóſque ſenſus facta, reſultat. Vnde ſi admoto obiecto noxio, facultas perceptiua ſtuperet, vel appetitus obrigeſceret, nec excuderet actum doloris; malum admotum perinde ſe haberet ac ſi procul abeſſet, nec homo malè affici vel cruciari diceretur. Habet quidem obiectum diſconueniens rationem principij doloris, nec aliud eſt dolor quàm reſultus appetitus ab eo principio & actu primo. Id tamen quod formaliter & in actu ſecundo cruciat, ſiue angor ipſe & cruciatus, in morſu doloris conſiſtit.

Qui itaque dolore alieni mali volens tangitur, transfert in ſe quodammodò alienum malum; quatenus ſibi infert actum ſecundum quo alius formaliter conſtituitur dolens, quod eſt eius malo formali & vltimo communicare, & quod alteri ſoli inexiſtebat ad ſe transferre: præter ſocietatem in principio mali illius formalis, ſiue in obiecto quod per condolentiam velut ſuum apprehendit, procreata per charitatem quadam inter duos coniunctione & vnitate, & ſibi attributis iis quæ alterum malè habere & cruciare videt. Inde illa ſubleuatio quam mœrentes percipiunt cum alios condolentes experiuntur. Exonerant enim partem mœroris in alios quos condolentes aduertunt, vt eſt apud Ariſtotelem 9. Et hic.c. 11. vbi additur eam ob cauſam magno & forti animo viros, non pati amicos in partem ſecum doloris venire; & idcirco nolle amicis mala ſua aperire, aut ſimulare leuiora eſſe quàm ſint, ſpem vultu ſimulantes, & altum corde dolorem prementes, ne dum eo modo ærumnarum parte ſe leuant, ea amicum grauent, quod

eſt

eſt ab amicitiæ puritate diſſentaneum. Condolere igitur alteri ærumnjs preſſo, eſt eius in ſe ærumnas & miſeriam transfundere, & ei malo vltrò ſubiacere, quod alterum fortè reluctantem & inuitum cruciat. Vnde ſicut graues ærumnæ ad martyrium latè dictum ſunt ſatis, ita & earum per condolentiam transfuſio in alium, non incongruè martyris appellatione honeſtata videtur.

7. Collaudat ex hoc martyrio Apoſtolum S. Chryſoſtomus tractans illud 2. Cor. 11. *quis infirmatur, & ego non infirmor?* homil. in eam epiſt. 20. Ait enim. [Non dixit non communico mœſtitiæ, ſed quaſi in ipſa paſſione eſſem, & in ipſa infirmitate, ſic conturbor & commoueor. Quis offenditur, & ego non vror? Vide quanta excellentia doloris? Quomodò apparet vſtionem nominans? Accendor, vror, inquit; quod certè omnium maximum eſt. Nam illa quidem licet ſint violenta, recedunt tamen ſtatim, & voluptatem habent immarceſcibilem. Hoc autem erat quod tribulabat ipſum & angebat, ac ſauciabat eius mentem, quòd in ſingulis infirmis hæc pateretur quicunque illi eſſent. Non enim de maioribus quidem dicebat, minores autem deſpiciebat, ſed etiam abiectum inter neceſſarios ponebat. Ideò dicebat, quis infirmatur, quiſquis fuerit: Et quaſi ipſe eſſet Eccleſia, quæ in toto orbe, ſic in ſingulis dolebat membris.] Hoc ait fuiſſe *anima diſcerpi & mente diſſecari*, ac proinde quoddam animi nec leue martyrium ſubire, agíque in crucem. Quod S. Gregorius hom. 32. in Euang. illud Chriſti verſans *qui vult venire poſt me tollat crucem ſuam*, optimè expreſſit verbis illis, [Duobus modis crux tollitur, cùm aut

« per abſtinentiam afficitur corpus, aut per compaſ-
« ſionem proximi affligitur animus. Penſemus qua-
« liter vtróque modo Paulus crucem ſuam tulerat,
« qui dicebat: Caſtigo corpus meum & in ſeruitu-
« tem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipſe repro-
« bus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus
« crucem carnis. Audiamus nunc in compaſſione
« proximi, crucem mentis. Ait enim: quis infirma-
« tur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, &
« ego non vror? Perfectus quippe prædicator vt
« exemplum daret abſtinentiæ, crucem portabat in
« corpore. Et quia in ſe trahebat damna infirmitatis
« alienæ, crucem portabat in corde.]

8. S. Martinum Seuerus Sulpitius epiſto. 2. hoc martyrij genere perfunctum agnoſcit. Multa enim præfatus de eius ad martyrium præparatione, & voluntate ſubeundi pro Deo quæcunque tormenta,
« ſubdit. [Sed quanquam iſta non tulerit, impleuit
« tamen etiam ſine cruore martyrium. Nam quas ille
« pro ſpe æternitatis humanorum dolorum non per-
« tulit paſſiones, fame, vigiliis, nuditate, ieiuniis, op-
« probriis inuidorum, inſectationibus improborum,
« cura pro infirmantibus, ſollicitudine pro periclitan-
« tibus. Quo enim ille dolente non doluit? Quo ſcan-
« dalizante non vſtus eſt? quo pereunte non gemuit?]
Sed & Laurentius Iuſtinianus ſerm. de S. Martino,
« varia ſancti Antiſtitis recenſens martyria, hoc non
« omiſit. [Erat planè (*inquit*) & hoc ſingulare marty-
« rium, vt cum infirmantibus in fide, pariter infirma-
« retur, & cùm ſe ſcandalizantibus ipſe quoque com-
« paſſionis vreretur affectu. Audi ſine ferro martyrem
« ex ſola charitate morientem: quotidie (inquit Pau-
« lus) morior propter gloriam veſtram fratres, quæ
eſt

eſt in Chriſto. Alibi etiam aiebat. Cupio impendi « & ſuperimpendi pro ſalute veſtra. Meritò itaque « Sancto huic, martyrij non eſt deneganda corona, « qui eccleſiarum curam gerens, ac proximorum « ſalutem zelans,nec mori timuit, nec viuere recuſa- « uit.] Idem perpulchrè ad calcem ſermonis de S. « Laurentio, duplex ſauctiſſimi illius leuitæ martyrium diſtinguit:alterum quo toſtus eſt corpore,impoſitus craticulæ; alterum quo reſecta habendi cupiditate,eoque igne amoris terrenorum quo plerique omes conflagrant, in ſe reſtincto, effudit in pauperes liberaliter quæ concredita habebat:Vigere enim ait in nobis cupiditátis flammam quam qui non reſtinguunt eleemoſinarum largitione, ignem à ſe diuinæ charitatis procul amouent,expertéſque fiunt illius vt vocat.inſignis martyrij, quod in cohibendis vitiorum motibus, & reſecandis cupidiatum pruritibus,ſitum eſt.

9.Non omitto, quæ de huius ſpiritualis martyrij gloria,tradit Petrus Damiani ſerm.de S.Eleuchadio Rauénatium Epiſcopo & Confeſſore, cui martyrij titulum hoc modo arrogat. [Neque verò cre- « dendum eſt fratres mei,B.Eleuchadium dum adhuc « viueret, martyrij caruiſſe laboribus, etſi non fuerit « martyrio conſummatus. Videbat nimirum Gentili- « tatis nuper extinctæ, nonnullas adhuc ſupereſſe re- « liquias.Dolebat in populo ſibi commiſſo,vel extre- « ma ſuperſtitioſi ritus veſtigia remanſiſſe. Atque « adeò licet perſequentium manus,gladios non exer- « ceret, cruciabatur anima ſancta pij teli ac paternæ « compaſſionis incendio concremata. Quid enim « prodeſt,ſi quiſquam Catholicè credat,& Gentilíter « viuat?Aut quomodò credulitas recta,cum vita con- «

cordat

« cordat hæretica? Quid enim iuuat, ſi fides adſit « Apoſtolica, vbi conuerſatio ducitur Arriana? De iis « enim qui Catholicè credunt, & hæreticè viuunt, « conqueritur B. Apoſtolus dicens: *Confitentur ſe noſſe* « *Deum, factis autem negant*: cum ſiue credendo, ſiue « viuendo, Deum negare, nihil ſit aliud abſque dubio « quàm perire. Quapropter B. Pontifex Eleuchadius, « non contemnendum pertulit in ipſa Eccleſiæ pace « martyrium: Quandoquidem etſi non cum perfidè « credentibus, ſed peruersè viuentibus, infœderabi- « lem probatur habuiſſe conflictum.] Et ſcilicet, vt proximè dictum eſt, de proximorum maximo malo, tanta commiſeratione tactus eſt. Iunxi condolentiam de ſpirituali egeſtate, & eius ſubleuandæ voluntatem, qua Apoſtolus & Apoſtolici viri proximè adducti flagrabant, cum commiſeratione de temporali egeſtate, & eius leuandæ cura de qua primo loco: Quia quamuis eleæmoſina corporea notior ſit atque vulgatior, illam tamen quæ ſpirituali ſubuentione continetur, longè pretioſiſſimam & Deo aceptiſſimam eſſe, demonſtrat Richardus Victorinus l.1. de erudit interio. hom. cap. 38. & breuiter ſimul ac optimè S. Dorotheus doct. 15. num. 25. qui argumentatur ex tanto maiore animæ quàm corporis pretio, & miſerabiliore egeſtate.

CAPVT VI.

Martyret ſeculi.

1. OPportunum videtur quando martyrij latè dicti ambitus de communi ſenſu & vulgari ac plebeio etiam vocis vſu ad aliquas item perpeſſiones,

ſiones ſpirituali fructu vacuas porrigitur queis ſecularis Chriſtianorum vita abundat,imo quibus nihil eſt in humani moris torrente frequentius, has quoque latè dicti martyrij ſpecies non omittere. Quanquam non eſt nunc animus de prætenſo quorundam Diaboli mancipiorum martyrio cruento diſſerere,cuiuſmodi eſt martyrium hæreticorum,de quo infra commodiore occaſione, quod illud ſit veluti preſsè acceptum Satanæ martyrium,cum latè dicto pietatis martyrio hactenus tractato, analogiam non habens; qualem in propoſitis ſeculi martyriis, non difficile erit agnoſcere.

Deus huius ſeculi,martyres ſuos habet.

Huius rei gratia præmittendum eſt,quod grauiſſimi PP.Nazianzenus orat.2.de Theol. Auguſtinus lib.6.qq.in Ioſue c.29.Nyſſenus hom.8.in Eccleſiaſten, & complures alij tradiderunt: nempe hominem à virtute in vitiorum deuia abreptum,ſtatuere ſibi idolum pro eo quod non eſt ipſe: VG. auarus aurum & argentum,idoli loco habet. Carnis viſco implicitus,venerem veneratur: Superbiæ denique addictus, honorem & gloriam habet pro numine. Pereleganter vt cæteros premam, hunc Idololatriæ multiplicis etiam num vigentis & vniuerſum propè orbem occupantis apparatum, expoſuit S. Chryſoſtomus homil.6.in ad Rom.Confirmans enim nefas eſſe Chriſtiano, Idololatram dedocere errorem, quamdiu ipſe deprauatos affectus, numinum loco & gradu habuerit,facileque Ethnicum,tali Chriſtiano ad abdicandam idololatriam vrgente, repoſiturum, ipſi priùs idola quæ colit quamuis Chriſtianum

num ementiatur eſſe abijcienda; anteuertens perſo-
" nati Chriſtiani cauſationem, ſubdit. [Mihi porrò ne
" hoc dixeris, te aureum idolum non adorare: Quin
" potiùs illud mihi probato, te ea non facere, quæ
" ipſum aurum facienda inbet. Varij enim ſunt idolo-
" latriæ modi. Et hic quidem mammonam ſibi domi-
" num, alius autem ventrem ſibi Deum facit, alius
" aliam concupiſcentiam pernicioſiorem. At non ipſis
" ſacrificas boues, quemadmodum gentiles? ſed quod multò peſtilentius eſt, tuam ipſius animam pro victima offers. At genua non flectis, nec adoras? Sed magis audiens dicto es, ſi quid præceperint, & venter, & aurum, & concupiſcentiæ id genus alterius tyrannis: quando & gentiles hoc nomine execrabiles ſunt, quòd hominum affectus deos effecerunt; concupiſcentiam, venerem: iram, martem: ebrietatem, bacchum appellantes. At non idola ſculpis illorum exemplo? Verùm maiore cum animi ſtudio te ipſe iiſdem illis animi morbis ſubmittis, quæ Chriſti membra ſunt, ea meretricis membra efficiens, cœterisque ſceleribus te coinquinans.] Quæ æquè ad omnem vitioſum affectum extendenda docet: Sed tamen maximè in tribus illis veluti capitibus fontibusque cœterorum, carnis concupiſcentia, immodica cupiditate externorum bonorum, & ſuperbia vitæ, locum habere, eſt extra dubium. Hæc enim ſunt tria primaria idola, quibus vniuerſum propè orbem accidere, & ſub Chriſtiano nomine nefariam idololatriam exhibere, Apoſtolus eſt autor.

Poſſet verò non planè perfecta videri hæc falſorum numinum ſuperſtitio, niſi ſuos etiam martyres haberet, qui cruciari, & torqueri, aut etiam

vitam

vitam abiicere, pro lege Dei ſui gratum cenſerent. Itaque non eſt paſſa, deſiderari hac quoque in parte ſtudium ſuum, erga falſa illa numina, veſanorum mortalium ſuperſtitio idolomaniaca, ſed vt ſui martyres, & quidem quàmplurimi & deuotiſſimi, cuique idolorum illorum extarent, accuratè perfecit.

Primus eorum ordo, in quo carnis mancipia.

2. Et carnis quidem martyrio, defunguntur inprimis ij quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum: qui inquam fœdis & illicitis ignibus ardentes, impurarum flammarum conſentaneum exitum & mercedem quam oportuit in ſemetipſis recipientes, fœda & infami lue florem ætatis depaſcente, imo medullas omnes & vniuerſum illud humidum quod vitæ pabulum eſt, exedente, cum ingentibus cruciatibus, fœdis vlceribus obſiti, diu noctúque confli&antur, & ſuperaddita dum fruſtra leuamen quæritur, immitis Chirurgi carnificina, nondum aditis vitæ metis quas naturalis temperies præfigebat, præcoci obitu marceſcunt, in ſummis angoribus, & inexplicabilibus tormentis: confirmantes experimento ſuo, & muto ſaltem ſuffragio, veriſſimè de impudicitia apud Cyprianum dictum eſſe lib. de bono pudic. [Obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis, nec corporibus parcens, nec animis.] Addit alia peregregiè in hanc vt vocat, [ruinam melioris ætatis, blandam priùs, vt plus noceat, dum placet.] Ac etiam vt plus cruciet: quod cum quotidiana exempla quamplurima faciant teſtatiſſimum, vix eſt cur ad Scriptores Medicos id iampridem profeſſos,

& cauſas tot cruciatuum diligentiſſimè venatos, adeamus; vt Mercurialem & Fernelium in tractationibus de eo fœdo argumento, Fracaſtorium l. 2. de morb. contag. c. 11. & latè in opere Syphilidis. Paucos verſus ex eius lib. 1. de his libidinis cruciariis repræſento.

Inſolito torpore grauati.
Sponteque languentes animis, & munera obibant
Ægrius, & toto ſegnes ſe corpore agebant.
Ille etiam ſuus, ex oculis vigor, & ſuus ore
Deiectus color haud læta de fronte cadebat.
Paulatim caries fœdis enata pudendis
Hinc atque hinc inuicta locos atque inguem edebat.
Tum manifeſta magis vitij ſe prodere ſigna
Nam ſimul ac puræ fugiens lux alma Diei.
Ceſſerat, & noctis triſtes induxerat vmbras,
Innatúsque calor noctu petere intima ſuetus,
Liquerat extremum corpus, nec membra fouebat
Obſita mole pigra humorum, tum vellier artus
Brachiáque ſcapulaque, graui, ſuræque dolore.
Quippe vbi per cunctas ierant contagia venas,
Humoréſque ipſos, & nutrimenta futura
Polluerant, natura malum ſecernere ſueta,
Infectam partem pellebat corpore ab omni,
Exteriùs: verùm craſſo quia corpore tarda,
Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum,
Herebat membris exanguibus atque lacertis.
Inde graues dabat articulis extenta dolores,

Et mox poſt deſcriptos informes totum per corpus achores, faciémque horrendam, & fœde turpata pectora.

Quin etiam erodens altè & ſe funditus abdens,
Corpora paſcebat miſerè; nam ſæpiùs ipſi,

Carne

Carne ſua exutos artus, ſquallentiáque oſſa,
Vidimus,& fœdo roſea ora dehiſcere hiatu,&c.
Vnde aliquis ver ætatis pulchrámque iuuentam,
Suſpirans,& membra oculis deformia toruis,
Proſpiciens,fœdóſque artus, turgentiáque ora,
Sæpe Deos,ſæpè aſtra miſer crudelia dixit.
Interea dulces ſomnos noctiſque ſoporem,
Omnia per terras animalia feſſa trahebant.
Illis nulla quies aderat, ſopor omnis in auras
Fugerat: his oriens ingrata auroræ rubebat.
His inimica dies,inimicáque noctis imago,
Nulla Ceres illos,Bacchi non vlla iuuabant
Munera,non dulces epulæ,non copia rerum;
Non vrbis,non ruris opes,non vlla voluptas,
Quamuis ſæpè amnes nitidos iucundáque tempe,
Et placidas ſummis quæſiſſent montibus auras.

3. Cedo, an non meritiſſimò S. Auguſtinus in pſal. 71. ad illud, *ex vſuris*, peccatum vſuræ nomine à Spiritu ſancto notatum dixerit, quod ſupra ſortem rependatur ſupplicium; & multo plus infœlix captator voluptatis torqueatur, iuſtum peccati quo captata eſt ſtipendium excipiens, quàm hauſerit delectationis in ſcelere: Et an non iure Boëtius lib. 3. de conſol. proſa 7. turbidas has voluptates cum appetuntur plenas anxietatis, cum expletæ ſunt, pœnitentiæ refertas appellarit, quæ *intolerabiles* (vt ait) *dolores, quaſi quendam fructum nequitiæ, fruentium ſolent referre corporibus*. Niſi iam Fracaſtorianæ muſæ dulcedine delinitus, hæſiſſe paulo diutiùs in hoc ſpurco ſimul & atroci carnis martyrio videri poſſem, ſubiicerem luculentum carnificinæ huius exemplum quod eodem l. 1. ſubii-

 cit,

cit, iuuenis Cœnomani, in quo naturæ, & fortunæ, & artis, munera ſumma, miſerrimè & inter acerrimos dolores per hunc nequitiæ fructum abſumpta. Præcido cætera.

Paulatim ver id nitidum, flos ille iuuentæ,
Diſperiit, vis illa animi: Tum ſqualida tabes,
Artus (horrendum) miſeros obduxit, & altè
Grandia turgebant fœdis abſceſſibus oſſa.
Vlcera (p ob diuum pietatem) informia, pulchros
Paſcebant oculos, & diæ lucis amorem,
Paſcebantque acri corroſas vulnere nares.
Quo tandem infœlix fato, poſt tempore paruo,
Ætheris inuiſas auras, lucémque reliquit.

Habet itaque maximè circa iſtos locum quod Ioannes Gerſo p.4. alphab. 23. *litera* O, ſiue ſermo. in dom. 4. aduentus, contra luxuriam diſputans, & retundens vanam quorundam excuſationem in peccato ob difficultatem frenandi carnem, ſanctè conteſtatur; eſſe quidem aliquid laboris in carne domanda, & ne illicitis ardeat ignibus, temperanda, ſed multo acerbiores pœnas & dolores, ac cruciatus, exiſtere à ſpurco amore quo habenæ carni laxantur; tantóſque eſſe agnoſcit cruciatus illos, vt ad Diaboli martyrium poſſint ſufficere. Vnde concludit. *Mercator & ſtultus amator, martyres ſunt Diaboli.* Verùm de mercatore auaro poſtea. Nunc ſatis ſit, quoad ſtultum amatorem, de martyrio eius liquere ex dictis: etiam ſi miſſa facta velimus illa generalia cuiuſuis amoris tormenta, de quibus alibi ex Alexandro 1. probl. q. 21. ſed hæreamus (vt diximus) in annis datis crudeli & inde ſecuta conſumptione

ſumptione carnium deplorata à Sapiente prouerb. 5. Nam & vorandas à lamia amaſij Menippi carnes, retulit, huc reſpiciens Philoſtratus l. 8. vitæ Apollonij.

4. Sed neque alij, quos eodem cœnoſo gurgite impurorum amorum merſos, ab ea puro ori & calamo vel nomine tenus refugienda illuuie, immunes abire contigerit, verè indemnes ſunt ſuique martyrij expertes: cum certum ſit, vexationum & malorum Iliadem, ex ea ſui ipſius conſpurcatione, & animo & corpori aduehi. [Qui in luxuria vitam ducunt ait S. Chryſoſtomus homil. quod nemo læditur niſi à ſeipſo, reſoluta quidem corpora & omni cera molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta quibúſque ad cumulum malorum, podagræ, tremor, & immatura ſenectus accidit: & eſt eis vita ſemper cum medicis & medicamentis: ſenſus autem ipſi, tardi, graues, obtuſi, & quodammodò iam ſepulti.] Hæc ille, de iis quæ in ventre & ad venerem percipiuntur voluptatibus. Ex quibus vides, fœditati de qua agimus, & cruciatuum examina, & totius boni corporei vaſtationem, & vitæ præciſionem comitari: vt non iam tormenti duntaxat aut vexationis, quæ vna ad martyrium quod quærimus poſſet ſufficere, ſed cædis quoque rationem aliquam habere ſit cenſenda, vitæ diutiùs prorogandæ truncatione & truncatæ peſſimo habitu, ac quaſi ſepultura, quod confirmat lupanaris & cæmeterij analogia, de qua Artemidorus libro 1. onirocr. c. 80. Verùm quid in tormentis atque martyrio, horum carnis diſcolarum diutiùs hæream, cum conſtans ſit apud grauiſſimos Patres ſententia de

diuinis hauſta ſcripturis, hos peccantes in corpus ſuum, demitti in infernum viuentes, & gehennæ cuidam miſeram conſcientiam inexplicabiliter torquenti ad anteuertendos æternos cruciatus, & prægustanda alterius vitæ tormenta, mancipari diuinitùs iam ex hac vita, quod alibi doceo, & illuſtro pluribus.

Coniugati, in eodem ſunt ordine.

5. De illis aliis aptiùs quæri poteſt, ſíntne dicendi carnis martyrium ſubire, quorum voluptates conſtat eſſe ſine noxa, quóſque ratum ſit non lancinari fodicatione conſcientiæ aduerſus impurum opus reclamantis: Qui inquam legitimo thoro contenti, nec connubialia iura transgredientes, de dolio ſuo inebriantur, vt ille iocabatur. Hos, tametſi honorabile eſſe connubium, & thorum immaculatum certa fides ſtatuat, annumerare tamen ſeculi martyribus non dubitabit, quiſquis ærumnas & angores coniugij, quantumuis optimis auſpiciis initi, attentiùs æſtimarit. Nolo in campo, Ethnicorum iuxta & Chriſtianorum veſtigiis protrito, excurrere. Nihil enim apud noſtros æquè ac externos decantatius eſt, quàm quæ & quanta ſint & quam importabilia coniugij onera. Apoſtolus 1. Cor. 7. negotium apud alios immenſæ operæ, vno verbo executus eſt dicens. *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Planum atque apertum Apoſtoli verbum eſt. Quantumuis ſanctè & licitè conſociati ſint coniuges, quantumuis auſ-

ſpicę

pice Deo, & non niſi ſuſcipiendæ prolis ac perpetuandi generis noſtri gratia, quantumuis honeſtiſſimè vtantur coniugio, & alter alterius onera portent, ſintque ſibi inuicem quantum poſſunt ſubſidio atque ſolatio, *tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Exclamat ad hæc verba autor libri de Caſtitate, falsò creditus Sixtus Pontifex. *Quid boni iam nuptijs remaneat neſcio, quando etiam in illa ſubſtantia tribulantur, in qua ſola videbantur habere lætitiam.* Exſcripſit Hieronymum qui l. 1. in Iouin. planè ſimiliter poſt eum Apoſtoli locum prolatum, [Nos(inquit)ignari rerum putabamus nuptias ſaltē carnis habere lætitiam: Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio eſt in qua ſola videbantur habere delicias, quid erit reliquum propter quod nubant, cum & in ſpiritu, & in anima, & in ipſa carne tribulatio ſit?]

Hanc carnis tribulationem ſi diſpiciamus, nihil erit, quod ad verorum ſeculi martyrum perfectam formam deſiderare liceat. Longus S. Chryſoſtomi de virginitate commentarius à c. 50. quanta hæc ſit coniugum tribulatio, quanti angores explicatiſſimè exhibet. Et idem latè præſtat S. Hieronymus l. 1. in Iouin. exſcripto aureolo Theophraſti ea de re libello, qui item epiſto. 22. librum ſuum aduerſus Heluidium in eam rem laudat, nec non Tertullianum, Cyprianum, Damaſum, Ambroſium l. 3. de virg. quibus ille alio loco adiungit Nazianzenum præceptorem ſuum. In eodem argumento multus eſt autor epiſtolæ 49. apud eundem Hieronymum tomo 9. itémque autor citatus libri de Caſtitate, Hugo Victorinus l. de nuptiis carnal. vitandis cap. 1. Ioannes Sariſberienſis l. 8.

polycrat. cap. 11. Dionyſ. Cartuſianus t. 2. Opuſc. l. de laudab. vita coniug. articulo 3. &c.alij paſſim. Sed ad rem præſentem ſateſt gloſſa S. Baſilij l. de vera virginit. qui tribulationem carnis habere, ait eſſe, *aperire ſibi per coniugij copulam, dolorum officinam.* Quid hæc niſi iugis martyrij irrogatio? Hæc generatim.

Mulieris in coniugio martyrium.

6. Vt verò diſtinctius aliquid dicam, carnis tribulatio, in vxore (à ſexu enim infirmiore auſpicor, cuius hac in parte ærumnas, Deus iam ab orbis crepundiis prænunciare per ſeipſum voluit,) in fæmina inquam, tribulatio carnis perſpicua eſt, ex tam multis & tam grauibus connubialibus neceſſitatibus: cuiuſmodi ſunt inquit S. Chryſoſtomus « Orat. de S. Thecla. [Fornicantem ſponſum tole- « rare, ſuſpiciones falſas ſuſtinere; procedendi ſæpè « vtiliter in publicum poteſtate priuari; de alimen- « tis inquirere; ornatam, zelotypiæ obnoxiam eſſe; « deſpicatui duci priuſquam pepererit, quaſi quæ « nondum vxor facta ſit; vbi pepererit, ob pignora « in crimina incurrere. Partu edita eſt quæpiam fœ- « mina: quòd natus non ſit maſculus, tetricum ma- « ritus vultum gerit: Adiectus eſt & maſculus? Par- « tu editus eſt fœtus, qui formoſus non eſt. Eleganti « eſt forma vterque? Tanquam de pulchris acerbior « cura inceſſit. Depulſi ſunt à lactè? Rurſus anxietas « educationis ſuccedit. Cùm ſani fuerint, metus ne « ægrotent. Cùm ægrotauerint, formido ne mo- « riantur: Cùm mortui fuerint, metus ne deinceps « tanquam prole carens contemnatur: cum mortui

non

non fuerint, vt de viuentibus, grauior ſollicitu- «
do incumbit; vnde liberis ad inſtitutionem ſum- «
ptus ſuppeditabuntur; vnde coniugalis fœderis ap- «
paratus; vnde veſtimentorū decor; vnde famulorum «
vnicuique diſtributio; quænam ex bonis maiori at- «
tribuet; quo pacto minoris inuidiam mitigabit.] «

7. Hæc ad mille mortes poſſe ſufficere, diſci- «
mus ex S. Baſilio, cuius aliqua verba lubet attexe-
re: quod illis breuiſſimè, non vnum ſed multa
huius ſtatus martyria ſint comprehenſa, & quæ
ac quanta tormenta in coniugio tanquam in dolo-
rum officina ſuſtineat mulier, graphicè exhibea-
tur. [Virgo (inquit) earum perpetuas ærumnas «
miſerabitur, quæ temporalibus his moleſtíſque «
voluptatibus addictæ ſunt. Nempe enim eius quæ «
nupſit multiplices (vt ſic dixerim) mortes, quas «
illa in dies patitur, è regione conſiderans, ſibi ipſi «
profectò propoſitóque ſuo gratulabitur. Nam quæ «
mortali connubio coniuncta eſt, ad ſuam ipſius «
curam, viri quoque altera adiecta, geminam in «
vna animâ, ex coniuncto ſibi corpore ſolicitudi- «
nem neceſſariò ſuſtinet. Nec iam vnius tantùm «
corporis laborat gratia; ſed in vna (vt dixi) anima, «
& ad ſuum, & ad viri corpus curandum, iugiter «
intenta, diuiditur. Vbi verò filios poſt cubiculi ſo- «
lemnia, & ſecreta commercia, parturire, atque «
in lucem edere cœperit, per vnumquémque naſ- «
centem animo ſcinditur: & præſentibus triſtibus, «
naſcituri cura ſemper adiicitur: ac ſiquidem virum «
bonum blandúmque nacta fuerit, perpetuò, ne «
moriatur, metu viduitatis, incommoda, crucia- «
túſque iam ſuſtinet: diram quandam, & immitem «
curam, & præſente illo, & abſente, propter in- «

« ſperatos caſus, animo indeſinenter excipiens. Sin « verò contrà, duro, & immiti fuerit coniuncta, « tota quidem vita illi cruciatus eſt. Et cum pudici- « tiæ ratione neutrum queat eligere; id eſt, nec viri « mortem, propter viduitatis anguſtias; nec vitam « ob moleſtiam incommodúmque conuictus; anci- « piti, atque ineuitabili malo acerrimíſque dolori- « bus ſemper atteritur. Inde vbi filios edidit, aut ad « bonam illi frugem euaſerunt; & maiores ex illo- « rum abſentia dolores iugiter tolerat, quàm partu- « riens tulerat; aut malos euaſiſſe conſiderat; & « maius ex ea procreatione liberorum, quàm ſi per- « manſiſſet ſterilis, opprobrium ſuſtinet. *Sæpè* an- « tequam prædicta experiatur incommoda, vnâ, & « ſponſa, & vidua efficitur; ac ſine liberis in vidui- « tatem delapſa, nec vxor iam, nec virgo, nec ma- « ter eſt. Sic profectò, omnibus quæ putantur læta « coniugij, ſimul amiſſis, breuiſſimo voluptatis « ſenſu; irrecuperabilem virginitatis perdidit flo- « rem; coniugíique tantum ſolummodò experta eſt, « quantum illi ſatis eſſet ad dignoſcenda viduitatis « incommoda. Quod ſi relicta vidua, pupillos enu- « triat filios; eius, quem ex viri morte percepe- « rat mœroris, iuge monumentum cernit, & ſem- « per in lacrymis, ſemper in gemitu, ſemper in ſo- « licitudine educandorum degens, nullum præterito « malo ſolatium inuenit. Præterea & propinquis, & « famulis; & filiorum curatoribus, ipſíſque poſtre- « mò etiam filiis, vbi virilitatis annos attigerint, « cunctíſque omnino ſe vexare volentibus, ad præ- « dam miſerabiliter expoſita, doloris, luctúſque « tragœdiam, vitam ſuam omnium ingeret oculis. « Et quid plura perſequi neceſſe eſt? Dominum ſibi

cum

cum dote, infœlix mulier coëmens virum, ancilla „
pro libera efficitur: breuiſſimáque voluptatis gra- „
tia, naturali libertate ſe priuans, ianuam ſibi ineſ- „
fabilium dolorum, perpetuíque mœroris, per „
huiuſmodi connubium aperit.] Tacuit conſulto „
S.Baſilius, conceptus, & enixus ærumnas in ma- „
tre, non deſpuens naturæ venerationem, quod Tertullianus l. de carne Chriſti c. 4. Pontico muri exprobrat, in Chriſti veram corporationem cauillanti, ac peroranti [ſpurcitias genitalium in vtero
elementorum, humoris & ſanguinis fœda coagula, "
carnis ex eodem cœno alendæ per nouem menſes: "
vterum de die in diem inſoleſcentem, grauem, "
anxium, nexum, totum incertum libidinibus fa- "
ſtidij ac gulæ.] Quas & alias ærumnoſas naturæ in "
muliere contumelias, expreſſit ex Tertulliano Hieronymus ſub finem libri contra Heluidium, vbi etiam de alia tribulatione carnis in coniugata, orationem & pietatis ſtudium intercludente, nempe de viri obſeruantia, cura familiæ, aliiſque matrimonio adiunctis: quem locum laudat in eam rem idem Hieronymus l. 1. in Iouinia & epiſt. 22. qua Euſtochium ad cuſtodiam virginitatis informat. Eadem quoad tribulationem carnis in muliere coniugata, copioſè & pereleganter Hildebertus Ceroman. epiſtol. 36. Nec pauca etiam Rupertus, tria (vt vocat) diuinæ ſententiæ verbera, in mulierem coniugatam deſcribens l. 3. in Geneſ. c. 21. 22. & 23. Optimè denique autor tractatus de Paſſ. Dom. in illud *Ego ſum vitis vera*, apud Bernardum c. 30. vbi anguſtias & ærumnas coniugatarum, vel ex ſolo primo capite quod proponit, hoc eſt ex viri moroſitate enatas, tantas eſſe ait, vt pleræque

mulieres

mulieres ſuppliciis emere vellent, à tantis angoribus liberationem.

Atrocius etiam mariti.

8. Nec viri beatior eſt conditio, in quam rem plurima diſputat Petrus Bleſenſis, epiſt. 79. ex qua
« ſeligo laciniam. [Non eſt ſine plurima incommo-
« ditate copula coniugalis, víxque poſſe obtineri
« creditur pax animi, cum vxore. Refert Valerius
« Maximus, quòd Socrates à quodam adoleſcentu-
« lo, interrogatus vtrum vxorem duceret, an à nu-
« ptiis abſtineret, reſpondit ei, quodcunque eorum
« faceret, pœnitere. Hinc te, inquit, ſolitudo, hinc
« orbitas, hinc generis interitus, hinc hæres alie-
« nus excipiet. Illinc perpetua ſolicitudo, contextus
« querelarum, dotis exprobratio, affinium impor-
« tunitas, garrula ſocrus lingua, ſubſeſſoria alieni
« matrimonij, incertus liberorum euentus. Phoro-
« næus, rex ille nominatiſſimus in theſauris, diſtri-
« butis potiùs, quàm retentis; die qua deceſſit, le-
« gitur dixiſſe fratri ſuo Leontio, nihil ſibi defuiſſe
« ad plenam fœlicitatem, ſi defuiſſet vxor. Leontio
« autem quærenti cauſam, reſpondit: Sciunt hoc
« omnes mariti. Teſte Hieronymo Aureolus Theo-
« phraſtus in libro de nuptiis quærit, an vir ſapiens
« ducat vxorem: Et cum definiſſet, ſi pulchra eſſet,
« ſi benè morata, ſi honeſtis parentibus, ſi ipſe ſanus
« ac diues, ſi ſapiens poſſe ducere; ſtatim infert,
« hæc autem in nuptiis rariſſimè concurrunt vniuer-
« ſa. Multa ſunt, (inquit,) quæ matronarum vſi-
« bus neceſſaria ſint, vt pretioſæ veſtes, aurum,
« gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, lecti-

cæ,

cæ, & eſſeda deaurata. Deinde per noctes totas garrulæ conqueſtiones. Illa ornatior procedit in publicum: hæc honoratur ab omnibus, ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? De foro veniens quid attuliſti? Non amicum habere poſſumus, non ſodalem. Alterius amorem, ſuum odium ſuſpicatur. Pauperem alere difficile eſt, diuitem ferre, tormentum.] Hæc de tormento & tribulatione carnis in marito Bleſenſis, præter cætera, ex quibus, vt aiebam, perſpicuum eſt, non eſſe viri ſortem potiorem ſorte mulieris.

Imo verò eo infelicior habenda eſt mariti quàm vxoris conditio in coniugio, quo vir maius in ſe onus recipit, regendæ ac tuendæ vxoris, educandæ ac promouendæ prolis, curandæ familiæ vniuerſæ. Præclarè Antiphon apud Stobæum ſerm. 68. [Si mihi tale corpus alterum quale meum eſt, accederet, tantum negotiorum mihi exhibens pro ſanitate corporis, & victu in dies colligendo, & pro gloria, ac temperantia, celebríſque famæ, ac bene audiendi gratia, non poſſem viuere. Quid igitur fieret, ſi alterum quoque tale corpus ſimiliter mihi procurandum eſſet? Itáque conſtat, quòd vxor, etſi viro chariſſima fuerit, non minus tamen ei faceſſit negotij circa amores, aut dolores, quàm ipſemet ſibi. Itáque pro duobus corporibus, quòd ad ſanitatem, victum, temperantiam, bonámque famam attinet, curam gerat oportet. Quod ſi inſuper liberi naſcantur, iam omnia curis plena ſunt, & iuuenilis animi exultatio diſperit, & facies haud ampliùs eadem eſt.] Perinde ac diceret, quid igitur erit in tot diſtrahi corpora, quot

ſunt:

ſunt præter vxorem liberi, atque domeſtici? Scitè S. Baſilius libro de virginitate, *ſub medium*, coniuges ad vnumquémque partum aliquid de anima reſecare affirmat; ob examen ſcilicet curarum inde enaſcentium, & animam aliò auertentium, diſtrahentiúmque in nouas ſollicitudines, quibus miſerè laceratur atque diſcerpitur. Hoc verò ad maritum præſertim pertinet, in quem omnis domus inclinata recumbit.

9. Necdum fæces angorum mariti ſunt exinanitæ, quamuis prolatis tam multis eius ærumnis: Quid ſi enim violatæ per coniugem fidei, vel tenuis ſuſpicio, aut ex inanibus rumuſculis conceptus timor, miſeri mariti animum pulſarit? Hoc verò non martyrij, ſed infernalium cruciatuum rationem habere, Spiritus ſanctus autor eſt, cuius afflatu, æmulatio, dura ſicut infernus, nominata reperitur. Quod S. Chryſoſtomus orat. de SS. Bernice ac Proſdoce, in hunc modum expendit. [Vxorem cernere conſtupratam, & adulterio pollutam intueri, ſexcentis mortibus eſt intolerabilius. Quid dico adulterio pollutam? Si vel de ipſa ſuſpicionis cogitatio mentē occupet, acerba illi vita omnis, & minimè vitalis redditur. Eſt enim ignis illi quidam, & indomita flamma zelotypię morbus: cuius tyrannicam, & ineuitabilem vim, declarans quiſpiam dicebat: Plenus zelo animus viri eius: nō commutabit vlla redēptione odium, neque parcet in die iudicij, neque diſſoluetur multis donis. Et alibi rurſus; durus vt infernus eſt zelus. Sicut enim non poteſt infernus, (inquit) pecuniis flecti; ſic neque is qui zelotypia laborat, leniri, atque placari. Multi vtique ſæpè vita ſua, libenter redemiſſent, vt adulterum inuenirent.

nirent. Sanguinem ipſum viri eius, qui vxorem « conſtuprarat, perlubenter deguſtaſſent, & quæuis, « aut agere aut pati eius rei cauſa contenti fuiſſent.] « Addit S.Chryſoſtomus, hunc eſſe, *morbum intolerandum, violentum & implacabilem*; Et l.2.de prouid. agens de Abrahami ob coniugem ærumnis, ait hanc doloris materiam, ſuperiorem eſſe omni oratione.

10 Sint verò hæc in coniugiis infrequentiſſima, ac veluti præter communem legem, & vtinam eiuſmodi ſint reuera. An non vel ex eo duntaxat capite maritum atrociſſimo aſperrimóque martyrio addici ſtatuemus, quod mulieri, (qua voce omne probri genus, omnémque hominis calamitatem comprehenſam voluit Simonides,) indiſſociabiliter aſtringatur, ita vt non niſi comparis alteruttius vel vtriúſque funere, diſſolui poſſit connexio? Olim & cuſtodiam ſiue noxium, & militem cuſtodientem, vinctos eadem catena Seneca epiſtol. 5. docet, conſtátque etiam ex S. Auguſtino in Pſalm. 128. ad illud *prolongauerunt iniquitatem ſuam:* nec obſcurè inſinuatur verbis illis Actor.12. *Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Nimirum quia etiamſi vt plurimùm, ac in vulgaribus reis, vnica catena noxij dextram, vt Seneca tradit l.de tranquillit. animi c.10. cuſtodientis verò ſiniſtram innecteret; tamen ſi delicti aut rei grauitas ſecuriùs cuſtodiri reum ferret, plures adhibebantur cuſtodes, vt inter eos vinctus aſſeruaretur catenæ duplici innexus, quarum altera ſiniſtram, altera dextram, militibus hinc inde alligatis, deuinciret. Hic longè arctius colligatos cernere eſt, quos non paucis duntaxat membris

ſed

ſed totis corporibus connexos atque conuinctos ad mortem vſque videre licet. Vt verò vxoris vincula & compedes non refricem, viri cum muliere coniunctio quàm ſit acerba & fellis plena, & quotidiano experimento, & omnium ætatum ſcriptis eſt teſtatiſſimum. Nolo in Theologica ſcriptione Ethnicos congerere, quorum dicta non plena tantùm manu ſed confertis plauſtris in hanc rem proferunt Stobæus ſerm.73 Volaterranus l.30. Philologiæ, Tiraq. ad l. 9. connub. per totam, Eſpencæus l.6. de continentia c.6. Sed & Patribus parcere conſilium eſt, quamuis in hac re ſint frequentiſſimi, ſiue in c.19.Matth. ſiue in 7.caput 1.ad Cor. & quibus locis virginitatem celebrant, quos inter, acerrimè in hac cauſa verſantur Hieronymus Nyſſenus atque Chryſoſtomus. Ab his quàm aſper & hiſpidus ſit mulieris conuictus, explicatiſſimè traditur.

11. Pauca duntaxat Spiritus ſancti oracula in rem præſentem dabo, dimiſſis aliis propè innumeris, quæ vbiuis proſtant. Toties enim in vtroque diuino inſtrumento, de viri angoribus ab vxore, non dico impudica aut fedifraga, ſed moroſa duntaxat, & muliebris ingenij (cuiuſmodi quæ non ſit, rara eſt auis,) ea verborum emphaſi, & denſitate ſententiarum, pronunciatur, vt neſciam quod aliud cruciamentum Spiritus ſanctus frequentiùs aut ſtudioſiùs ingeminet. Sed Apoſtolum ſanè dimittamus qui *bonum eſſe homini mulierem non tangere*, aliáque verborum ſpicula intorſit in maritos. Illud item Apoſtolicum apud Matthæum c.19. prætereamus, *ſi ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere*, quod Chriſtus non reiecit,

ſed

ſed tacitè approbauit. [Audientes cogitabant apud «
ſe (inquit ibi Chryſoſtomus homil. 32. imperf.) «
Mulier bona difficilè inuenitur, proteſtante Salo- «
mone: in mille, virum bonum inuenies, in omni- «
bus autem his, mulierem non inuenies. Quid au- «
tem eſt aliud mulier, niſi amicitiæ inimica, inef- «
fugibilis pœna, neceſſarium malum, naturalis «
tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum pe- «
riculum, delectabile detrimentum, mali natura «
boni colore depicta? Ergò ſi dimittere illam pecca- «
tum eſt, tenere autem, verè tormentum eſt; ne- «
ceſſe eſt, vt aut dimittentes, adulterium alterum «
faciamus; aut tenentes, quotidianas pugnas, & «
amaritudines habeamus. Ideò reſponderunt: Si «
ita eſt viri cauſa cum vxore, non expedit nubere. «
Tunc Dominus non dixit, quia expedit, ſed ma- «
gis conſentit, quia non expedit: Sed infirmitatem «
carnis aſpiciens dixit: Non omnes capiunt verbum «
iſtud, ſed quibus datum eſt.] «

12. Tot ergo tantiſque in rem præſentem vnde-
cunque ſuppetentibus, reciſis, ex Salomone tan-
tùm ac Ieſu Siracide pauca delibemus, vt liqueat an
iuge & ad totam vitam protenſum mulieris contu-
bernium, ad martyrij tormenta poſſit ſufficere.
[Prouerb. 11. 19. litigioſa, mulier, tecta iugiter «
perſtillantia 21. cum muliere rixoſa & iracunda «
infœlicius habitare, quàm in terra deſerta. 25. Si- «
cut in ligno vermis, ſic perdit virum ſuum vxor «
malefica. Mulieri litigioſæ cohabitare in domo «
communi, difficilius quàm ſedere in angulo do- «
matis 27. mulier litigioſa, & tecta perſtillantia in «
die frigoris comparantur: qui retinet eam, quaſi «
qui ventum teneat, & oleum dexteræ ſuæ vocet. «

" Eccleſ. 7. iuueni amariorem morte mulierem, cuius
" vt laqueus & ſagena, cor: manus, vincula: hanc
" qui Deo placet, effugiet: Ab eadem qui peccator
" eſt, rapietur, &c. Eccleſ. 9. ne des mulieri pote-
" ſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua,
" & confundaris 25. non eſt caput nequius, ſuper ca-
" put colubri; non eſt ira ſuper iram mulieris. Com-
" morari mulieri nequam, difficilius, quàm leoni, &
" draconi. Mulieris nequitia immutat faciem eius,
" obcæcabit vultum ſuum tanquam vrſus, quaſi ſac-
" cum oſtendet in medio proximorum. Mulieris ne-
" quam ingemuit vir, audiens ſuſpirauit modicum, &
" breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris. Sors
" peccatorum cadat ſuper illam. Sicut aſcenſus are-
" noſus in pedibus veterum, ſic mulier linguata ho-
" mini quieto. Mulieris ira, & irreuerentia, confuſio
" magna. Cor humile, facies triſtis, plaga mortis,
" mulier nequam. Manus debiles, genua diſſoluta,
" mulier virum ſuum non beatificans 26. dolor cor-
" dis & luctus, mulier zelotypa: In muliere zeloty-
" pa flagellum linguæ omnibus communicans. Sicut
" boum iugum quod mouetur, ſic mulier nequam:
" qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem.]
Hæc & alia ex vtroque ſapiente in rem præſentem vrget S. Hieronymus l. 1. in Iouin. oſtendens non de meretrice, nec de adultera dici, ſed de vxore legitima: ad quam etiam illud aptat quod Eccleſiaſtes c. 7. conteſtatur; inter viros bonum, vnum de mille abs ſe inuentum; mulierem inter omnes bonam, à ſe nequaquam repertam.

Qui igitur cum huiuſmodi fero animali vitam omnem diu noctúque exigere adigatur, in perpetuis ſpinis ac ſentibus, quibus adeò arctè ſit impli-

citus

citus vt excutere ærumnas ſola morte poſſit, hunc quiſquis non vno, ſed planè multiplici, eóque quotidiano ac perpetuo martyrio obnoxium fecerit, mea quidem ſententia non aberrabit.

Commune coniugum martyrium à liberis.

13. Vt verò & vxoris & mariti peculiares è coniugio cruciatus atque tormenta vltra non vrgeam, vt iiſdem perbellè conſentire & omnia ab eis inuicem data acceptáque mœroris argumenta abeſſe ponam, quod quàm rarum vel etiam propè impoſſibile ſit, non eſt quod moneam: cruciatus quos liberi iam ſuſcepti vtrique parenti plerunque inferunt, (ordinarias enim ærumnas educationi promotioníque liberorum neceſſariò coniunctas, tangere iam ſupra memini ex Baſilio, cum de carnis tribulatione in vxore, rurſúſque cum de viro:) alij inquam non generales & omnibus communes, ſed vtinam infrequentes, & inauditi parentum à liberis angores, immanis & horrendi martyrij rationem meritò habeant apud prudentem æſtimatorem, qui rectè peruideat vnde à miſeris parentibus baculus ſenectutis & mœrorum leuamen expectabatur, inde cordolia inexplicabilia, & æternarum lachrymarum ſegetem meti. Hoc diligenter librat autor tractatus de paſſ. dom. in illud, *ego ſum vitis vera* c. 30. & pulcherrimè Nyſſenus l. de virginit. c. 3. ex quo plagulam decerpo. [Multiplex « & varia eſt copia malorum quæ à nuptiis exiſtunt. « Dolorem enim liberi nati, æquè important, ac non « nati. Et rurſus tam viui, quàm mortui. Hic enim « liberorum multitudine gaudet, cum non ſatis ha- «

" beat vnde alat. Ille verò hæredе caret facultatum
" ſuarum,in quibus maximè elaborauit. Atque vnius
" quidem bona fortuna alterius calamitatem efficit,
" cum ſibi vtérque illud euenire velit, quo alterum
" cruciari videt. At huic mortuus eſt ſuauiſſimus
" puer; illi verò in vita eſt filius perditus, vtérque ſa-
" nè commiſeratione dignus: Vnus quidem filij mor-
" tem, alter verò vitam luget.] Subdit quæ de liberorum cædibus & vorationibus, mutua item fratrum trucidatione à tragicis iactantur, non eſſe in hanc rem ex antiquis fabulis recolenda: cum ſatis tragicorum argumentorum in eo genere quotidie ſuppetat, quibus doceamur quantæ ſint nuptiarum calamitates, cum ex aliis capitibus, tum ex hoc nominatim quod prolem ſpectat.

14. Æui noſtri exempla perilluſtria, quia vbinis ferè proſtant ſimilia, ſciens premo. Vnum aut alterum non ita priſcum attexo. Rem ſuo tempore vniuerſa Italia notiſſimam, Volaterranus Cardinalis l.30.Philol.§.*ex liberis bona maláque*,conſignatam reliquit. Franciſcus Bufalus ciuis Romanus, nobilis ac prædiues, prolem ſuſtulit ex vxore lectiſſima numeroſam, maſculam & fæmineam. Ex eo numero duos filios mutuis ſe vulneribus petentes vidit:duos ob ſeditionem ſecuri percuſſos: alium nouercam interficientem: filiam verò apud virum ſeſe veneno necantem. In illa verè Thyeſtea domo (vt Volaterranus rectè appellauit,) infœliciſſimum parentem vnico functum martyrio ſi dixerim,nec pro rei atrocitate ſatis dixero, nec ſenſum lectoris de tam multiplici infortunio æquauero. Calamitatis & horroris plenum eſt, exemplum infœlicitatis parentum ex liberis, quód adſcribo ex Iouiano Pon-

tano l. 3. de obedientia cap. 10. [Maioricenſis ciuis abunde locuples ruri cùm eſſet, ſeruúmque grauiſſimè cecidiſſet, tum ſeruus iniquiùs ſecum actum iudicans, rationem hunc commentatus eſt, qua & ſeruitutem finiret, & herum vlciſceretur. Hero enim longiùs à villa profecto, domo clauſa fores munit, ac matrefamilias arctiùs vincta, heriles liberos in editiorem domus partem ſecum effert, domini illic reditum expectans: qui vbi villam intrauit, domum clauſam indignè ferens, ſeruo, qui ſe de culmine oſtendit, minitari cœpit. At inquit ille, qui nunc domum clauſam tam ægrè feras, efficiam vt haud multò poſt, téque & lucem oderis. Vixque hoc dicto, vnum atque alterum filium è tecto præcipites iecit. Quo caſu conſternatus, ac penè exanimatus pater, vbi ad ſe rediit, tertio timens, mutato conſilio, ſeruum blandioribus lenire verbis ſtudet, nec facti ſolùm veniam, verùm etiam libertatem pollicens. At Maurus: nihil inquit, tuis iſtis pollicitationibus actum ſcito. Nares tibi excidas oportet, ſi vis tertium tibi ſeruari. Tùm pater duobus ſe liberis vno caſu orbatum reputans, quo tertium, qui vnus erat reliquus, ſeruaret, conditione accepta, naſum mutilat. Qui vix dum terram attigerat, cum tertius cum matre ſimul ante eius pedes exanimis iacuit. Eum ſeruus vbi clamoribus atque eiulatibus implere agros videt, Deum atque hominum fidem implorantem; atqui (inquit) nihil tuis iſtis clamoribus egeris, neque ſæuiendi in me tibi locum relinquam. Atque hoc dicto, ſeipſum de ſumma tecti parte depulit.] Voluit ſcilicet, infeliciſſimum herum, eo quoque cruciatu afficere, vt orbus, ac viduus, inſuperque denaſatus,

naſatus, ſumptarum de truculenta fera pœnarum dulcedine fraudaretur. Eum verò ego non ſemel tantum ſeculi martyrem pronunciarim; ſed quod de matre SS. Machabæorum à S. Auguſtino ſerm. 109. de diuerſ. c. 6. ac Chryſoſtomo homil. de Machabæis; & de S. Felicitate acutè admodum à S. Gregorio dictum eſt, fuiſſe illam in pignoribus ſepties martyrem, priuſquàm proprio corpore hoſtilem gladium exciperet; hoc de infelici patre dicturus ad veritatem videor: fuiſſe illum toties ſeculi martyrem, quoties vnius alicuius è liberis, moxque vxoris tam luctuoſum exitum oculis ipſe ſuis vſurpauit. Exemplorum Tragicorum in hanc rem, nullibi parcitas eſt, vt non ſit opus in pluribus congerendis operam ludere.

Quare fixum maneat, coniugium, martyrij ſecularis ſtatum eſſe, & vix eſſe marem fœminámve coniugij nexibus implicatos, quos iis cruciatibus immunes præſtare liceat, qui non ſint ad plenum ſeculi martyrium ſatis. Imo plurimos Chriſti martyres minora paſſos, minuſque ærumnoſos fuiſſe, quàm plerique ſint in coniugio, exploratum duco. Subducendæ igitur ſummæ martyrum ſeculi, qui in vrbibus ac quibuſuis ferè domibus reperiuntur, omnis Arithmetica impar videri debet.

Martyrum ſeculi alter ordo, in quo auari.

15. Alter ſeculi martyrum ordo, eorum eſt qui auaritiæ & oculorum concupiſcentiæ addicti, opes in immenſum congeſtas habent pro numine, Nam auaritiam eſſe ſimulachrorum ſeruitutem, Apoſtolus autor eſt. Huic ergo falſo numini vt obſequium

irreli

irreligioſum exhibeant mortalium plerique, vitam in ærumnis & cruciatibus multis miſerè prodigunt. Sanè Petrus Bleſenſis epiſto. 91. auarum quendam pluſquàm martyrem deſcribit verbis illis. [In habitatione terrena, nihil eſt niſi labor & dolor, & quædam imago miſeriæ infernalis. In vita & operibus tuis, tota ferè facies inferni depingitur. Nec enim deeſt tibi vnda Tantali, Tityi iecur, rota Ixionis, vrna Danaidum, ſaxum Siſyphi, dum inter diuitias eſuris, dum ſolicitudinibus anxiaris, dum cupiditate torqueris, dū ad illicita raperis, dum in ſaccum pertuſum congregas, dum congregando diuitias labore continuo, & ſuperuacuo te affligis.] Sed & S. Auguſtinus, ſpurium numen de quo agimus, & illi deſeruientium tormenta, non tacuit, ſermone 50. de ſanctis ſic ſcribens. [Auarus dicit in corde ſuo, quia fortè non audet lingua ſua, quis nos ſeparabit à cupiditate auri? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio? Poſſunt & auari dicere auaro, propter te occidimur tota die. Optimè ergo dicunt ſancti martyres in pſalmo, Iudica me deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Diſcerne, inquit, tribulationem meam, tribulantur & auari. Diſcerne anguſtias meas, patiuntur anguſtias & auari. Diſcerne perſecutiones meas, patiuntur & auari, Diſcerne famem meam, pro auro acquirendo eſuriunt & auari. Diſcerne nuditatem meam, pro auro deſpoliantur & auari. Diſcerne mortem meam, pro auro moriuntur & auari. Quid eſt diſcerne cauſam meam? propter te mortificamur tota die, ille propter aurum, nos propter te. Similes pœnæ, ſed diſcreta cauſa.] Non diſſimilia habet ſerm. 100. de diuerſ. c. 6. [Quid (*inquit*) miramini fratres, ſi amatores Dei martyres

" martyres tanta pertulerunt, vt acquirerent Deum?
" Amatores auri videte quanta patiantur. Hyemali-
" bus aſperitatibus ſe nauigando committunt: Sic
" feruet auaritia, vt nulla formident frigora. Iactantur
" ventis, ſuſpenduntur & deprimuntur fluctibus. Ineſ-
" fabilibus periculis vſque ad mortem agitantur. Di-
" cant & ipſi auro; propter te mortificamur tota die.
" Dicant martyres Chriſto: propter te mortificamur
" tota die. Vox quidem eſt ſimilis, ſed cauſa eſt valdè
" diſſimilis. Ecce vtrique dixerunt, iſti Chriſto, illi
" auro; propter te mortificamur tota die.] At ne diem quidem totam, tormentis auaro per aurum & habendi cupiditatem infligendis ſatis eſſe, docet Gregorius Nyſſenus homil. 5. in Eccleſiaſtem ad illud ex cap. 2. *cuncti dies eius, doloribus & ærumnis pleni
" ſunt, nec per noctem, mente requieſcit.* [Reuera enim
" *(inquit Nyſſenus)* iis quorum animus verſatur in hac
" tentatione, vita quidem eſt laborioſa veluti quibuſ-
" dam ſtimulis; plura habendi cupiditatibus cor flagel-
" lans: dolore autem & moleſtia plenum eſt plura ha-
" bendi ſtudium, non tantum gaudens iis quæ habet,
" quantum triſte ob ea quæ deſunt, quibus noctu &
" interdiu labor diuiditur, vt qui per vtrumque eorũ
" in ſe inuicem exercentur: cum dies quidem conſu-
" mantur in laboribus, nox autem ſomnum amandet
" ab oculis. Somnum enim expellunt de lucro ſollici-
" tudines.]

16. Parciùs hactenus de auari cruciatibus in idoli ſui cultu actum, præ iis quæ de eodem argumento
" tradidit S. Gregoriu, 15. moral. c. 11. [Mens auari
" (inquit) quæ priùs ex abũdantia requiem quæſierat,
" pòſt ad cuſtodiam grauiùs laborabat. Vnde hìc quo-
" que adhuc ſubditur: Æſtuabit, & omnis dolor irruet

in eum. Priùs namque dolorem habuit in ipſa ſuæ concupiſcentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodò alia blandimentis, alia terroribus auferret. At pòſtquam acquiſitis rebus peruenit ad deſiderium, alius hunc dolor fatigat, vt cum ſollicito timore cuſtodiat, quòd cum graui labore meminit acquiſitum. Hinc inde inſidiatores metuit, atque ſe hoc perpeti quod ipſe fecit aliis, pertimeſcit. Formidat potentiorem alterum, ne hunc ſuſtineat violentum: pauperem verò cum conſpicit, ſuſpicatur furem. Ipſa quoque quæ congeſta ſunt, curat magnoperè ne ex naturæ propriæ defectu per negligentiam conſumantur. In his itaque omnibus, quia timor ipſe pœna eſt, tanta infœlix patitur, quanta pati timet. Poſt hoc quoque ad gehennam ducitur, & æternis cruciatibus mancipatur. Omnis ergo dolor ſuper eum irruit, quem & hîc priùs pœna concupiſcentiæ, poſtmodum verò cura cuſtodiæ, & illic quandoque pœna vltionis cremat.]

Plus ſatis ad martyrium videtur eſſe omnis dolor, quo idoli huius martyrem onerat S. Gregorius. Sed adiungi ei dolorum vniuerſitati, trucidationem ac mortem quæ eſt de ratione conſummati martyrij, doceo ex Chryſoſtomo qui homil. 18. in epiſto. ad Epheſ. hos diſcolas infelici expreſſione piorum martyrum qui veri Dei hoſtiæ ſunt, turpiſſimo idolo hoſtias cadere, & quod feralius eſt à ſeipſis, grauiſſimè expoſtulat. De adoratione namque, auaritiæ per improuidos impenſa, præfatus multa, demum ita concludit. [Animi affectioni teipſum ſubiicis. At non mactas illi oues? Mactas verò homines, & animas rationales, illos quidem fame, iſtas autem maledictis. Iſto ſacrificij genere, nihil eſt bac-

" chicum magis,nihil ſcilicet inſanius. Quis vidit vm-
" quam animas mactari? Maledicta eſt auaritiæ ara:
" Nam ſi ad ſimulachrorum illam acceſſeris aram,
" videbis eam caprinum,& bouinum olentem ſangui-
" nem:ad iſtam verò auaritiæ aram ſi veneris, huma-
" num ſanguinem videbis miſerè & crudeliter exha-
" lantem,Hic ſi ſteteris,non contemplaberis halitum,
" alas incenſas,nec redditum nidorem & fumum,ſed
" perditum humanum corpus. Hic videbis quoſdam
" quidem, qui ſeipſos in præcipitia coniecerunt:alios
" verò qui laqueum applicuerunt, nonnullos etiam
" qui enſem per ipſum guttur transfegerunt. Vides
" hoſtias crudeles & inhumanas?Vis iſtis etiam ſæuio-
" res videre? Oſtendam tibi iam non humana corpora
" illìc,ſed & hominum animas mactari. Nam & ani-
" mæ mactari poſſunt, mactatione quæ conueniat
" animæ. Quemadmodum ſcilicet animæ mors eſt:
" anima enim,(*inquit,*)quæ peccat moritur: quemad-
" modum eſt ergo mors animæ,ita eſt & animæ ma-
" ctatio. Quid eſt corporis mactatio? Mortificari
" ſcilicet, & ab energia illa quæ animæ eſt, abrumpi.
" Quemadmodum enim tunc corpus mortificatur,
" quando anima illud in operatione ſua deſolatum ac
" priuatum relinquit; ita & anima tum eſt mortua,
" quando illam energia ſua deſtitutam relinquit Spi-
" ritus ſanctus. Atque iſtæ mactationes potiſſimùm
" apud aram auaritiæ fiunt. Non ſaturatur, nec ſiſti-
" tur humano fuſo ſanguine, niſi etiam ipſam ani-
" mam immolaueris: Nec adimpletur auaritiæ ara,
" niſi vtriuſque & immolantis, & immolati animas
" recipiat. Neceſſe eſt enim hìc vt qui immolat
" alium, primùm immoletur ipſe, atque ita immo-
" let, vt mortuus immolet interea viuentem. Quan-
do

do enim maledicit, quando conuiciatur, quando «
indignatur; nunquid iſtæ animæ plagæ immedica- «
biles ſunt? Vides iam quomodò non hyperbolicè «
dictum ſit, quòd Paulus auarum, idolorum eſſe «
cultorem dicit.] «

17. Eſt eiuſdem ſancti Doctoris tractatus, quod nemo niſi à ſeipſo lædatur, aureus planè & parente digniſſimus, Cucuſi in extrema vita, inter difficillimi exilij aſperitates conſcriptus, vt conſtat ex quarta eius epiſtola, ac proinde verè cygnea vox. Eo tractatu; auarum innumeris mortibus ab auaritia mulctari vt oſtendat, atque adeo multoties martýrem effici, auaritiam, ſpecie feri ac truculenti tyranni exhibet; apud eam cruenta omnia periculis, mortibus, præcipitiis plena eſſe docet. Stipari peſſimo ſatellitio, contumeliis, opprobriis, liuore, inuidia, inſidiis criminatricibus, & pernicioſiſſimis curis, metu iugi, tremore frequenti, & mille aliis huiuſmodi infauſtis conſortibus, velut anguium corona circundari. Fructum non alium proferre, quàm interitum & perniciem, pœnámque perpetuam, ſubſequentem ad inſanabilem rabiem, inſaniam, atque furorem. Tantoperè verò fatigare animam, vt neque amicitiarum, neque propinquitatis, ſæpè ne coniugij quidem aut prolis affectui det locum, ſed omnia illa deiiciat atque conculcet: Et videri quidem mortalibus penè omnibus (quæ eorum ſumma cæcitas eſt, & ſumma miſeria,) melle ac fauis dulciorem; reuera tamen ſæuire, vt barbarum, feruere crudeliter vt tyrannum, debacchari impudenter vt feram quandam & crudelem dominam, nuſquam miſereri aut flecti: adeſſe vbique, duram, diram, terribilem,

incle

inclementem, impiam, truculentam, lupis, & vrſis ac leonibus ferociùs ſæuientem; in ſibi addictos acuere gladium, quotidie eis foueas & præcipitia parare, ſcopuliſque eos mille, & mille naufragiis illidere, cremare igne quem ipſi ſtudioſe ſuccenderint. Affine eſt quod idem Chryſoſtomus hom. 18. in 1. ad Cor. homines addictos aceruandis pecuniis, idipſum pati docet à ferali tyranno auaritiæ, quod tres pueri à Rege Babylonio: eo tantùm diſcrimine, quod pueri diuina miſeratione liberi euaſerunt, & ab igne tantam virtutem reuerito, indemnes fuerunt, hi verò comburuntur. Sic enim concludit ſanctorum trium puerorum certamen. [Quid hoc ſpectaculo eſſe poſſet illuſtrius? « Quid hac victoria præſtantius? Quid nouis victoriis inſignius? Hoc & in nobis inuenitur, & nunc « Babylonicæ fornacis Rex eſt, & nunc flammam « illa ardentiorem accendit. Eſt temporibus noſtris « qui iubeat eiuſmodi ſtatuam venerari: adſtant ei & « ſatrapæ, & milites, & quæ aures demulceat mu« ſica, & multi hanc ſtatuam, variam, magnam « admirantur. Tale enim quiddam eſt auaritia, vt ſta« tua illa non ferrum continens, ſed ex illicitis rebus « conſtituta. Auaritia enim omnia in admiratione « haberi iubet, & æs, & ferrum, & his longè vilio« ra. Sed quemadmodum hæc in præſentia ſunt, ita « & qui tres pueros imitantur, qui dicunt, deos tuos « non colimus, & ſtatuam tuam non adoramus, ſed « paupertatis fornacem, & omnes alias toleramus « miſerias; vt diuinis legibus pareamus. Et alij qui« dem hoc tempore multa habent, quemadmodum « tunc illi; & hanc ſæpenumerò adorant, & exurun« tur.] Habes viuicomburium, his auaritiæ cultoribus,

bus, in fornace Babylonycæ gemina, à Tyranno cupiditatis irrogatum.

Quod verò inter horrendas tormentorum acerbitates quibus Ethnica olim inhumanitas in SS. martyres graſſata eſt, ea numeretur; non niſi tempore poſtrema, qua in ſanctorum pugilum corpora iam exanguia, iam ſpiritu deſtituta, efferabantur hoſtes Chriſti; ne hanc quidem barbariem martyribus auaritiæ deeſſe paſſa eſt mortalium truculentia: quod agens de diuitum ſepulcris, ob ſimul conditum copioſum apparatum expilatis, & cadauere abiecto inhumato, aureo planè eloquentiæ profluuio proſequitur S. Chryſoſtom. hom. 35. in 1. Cor. quem de more expreſſit eloquentiſſimus æquè ac eruditiſſimus tanti Magiſtri diſcipulus, Iſidorus Pelus l. 2. epiſt. 146.

Ordo tertius, in quo captatores honorum, aulici præſertim.

18. Tertium locum inter ſeculi martyres, iis dabam qui ſuperbiam vitæ colunt, nullúmque venerationis & demiſſionis genus refugiunt, vt hoc numine vtantur propitio. Hoc martyrium in iis illuſtriſſimè proditur, qui ad honores erepunt per denſas indignitates & inhonorationes ac ineptias, quas vir magnus magno redimat, & cruciatibus non leuibus intolerabiliores ducat. Mamertinus in Iuliani panegyr. de priſcis Romanis honores captantibus agens, ita pronunciat; [Quis ignorat « multos fuiſſe candidatorum labores? Ediſcenda « omnium nomina tribuum, homines varij, atque « etiam ſinguli ſalutandi, præhenſandæ obuiorum « manus,

manus, omnibus arridendum. Non ſolùm cum infirmis ſed etiam cum ignotis familiaritatis imago ſimulanda, multáque alia præter honorem agenda, quæ aliàs virum honore dignum facere non deceret. Vnde illud Craſſi celebre dictum, quum peteret conſulatum, & fortè cum Scæuola ſocero per vias vrbis incederet, nec præſente grauiſſimo & ſeueriſſimo viro, blandiri populo, palpare obuios, & artes petitorias auderet exercere. Quæſo, inquit, Muti, pauliſper abſcedas, nec comitatu tuo honeſtari me putes. Impedis honorem meum, te ſpectante ineptus eſſe non poſſum.] Tertullianus tamen l. de pœnitentia extremo, has honoris mancipiorum & gloriæ animalium vexationes, etiam neruoſiùs expreſſit verbis illis. [Sed « enim illos qui ambitu abeunt capeſſendi magiſtra« tus, neque pudet, neque piget incommodis ani« mæ & corporis; nec incommodis tantùm, verùm « & contumeliis omnibus eniti in cauſa votorum « ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? « Quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus « occupant? Ad omnem occurſum maioris cuiúſque « perſonæ, decreſcentes, nullis conuiuiis celebres, « nullis comeſſationibus congreges, ſed exules à li« bertatis & lætitiæ fœlicitate, idque totum, pro« pter vnius anni volaticum gaudium.]

19. Sed hæc quamuis liberalibus magnîſque animis admodùm grauia, tamen minuta, & ad martyrium imparia videri poſſint, præ interna carnificina, quam honorum captatoribus infert creſcendi & ad altiorem ſemper gradum progrediendi, bibula ſemper, vt in hydrope, & nunquam reſtinguenda cupiditas. Eam ærumnoſiſſimam quorun-

dam

dam mortalium ſortem, nec de vulgi fæce hominum, aut in vmbra latentium, ſed eorum qui cæteris eminent, & in aulæ ſole verſantur, Seneca epiſt. 73. ſic expoſuit. [Illi inquieti & in medio poſiti multa principibus debent, ſed multa & imputant: quibus nunquam tam plenè occurrere vlla liberalitas poteſt, vt cupiditates illorum, quæ creſcunt, dum implentur, exſatiet. Quiſquis autem de accipiendo cogitat; oblitus accepti eſt: nec vllum habet malum cupiditas maius, quàm quòd ingrata eſt. Adiice nunc quòd nemo eorum, qui in Republica verſantur, quos vincat, ſed à quibus vincatur, aſpicit: & illis non tam iucundum eſt, multos poſt ſe videre; quàm graue, aliquem ante ſe. Habet hoc vitium omnis ambitio: non reſpicit. Nec ambitio tantùm inſtabilis eſt, verùm cupiditas omnis, quia incipit ſemper à fine.] Experimento ſuo doctus, vir & eruditione, & genere, & obitis muneribus, & verò ſanctitate præſtans Sidonius lib. 5. epiſt. 7. aulam Chilperici deſcribens, iis moribus effingit aulicos, vt nullæ ſint in Lybicis arenis dipſades, nulli vſpiam colubri veneno præſentiore inſtructiores, præ quibus in lacum leonum coniici cum Daniele, vel in anguium foſſam cum S. Thecla, mite ac leue videri poſſit. Et tamen cum hîs neceſſariò viuendum eſt homini aulico, cum iis nocte, diéque verſandum. Vt proinde vel ex hoc capite martyrium aulico cuiuſis apparatum, agnoſci poſſit. Eoſdem verò inſuper aulicos deſcribit, internis multis tortoribus miſerè vexatos, & ignauia pariter conſcientiáque trepidantes. Omnis porro illa morum nigerrimorum fuligo, quantam vniuerſa epiſtola exhibet Sidonius, eo planè

refertur,

refertur, vt deiectis aliis, creſcant alij, & vnius ruina gradum alij ad ſuperiorem faciat. Quæ per fas nefáſue ſcandendi cura, ac iuſtus metus, ne iis irretiantur pedicis, quas aliis nectunt, iuge & immane tormentum eſt. Auſonius, profeſſores Burdegalenſes exornans, in Attico Tyrone Delphidio hanc infœlicitatum eius cauſam aperit.

Felix quietis ſi maneres literis
Opus camœnarum colens:
Nec odia magnis concita litibus,
Armaret vltor impetus:
Nen inquieto temporis tyrannici
Palatio te attolleres.
Dum ſpem remotam ſemper arceſſis ibi,
Faſtidioſus obuia,
Tuúmque mauis eſſe, quàm fati bonum.
Deſideraſti plurima,
Vagus per omnes dignitatum formulas,
Meritúſque plura, quàm gerens.

20. Suffragium quoque Petri Bleſenſis qui in aulico puluere bonam ætatis partem contriuit, non poterit inexperientiæ inſimulari. Is veritati teſtimonium perhibens, ita ſcribit, carmine de lucta carnis & ſpiritus.

Deſere palatia, nam curia,
Curis, imo crucibus, & mortibus,
Semper eſt obnoxia.

« Idem illuſtriſſimè epiſto. 14. [Pro vaniſſima va-
« nitate militant curiales, in labore, & ærumna, in vi-
« giliis multis, in periculis magnis: Periculis maris,
« periculis fluminum, periculis pontium, periculis
« montium, periculis in falſis fratribus; In mortibus
« frequenter in confractione & laſſitudine corporis,

atque

atque in aliis vitæ diſcriminibus, in quibus gloriam martyrij mererentur, ſi hæc pro Chriſti nomine ſuſtinerēt. Nunc autem ſunt MARTYRES SECVLI, mundi profeſſores, diſcipuli curiæ, milites Herlinini. Per multas ſiquidem tribulationes, intrant iuſti in regnum cœlorum: hi autem per multas tribulationes, promerentur infernum.]

Audi & alium expertum teſtem, Æneam Syluium dico, epiſto. 42. [Beati qui procul à curiarum tumultibus degunt, & contenti ſunt ea quæ adeſt fortuna. Nos animorum impulſu cæcaque cupidine ducti, Regum atria petimus, principum in oculis verſari volumus: quibus ſi millies cum periculo capitis ſeruieris; modicum verò aberraueris, mox periſti: Nihil enim violentius eſt aure Tyranni. Suſpicioſi omnes ſunt tamen curiales, inuidi, prompti nedum ſi adſit, ſed ſi abſit quoque; criminari delictum. Perierunt omnia ſeruitia, ſi ſemel non rectè ſpueris. Et ſunt nōnulli qui tunc citiùs ſeruum perdunt, cum maiora ſunt obſequia. Nam cum videant ſe multa illi debere, potiùs delictum cupiunt, quàm obſequium præmiare.] Idem pleniſſimè ac diffuſiſſimè tradit epiſt. 166. quæ veriùs iuſta tractatio de aulæ miſeriis atque tormentis, aliàs inſcribitur. Plagulam ex ea duntaxat ac guſtum repræſento. [Malè iudicare non exiſtimem, qui ſummam in eis miſeriam, ſummámque cordis afflictionem poſuerit. Sed ſtultum atque imperitum vulgus, hæc tædia non animaduertit, ſolúmque ſuſpenſas auro veſtes, ac ſublimes reſpicit in equis milites. Et cum opes, argentum, aurum, famulorum càteruas, & ornatum exteriorem intuetur, miſerias interiores nequaquam conſiderat. At

« Seneca ſumma prudentia vir, iſti, (inquit) quos
« pro fœlicibus aſpicitis, ſi non quà cernuntur, ſed
« quà latent videritis, miſeri ſunt, ſordidi; turpes, ad
« ſimilitudinem ſuorum parietum extrinſecùs cultis:
« quo fit, vt curialibus qui propter irritamenta gulæ
« principibus ſeruiunt, ne dum ciues priuatos qui
« cum iucunda coniuge, inter dulces liberos caſtè,
« ac parcè comedunt; vel ruricolas qui medias inter
« oues, caſtaneas molles, & mitia poma cum lacte
« vorantes, nitidi fluminis vndas exhauriunt; ſed ip-
« ſos quoque qui in crepidinibus petrarum, vel in
« pontibus, vel ad Eccleſiarum valuas mendicant,
« ſine cunctatione præponam.]

21. Cauſam tantæ aulicorum ærumnoſitatis, ac perpetuorum martyriorum, Bleſenſis epiſtola illa
« 14. ſic aperit. [Scio quia eos qui in curia moran-
« tur, aut potiùs moriuntur, ſpes regiæ liberalitatis
« frequenter exhilarat, quæ quandóque in multos
« magnificè, & munificè ſe effundit: Sperat autem
« vnuſquiſque ſibi euenturum, quod videt pluribus
« aliis eueniſſe. Sub iſtius expectationis, dulcis, & in-
« certæ ſolatio, tædioſa delectant, grauia leuigan-
« tur, amara dulceſcunt, noſtrique martyres, labores,
« quamuis infirmi, expenſas etiam, quamuis auari
« non ſentiunt.] Quæ de aulicorum miſeriis in vita vniuerſa, ſordibus in cibo & potu, tædiis hoſpitiorum, imo mapalium, intra quæ admitti ſumma illis plerumque eſt gratia, excluſione à principis penetralibus, ad quæ ſola aurea clauis viam facit, aliiſque aulæ faſtidiis & ærumnis, reliqua epiſtola graphicè deſcribit, eiuſmodi ſunt vt meritò concludere potuerit, tot cruciatuum, ex tam inani cauſa tolerato-
« rum, hac deprecatione appoſita. [Domine IESV

Chriſte,

Chriſte, ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus eorum qui curiam ſequuntur, nunquam quæſo in curiam regrediar. Iactura ſiquidem annorum quos circa curiam in nugis conſumpſi, æſtimationem non recipit.] Nihil neceſſe eſt memorare, quomodò plerique in hoc ordine ludibrium fortunæ debeant, & poſt crepantes adulationem bullas, interdum vſque ad inimicorum dolorem deuenuſtentur, & à rebus humanis veluti vomitu fortunæ nauſeantis expuantur: vt de Aruando dixit Sidonius l.1.epiſt.7.

Etiam dignitatum apices, in hoc martyrum ordine.

22. Hoc ne quis ad minutiorum dignitatum & honorum captatores, non etiam ad poſſeſſores, præſertim honorum eminentiſſimorum pertinere arbitretur, Mamertinum audiat in Iuliani panegyric. de ærumnis & cruciatibus quantumuis iuſti & in ſpeciem tranquilli principatus, ſic diſſerentem. [Non paucos eiuſmodi furore vecordes, & noſtra ætas tulit, qui propter cœcam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt. Si quos Deus pauliſper vitæ redditos alloquatur, heus (verbi gratia) Nepotiane, atque Siluane, per infeſtos gladios, præſentéſque mortes imperium petiuiſtis? At nunc vltrò vobis poteſtas regnandi datur, vt ea qua Iulianus conditione regnetis, vt pro omnium otio die noctùque vigiletis: & quum domini vocemini, libertati ciuium ſeruiatis, ſæpiùs prælium quàm praudium capeſſatis, nihil cuiquam auferatis, & vltrò omnibus largiamini, nulli gratificemini, in neminem ſæuiatis, toto in orbe terrarum nullius virginis fama vio-

„ letur: Sit lectulus, etiam ſine inconceſſis ſed legiti-
„ mis voluptatibus, Veſtalium thoris purior: æſtate
„ Alamanicum puluerem, hyeme pruinam Thraciæ
„ intectis verticibus perferatis. Profectò verborum
„ ipſorum moleſtiam, delicatæ aures non poterunt
„ ſuſtinere. Tantis negotiis territi, non modò impe-
„ rium, ſed etiam vitam peroſi, ad inferiores aliquos
„ inferos redire properabunt. Videbunt enim iuſtum
„ principatum, laboribus, curis, vigiliis, inquie-
„ tum: cuius il i faciem amœnam & amabilem con-
„ templantes, laborum aſpera non videbant.] Hæc de intoleranda ærumnarum mole in capite populorum, Panegyriſtes.

23. S. Chryſoſtomus non minùs ſplendidè, hom. 15. in ad Philipp. Negat enim vlli planè in hac vita angorum & ærumnarum penuriam eſſe, nec quenquam ab ea vniuerſali regula excipi pati-
„ tur. [Quem enim inquit vis dicere? Regem? Sed nec
„ ille procul à curis vitam agit, ſed multis plenam tri-
„ bulationibus & curis. Ne námque diadema reſpi-
„ cias, ſed curarum tempeſtatem, per quam ipſi
„ corona paritur. Neque purpuram intuere, ſed ani-
„ mam, & ipſa purpura magis nigreſcentem. Non
„ ita corona caput circundat, ſicut animam ſolicitudo,
„ Nec in ſatellitum cateruam, ſed in moleſtiarum
„ multitudinem ſpectes. Nec enim priuata domus
„ tot curis plena reperiri poteſt.] Pergit Tragicos euẽtus quibus mundanos apices Reipublicæ præcipitibus ac lubricis culminibus inſiſtẽtes, fortunæ perfidia euerti contigit, adhuc eo tempore propè calentes exponere cu uſmodi multa quoque conſtipat S. Hieronimus in Nepotiani epitaphio, & Petrus Damiani opuſc. 56. c. 7. & vnum præterea habet inſi-
gne

gne planè ac luculentum Sidonius l. 2. epiſt. 13. Quæ premere omnino quàm recentioribus exemplis commemorandis, vix obductas cicatrices exaſperare, ſatius duco. Nec plura de ſeculi martyribus, & vniuerſo martyrij latè dicti ambitu: Si inſtitutum ſpectes, ſatis; ſi materiæ vbertatem, ſubſtrictiſſimè atque parciſſimè. Nunc ad martyrium preſſè ac propriè dictum progredior.

PARS SECVNDA.

De Martyrio preſſè dicto, vulgari ac indubitato.

MARTYRII latè ac preſſè dicti notiones, iam ſupra ſeiunxi ex Origene tomo 5. in Ioan. ad illud *hic venit in teſtimonium.* Vbi ex priſco Eccleſiæ vſu tradit, tametſi ex vocis cortice & auctoritate quarundam ſcripturarum quas profert, quicunque teſtimonium Chriſto perhibet, poſſit dici martyr, tamen nomen martyris ad eos reſtringendum eſſe, qui teſtificati ſint Chriſtianam veritatem, excipiendo pro ea mortem. De hoc ergo martyrio preſſè dicto, quod propter fidem vt cognoſcentem aut operantem, prudenter profitendam ſubitur, diſputandum ſequitur;

vt diſpiciamus an mors de qua mota eſt quæſtio, quámque ad aliquod è martyrij membris propoſitis, latè inquam aut preſsè dictum, pertinere non eſt dubium, illi vero ac preſsè dicto martyrio ſit accenſenda, quod propriè eſt martyrium & ſpecialibus prærogatiuis ex Chriſti Domini inſtitutione potitur, an verò inter latè dicta tantùm, quæ non niſi impropriè martyria ſunt, nec illis quæ dixi prærogatiuis potiuntur, ſit numeranda. Exemplum huius propriè dicti martyrij indubitatum, illud eſt quod ſimpliciter ſolet appellari martyrium, & ab eo ſubitur qui pro Chriſti fide obtruncatur. Atque ita hac ſecunda parte iſtius opellæ, inſiſtam illis expendēdis quæ ad eiuſmodi martyrium ſpectant. Facile enim poſtea erit, quæ de eo conſtituta fuerint, transferre ad aliud item preſsè dictum martyrium ſi quod eſt: niſi ſi quæ ſint extra eſſentialem martyrij rationem ei adiuncta tanquam propria, quæ non ſint alibi attendenda, quod poſtea excutiemus.

CA

CAPVT I.

De prima in vulgari martyrio preſsè accepto, perſona; ſiue de perſecutore.

1. HAnc ſtatuo primam perſonam, quia actio & agens, paſſioni & paſſo præcurrunt. Conſtat autem in hoc negotio perſecutorem habere rationem agentis, & ad martyrem comparari tanquam ad paſſum. Ideóque meritò à perſecutore eſt auſpicandum.

Perſecutor, alius neceſſariò à martyre.

Inprimis verò ſtatuendum eſt, neceſſarium planè eſſe, perſecutorem alium eſſe à martyre. Nemo enim qui ſibi per immane ſcelus vitam eripiat, martyr cenſeri poteſt, cum potiùs in tali facto horrendum in modum delinquat. Hoc eſt contra fœdiſſimum errorem quem Caſtro V. *Martyrium* hær. 2. & Prateolus V. *Petilianus*, tribuunt Petiliano Donatiſtæ, quem D. Auguſtinus libris tribus confutatum dedit. Aiunt enim ſenſiſſe Petilianum, martyres eſſe quos malè admiſſorum pœnitentes in vitam ſuam ſæuire ad ſatisfaciendum numini, & vltionem de ſeipſis ſumendam contigerit. Non memini tamen id vſpiam apud Auguſtinum in Petiliano peculiariter notari, niſi in eum refundi placeat, probra fæcis Donaſtitarum, (hoc eſt circumcellionum) quos inter ille agebat Epiſcopum. Sæpè autem ab Auguſtino proditur pluſquàm barbara Circumcellionum truculentia, quæ

ſe in martyrium, (vt ipſi quidem vocabant,) ea peruicatia inferebant, vt ſumma quæque minarentur iis in quos incurrebant, niſi ab eis occiderentur: quod moraliter loquendo perinde erat ac ſi ſe occidiſſent: & tamen ingloria illa cæde cadentes, martyrum ſibi titulum arrogabant. Plerũque etiam inſiliebant vltrò in ignes, vel in mare, certi & obfirmati perire; & cum viuerent vt latrones, mori ſe iactabant vt martyres: quod abſolutè de Donatiſtis dixit D. Auguſtinus l. 2. contra lit. Petil. c. 85. Eorundem Circumcellionum hac in parte rabiem, expetitione martyrij obductam, deſcribit pleniùs idem Auguſtinus hæreſi 69. & optimè epiſto. 50. vbi ſic præter cætera loquitur de Circumcellionibus. [Ad paganorum celeberrimas ſolemnitates ingentia turbarum agmina veniebant, non vt idola frangerent, ſed vt interficerentur à cultoribus idolorum. Nam illud ſi accepta legitima poteſtate facere vellent, ſi quid eis accidiſſet, poſſent habere qualemcunque vmbram nominis martyrum: ſed ad hoc ſolùm veniebant, vt integris idolis ipſi perimerentur. Nam ſinguli quique valentiſſimi iuuenes cultores idolorum, quis quot occideret, ipſis idolis vouere conſueuerant. Quidam etiam ſe trucidandos armatis viatoribus ingerebant, percuſſuros eos ſe, niſi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. Nonnunquam & à iudicibus tranſeuntibus extorquebant violenter, vt à carnificibus vel ab officio ferirentur. Vnde quidam illos ſic illuſiſſe perhibetur, vt eos tanquam percutiendos ligari & demitti iuberet, atque ita eorum impetum incruentus, & illæſus euaderet. Iam verò per abrupta præcipitia, per aquas, & flammas occidere ſe-

ipſos, quotidianus illis ludus fuit. Hæc enim eos "
tria mortis genera Diabolus docuit, vt mori vo- "
lentes, quando non inueniebant quem terrerent vt "
eius gladio ferirentur, per ſaxa ſe mitterent, aut "
ignibus, gurgitibúſque donarent.] "

Dignum planè iis moribus, támque exaggerata peruerſitate exitium. Fuiſſe enim Circumcelliones, non modò in poſtremo hoc actu truces, & ſupra omnem barbariem efferos, ſed etiam in anteriore vita truculentiſſimos, idem Auguſtinus cum frequentiſſimè alibi tradit, tum nominatim in pſal. 10. ad illud, *in obſcuro rectos corde*; & in pſal. 54. ad illud *viri ſanguinum & doloſi*. Sed & ante D. Auguſtinum S. Optatus l. 3. contra Parmen. rabidos Circumcellionum mores, & feralia pſeudomartyrij vota egregiè expreſſit. Mores quidem in hunc modum. [Cum Maxido & Faſir, ab ipſis inſanien- "
tibus ſanctorum duces appellarentur, nulli licuit "
ſecurum eſſe in poſſeſſionibus ſuis: debitorum chi- "
rographa amiſerant vires, nullus creditor illo tem- "
pore exigendi habuit libertatem. Terrebantur om- "
nes litteris eorum, qui ſe ſanctorum duces fuiſſe "
iactabant: & ſi in obtemperando eorum iuſſioni- "
bus tardaretur, aduolabat ſubitò multitudo inſa- "
na, & præcedente terrore, creditores periculis val- "
labantur: & qui pro præſtitis ſuis rogari meruerant, "
metu mortis humiles impellebantur in preces. Fe- "
ſtinabat vnuſquíſque debita etiam maxima perde- "
re, & lucrum computabatur, euaſiſſe ab eorum in- "
iuriis. Etiam itinera non poterant eſſe tutiſſima. "
Quot Domini de vehiculis ſuis excuſſi, ante man- "
cipia ſua dominorum locis ſedentia, ſeruiliter con- "
currerunt? Illorum iudicio, & imperio inter Do- "

« minos & ſeruos conditio mutabatur.] Mox verò de larua cupiditatis martyrij in iiſdem graſſatoribus, « hæc ſubdit. Ex ipſo genere fuerunt qui ſibi percuſ- « ſores ſub cupiditate falſi martyrij in ſuam perni- « ciem conducebant. Inde etiam illi qui ex altorum « montium cacuminibus, viles animas proiicientes, « ſe præcipites dabant.] Hos rabioſos, Agoniſticos dictos propter agones quibus certabant S. Auguſtinus auctor eſt in pſal. 132. nec ſiluit Optatus. S. Hieronymus l. de hæreſ. Iudæo. Goriſpitas refert nominatos, & eorum phreneſim in vana aucupatione, martyrij irrogata ſibi ipſis nece, breuiter attingit. Huic immanitati ſpeciem martyrij obtendere, inſaniæ plenum eſt.

2. Longè verò diſpar eſt ratio Sanctorum quorumdam, qui impulſu interno diuini Spiritus acti, inſtantibus & mortem inferre paratis Ethnicis, vt Chriſtianæ conſtantiæ ſpecimen ederent, collectis viribus in ignes aquáſve ſubitò inſiluerunt, alitérve mortem ſibi conſciſcere ſunt viſi. Quo nomine celebrantur trecenti martyres Carthagine in fornace paſſi, vt habent Eccleſiaſticæ tabulæ 24. Auguſti, dictíque *Maſſa candida.* Exornarunt eos Auguſtinus ſerm. 112. de diuer. & Prudent. hymno 12. ſub finem. Sanctæ item pleræque mulieres ad auertendum caſtitatis dedecus, quod meritò timebatur, eodem impellente Spiritu ſancto abiecerunt ſe in aquas vel confoderunt ſeſe, certæ mori vt contaminatæ non viuerent. Multa huiuſmodi exempla collegit Baron. anno Chriſti 309. & Eſpencæus l. 4. de contin. c. 14. & 15. Quibus an ſit adiungenda illa, quæ Maxentij fœdationem gladij adactione præuenit, vt narrat Euſebius 8. hiſtor.

c. 27.

c. 27. (Sophroniam ibi vocat Ruffinus,) viderint alij. Horum alia (vt dixi) ratio fuit, quàm Circumcellionum. Liquet enim nullam ab eis propriæ cædis labem contractam ob interuenientem Dei impulſum, quo autore homo licitè ſibi vim affert. Et cum alioqui mors illa moraliter loquendo irrogaretur ab iis qui occaſiones illas pereundi v. g. abiiciendi ſeſe in aquas aut ignes ſubminiſtrabant, meritò ea mors, & ad martyrium ſufficiens, & ab alio illata cenſebatur: vt proinde in eo quoque martyrio perſecutorem à patiente diſtinctum interueniſſe, non ſit dubium. Sic igitur perſecutoris à martyre diſtinctio ſit conſtituta.

Quæ propria notio perſecutoris, perfectos martyres facientis.

3. Nunc perſecutoris notio & veluti quidditas aperienda eſt; poſtulat enim affundi lucem aliquam. Perſecutor igitur non is tantùm eſt, qui Chriſtianum letho addicit, vel obtruncat eo nomine quod Chriſtianus ſit, ſed quiſquis Chriſtianum exagitat, quia Chriſtianus eſt; aut quia aliquid ad Chriſti doctrinam pertinens profitetur, quibuſcúnque tandem modis ea hominis prout Chriſtiani exagitatio perficiatur. Nam licet D. Auguſtinus l. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 9. tractans illud, *cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum*, ſecernat diligenter tria illa, & poſtremum ad detractionem, alterum ad contumeliam, primum ad vexationem per vim aut inſidias ſpectare velit: Tamen rigor vocis plus fert, omniſque vexatio, nomine perſecutio-

nis

nis comprehendi poteſt. Idque ſatis agnouit eodem loco Auguſtinus. Tractans enim verba illa *Sita perſecuti ſunt Prophetas*, ſic ſcribit. [Nunc perſecutionem generaliter poſuit, & in maledictis & in dilaceratione famæ.] Non diſſimiliter S. Optatus l. 3. contra Parmen. perſecutionem ait eſſe *bellum Chriſtianorum*, quod videlicet in eos infertur; temerariúmque pronunciat, dicere martyres eſſe qui nullum tale bellum ſenſerint. Hoc tamen loco, perſecutorem reſtringere neceſſe eſt, ad eum qui vexat inferendo mortem: quandoquidem perſecutio quæ ad martyrium preſsè dictum exigitur, ea duntaxat eſt, qua eripitur vita vt ſtatim dicemus.

Neceſſe eſt vt mortem inferat, ſaltem in neceſſaria eius cauſa.

4. In martyris perſecutore ſic ſpectato, vt martyrem cenſeatur efficere, duo tantùm ſunt attendenda: nempe & vt reipſa mortem intulerit, & vt in odium fidei. Iungo hæc duo, quia ni mors reipſa inferatur, quantáuis præceſſerint tormenta, inferendæ morti inidonea, non cenſebitur niſi affectum martyrium, ea quam nunc conſectamur vocis ſeueritate retenta, cui antiquus vſus ſuffragatur. Sic enim Victor Vtic. l. 1. perſec. teſtatur Armogaſtem mandato Theodorici filij Gerſerici obtruncandum, tandem poſt multos cruciatus à Iucundo Arriano morti ſubductum eſſe, ne martyr haberetur. Eos qui citra mortem ſic cruciantur Laurentius Iuſtinianus ſerm. de Innocent. vocat *voluntate non actu martyres*. S. Auguſtinus l. de ſancta virginit. c. 45. & lib. de bono coniugali c. 21. ait eos pati *martyrium*

tyrium in habitu animi,nō in ipſa paſſionis experientia. Quod imitatus Primaſius l.3.in Apocal.vocat *martyrium in habitu non in actu.* De ratione enim martyrij in actu & conſummati, ſtatuit mortem. Ita etiam paſſim reliqui. Proptereáque Deipara, quicquid malè è contra ſtatuat Spinellus in opere de throno Dei cap.11.n.2. defectu mortis à perſecutore irrogatæ, non fuit formaliter martyr, nec martyrij aureolam eſt conſecuta, vt rectè affirmant Suarez t.2.3.p.d.21.ſ.4.Salas 1.2.tract.2.d.8.n.75. Turrecrem. in qq. Euang. ad feſtum Circunc. q.2. quamuis ſimilitudinariè martyr dicatur, ob ſummos dolores filij cauſa toleratos. Quod vnum voluit Sophronins homil. de Aſſumpt. Richard. c. ſuo 26. in Cantica. Catharinus l. 3. de concept. perſuaſ.7. & quotquot Deiparam appellant martyrem, tametſi non ignorant commentitium eſſe quod de illata ei in Chriſti odium nece, refertur apud Iſidorum lib.de vita & obitu Sactorum: occaſione, (vt videtur,) accepta, ex prophetia Simeonis, quæ admodum ancipitem habet S. Paulinum epiſt.43. quæ eſt 3. ad Auguſtinum.

5. Si tamen tormenta & ærumnæ ad inferendam de facto mortem naturaliter ſuffeciſſent, tantúmque diuina manus miraculo hominem exemiſſet à morte, non deberet cenſeri abeſſe martyrij decor; quandoquidem tum demum perſpicuè proditur, non ſtetiſſe per hominem, quominus Chriſto pro nobis mortem paſſo, mortem rependeret. Aliud autem eſt voluntatem martyrio, aliud martyrij extremum exitum voluntati defuiſſe, vt S.Cyprianus admonuit epiſt.9.& 37.& lib.de mortal. *ſub finem,* & lib.de exhortat. martyr.c.12. Con-

geſtis nonnullis exemplis idipſum confirmat epiſt.
« 58. ſic ſcribens. [Non in tribus pueris minor fuit
« martyrij dignitas, quia morte fruſtrata de camino
« ignis incolumes exierunt: aut non conſummatus
« Daniel éxſtitit in ſuis laudibus, quia qui in leoni-
« bus miſſus fuerat ad prædam, protectus à Domino
« vixit ad gloriam. In confeſſoribus Chriſti, dilata
« martyria non meritum confeſſionis minuunt, ſed
« magnalia diuinæ protectionis oſtendunt.] Eadem
exempla adhibuerat Tertullianus c.8. ſcorp. ſic ex-
« clamans de tribus pueris. [ô martyrium & ſine paſ-
« ſione perfectum. Satis paſſi, ſatis exuſti ſunt, quos
« propterea Deus texit, ne poteſtatem eius mentiti
« viderentur. Nam & Danielem, nullius præter Dei
« ſupplicem, & idcirco à Chaldæis delatum ac de-
« poſtulatum, ſtatim vtique concluſa & vſitata feri-
« tas leonum deuoraſſet, ſi Darij digna præſumptio
« de Deo falli debuiſſet.] In eandem ſententiam per-
pulchrè S. Chryſoſtomus orat. de S. Euſtachio te-
« ſtatus id à ſe frequenter iteratum. [Sæpenumerò
« (inquit) dixi vobis, martyrem facere non mortem
« tantùm, ſed animi quoque propoſitum. Non enim
« euentu ſolo, ſed etiam voluntate, martyrij corona
« comparatur. Et hanc non ego, ſed Paulus affert
« martyrij definitionem, cum ita dicit; quotidie mo-
« rior. Quomodo quotidie moreris? Quî fieri poteſt,
« vt vno corpore ſexcentas mortes excipias? Propo-
« ſito nimirum animi, (inquit,) quodque ad mor-
« tem ſim paratus. Ita Deus etiam declarauit. Etenim
« Abraham non gladium cruentauit, non altare ru-
« befecit, non Iſaac iugulauit: ſed tamen ſacrificium
« perfecit. Quis hoc ait? Ille ipſe qui ſacrificium
« ſuſcepit. Non pepercisti enim,)inquit,) filio tuo
dilecto

dilecto propter me. Atqui viuum eùm recepit, & « incolumen reduxit: Quomodo igitur non pepercit? Quod non ex factorum exitu, ſed ex animi ſententia, (inquit,) de eiuſmodi ſacrificiis ſoleam iudicare. Non mactauit manus, at voluntas mactauit; non gladium pueri iugulo immerſit; non ceruicem incidit; ſed eſt ſacrificium etiam ſine ſanguine.] Eadem repetit in Pſalm. 95. *ſub finem*, & optimè in calce homiliæ quid nemo læditur niſi à ſeipſo.

6. Aptiſſimum eſt exemplum ſancti Ioannis Euangeliſtæ, ex quo ſic in rem præſentem ratiocinatur S. Gregorius lib. 3. dialog. c. 26. [Duo ſunt martyrij genera, vnum in occulto, alterum quoque in publico. Nam etſi perſecutio deſit exteriùs, martyrij meritum in occulto eſt, cùm virtus ad paſſionem prompta, flagrat in animo. Quod enim eſſe poſſit & ſine aperta paſſione martyrium, teſtatur in Euangelio Dominus; qui Zebedæi filiis adhuc præ infirmitate mentis, maiora ſeſſionis loca quærentibus, dicit: poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Cui videlicet cùm reſponderent, poſſumus; ait vtriſque: calicem quidem meum bibetis; ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis. Quid autem calicis nomen, niſi paſſionis poculum ſignat? Et cùm nimirum conſtet, quia Iacobus in paſſione occubuit, Ioannes verò in paſſione Eccleſiæ quieuit; incunctanter colligitur eſſe & ſine aperta paſſione martyrium, quando & ille calicem Domini bibere dictus eſt, qui ex perſecutione mortuus non eſt.] Præclarè quoque in eandem ſententiam S. Auguſtinus ſerm. 106. de diuerſ. c. 4. Sanctum Ioan-

nem

nem conferens cum tribus pueris Babylonicis.
" [Non quia Ioanni Apoſtolo paſſio defuit, ideo
" paſſioni animus præparatus deeſſe potuit. Non eſt
" paſſus, ſed potuit pati. Præparationem eius Deus
" nouerat; quemadmodum tres pueri arſuri miſſi
" ſunt, non victuri. Negabimus eos martyres quia
" flamma eos vrere non potuit? Interroga ignes,
" paſſi non ſunt. Interroga voluntatem, coronati
" ſunt. Potens eſt enim Dominus, (dixerunt) eruere
" nos de manibus tuis. Sed etſi non: Sunt ibi certa
" pectora, & ſtabilis fides, ibi virtus inconcuſſa, ibi
" victoria ſecura: Sed etſi non; notum tibi ſit Rex,
" quoniam ſtatuam quam ſtatuiſti, non adorabimus:
" Aliud Deo placuit. Non arſerunt, ſed ignem ido-
" lolatriæ in animo Regis extinxerunt.] Martyres
fuere tres ſancti pueri, quia etiamſi mortui reipſa
non ſint in igne, admota tamen eis eſt naturalis
cauſa mortis. Similiter martyr quoque fuit Ioannes,
quamuis non mortuus in perſecutione. Sed nimi-
rum feruentis olei dolium in quod pro Christo im-
miſſus eſt, & medicatus liquor ob Chriſti fidem
propinatus, vitam planè erant ereptura S. Apoſto-
lo, ni Deus dilectum ſuum benignè texiſſet ſupra
naturæ ordinem.

Nec aliter ſenſerim de pleriſque quos lethali-
bus vulneribus non affectos, cauſis tamen eorum
certò illatiuis expoſitos, mera Dei prouidentia in-
demnes præſtitit; cuiuſmodi fuere permulti qui ab
immiſſis in eos feris nullam ſubiere moleſtiam: &
alij quibus medium fornacis factum eſt in locum
amæniſſimum, & quaſi vento roris perflante tem-
peratum. Similia in actis martyrum crebrò occur-
runt de quibuſuis ſuppliciis, eo dempto quod gladio
humana

humana manu vibrato infertur: Deo ea quoque in parte humanæ libertatis iura, volente integra, vt quia gladius etiam ſi contiguus, ex ſe non ageret niſi ab homine vibraretur, (contra quàm accideret contiguo igne aut fera) cenſeatur gladij actio, eademmet quæ liberæ voluntatis, quam Deus cum reuerentia diſponens, ne cum ſuorum quidem vita periclitatur, vult præpedire; vt philoſophatur S. Bonau.in 4.d.4,artic.1.q.3.in corp. præter alias cauſas quas profert Philippus Berlaymont in parád. puero.parte 3.c.4.initio, & ante eum Mallonius ad c. 21. Palæoli de ſacra ſindone, & Detr. 2. Mag. q. 21.initio. Omnes igitur qui admotis naturalibus mortis cauſis,ſunt ſeruati diuinitùs, neque martyrio defuerunt ipſi, neque propriè ipſis defuit martyrium, quamuis mortis conſecutio præter naturæ leges diuinitùs fuerit impedita.

Ea perſecutione ſecluſa, quantacunque patiendi voluntate poſita,nullum martyrium.

7. Cauendum tamen eſt,ne quod nonnulla paulo ante prolata Patrum verba ſonare videntur, cenſuitque reipſa Martinus de Magiſtris q. 1. de martyrio concluſ.3.exiſtimemus, nullis applicatis externis cauſis mortem naturaliter illaturis, ſolam internam martyrij voluntatem, quatumuis luculentam, poſſe ad martyrium preſsè acceptum ſufficere. Id quod etiam multo euidentius eſt, in eo qui cæteróqui à perſecutore quietus eſt.

Fateor meritum poſſe eſſe, non diſpar in eo qui mortem pro Chriſto deſiderat, & cum cui ipſa infertur, iuxta illud S.Paulini,Natali 3.S.Felicis,

[Cœleſtem nactus ſine ſanguine martyr honorem.
Nam confeſſor obit, pœnas non ſponte lucratus,
Acceptante Deo fidam pro ſanguine mentem;
Qui cordis taciti ſcrutator, ferre paratos
Æquiparat paſſis: ſat habens interna probaſſe,
Supplicium carnis iuſta pietate remittit:
Martyrium ſine cæde placet; paſſura voluntas
Sufficit, & ſumma eſt meriti, teſtatio voti.]

Nec plus ferunt illa Laurentij Iuſtiniani de S. Martino, ſermone de eo. [Martyrum extitit conſors, " cuius animam etſi gladius perſecutoris non abſtu- " lit, palmam tamen martyrij non amiſit. Quomodo " martyrij gloriam ipſum non habere cenſendum eſt, " qui flagrans amore martyrij, pro fidei teſtificatione " Catholicæ, terrenorum principum nec expauit po- " tentiam, neque hæreticorum ſæuitiæ ceſſit, quin " conſtanter veritatis propalaret regulam, eorúmque " confutaret errores. Magnum prorſus eſt hoc marty- " rij genus, vltrò ſe pro Chriſti honore dare periculis, " quum ſecedendi etiam ſanctis à Domino facultas " tribuatur. Contempſit ſanctus hic fugam, malens " glorioſè occumbere, quàm ex paſſionis metu huma- " niter occultari. Toties igitur martyrij promeruit pal- " mam, quoties ſe inimicis fidei diſputando oppoſuit. " Perditioni namque illorum compatiens, pietatis " telo transfixus, vnitatis eos conabatur reuocare ad " gremium.] Eadem de S. Martini martyrio legere licet apud Seuerum Sulpitiū epiſt. 2. ac latè apud S. Odonem, tract. quod S. Martinus ſit par Apoſtolis.

8. Hæc quamuis ita ſint, ſola tamen mortis irrogatio, conſtituit perſecutionem, qua martyr illorum fructuum qui ex opere veluti operato adiunguntur

martyrio, capax efficitur. Nos autem penes eos fructus verum martyrium metimur. Ait quidem Vaſques 1. 2. d. 76. n. 12. eum qui mortem pro Chriſto æquè perfectè deſiderat, atque qui is reipſa mortem excipit, tantumdem præmij reportaturum; (dempta aureola quæ ſoli perpeſſioni mortis rependitur,) ac is qui reipſa affectus eſt morte, in Chriſti cauſa. Tamen quo iure autor prædictus, deſiderio quamuis perfecto aureolam negat; eodem nos, alia pretioſiora munera, ei à perpeſſione mortis ſeiuncto, negata volumus; portionem ſcilicet gratiæ, eique commenſam gloriam, quæ citra meritum operantis, atque adeò non ſub ratione præmij, ſed in ratione muneris gratuiti tribuitur martyri ob exceptam mortem; quod Vaſques ſecutus ſententiam infra improbandam, malè diffitetur. Simile eſt in Euchariſtiæ atque Baptiſmi Sacramentis. Nam quia eorum ſuſceptioni, adiuncta eſt gratiæ collatio ex opere operato ſupra diſpoſitionem operantis; idcirco quamuis meritum operantis, eique reſpondens gratia, poſſit æquè cerni in eo qui reipſa Sacramentis illis initiatur, & in eo qui tantùm deſiderat initiari, tamen externa Sacramenti ſuſceptio, aliquid gratiæ infert ſub ratione muneris, quod ſpirituali Sacramentorũ illorum ſuſceptioni, ſiue eorum ſuſcipiendorum deſiderio, non rependeretur. Sola igitur mors, reipſa, vel in cauſis idoneis homini irrogata, martyrem preſsè & propriè efficit, vt rectè cenſuit Maior in 4. d. 49, q. 24. & paſſim alij, malè reclamante Martino, cuius omnia argumenta tantùm probant, deſiderio illi interno adiungi poſſe par meritum ex opere operantis; & eiuſdem habitus impreſſionem reſpondere poſſe, ac voluntati adiun-

ctam habenti mortis perpeſſionem, quæ ſunt extra cauſam præſentem.

Quomodo martyres, qui ante admota tormenta, aut in fuga, mortui.

9. Videri poſſet S. Cyprianus in contraria eſſe ſententia, & velle martyrium in ſolo efficaci eius ſubeundi deſiderio poſſe conſiſtere. Sic enim diſſerit epiſto. 37. agens de illis qui nondum admotis tor- « mentis in carcere moriuntur. [Corporibus omnium « qui etſi torti non ſunt in carcere, tamen glorioſo « exitu mortis, excedunt, impertiatur & vigilantia, & « cura propenſior. Neque enim virtus eorum, aut « honor minor eſt, quo minus ipſi quoque inter bea- « tos matyres aggregentur. Quod in illis eſt, tolerauerunt quicquid tolerare parati, & prompti fuerunt. « Qui ſe tormentis & morti ſub oculis Dei obtulit, « paſſus eſt quidquid pati voluit. Non enim ipſe tor- « mentis, ſed tormenta ipſi defuerunt. Qui in me « confeſſus fuerit coram hominibus, & ego in illo « confitebor coram Patre meo, dicit Dominus. Con- « feſſi ſunt. Qui tolerauerit vſque ad finem, hic ſaluus « erit; dicit Dominus. Tolerauerunt, & ad finem vſque « incorrupta & immaculata virtutum ſuarum merita « pertulerunt. Et iterum ſcriptum eſt: eſto fidelis vſ- « que ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Vſque « ad mortem fideles, & ſtabiles, & inexpugnabiles « perſeuerauerunt. Cum voluntati & confeſſioni no- « ſtræ in carcere & vinculis, accedit & moriendi ter- « minus, conſummata martyrij gloria eſt.] Videtur vt dicebam S. Cyprianus conſummatam martyrij gloriam abſque vllis tormentis inflictis agnoſcere, atque

atque adeò admittere aliquos ſolo martyrij deſiderio, conſtitui martyres: non enim aliud præterea occurrit quod eos poſſit conſtituere martyres.

Sed dicendum eſt conſtitui martyres per mortem ex ærumnis in carcere toleratis profectam, quamuis abſque cruciatibus per tormenta. Quod proportione extendendum eſt ad illa eiuſdem Cypriani lib. de exhortat. martyr. c. 12. [Nec ſolos animaduerſos & interfectos, diuinæ pollicitationis manent præmia, ſed etiam ſi ipſa paſſio fidelibus deſit, fides tamen integra, atque inuicta perſtiterit, & contemptis ac relictis ſuis omnibus Chriſtum ſe ſequi Chriſtianus oſtenderit, ipſe quoque à Chriſto inter martyras honoratur; pollicente ipſo & dicente: nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantùm in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam. Item in Apocalypſi hoc idem loquitur: Et vidi, inquit, animas occiſorum propter nomen Ieſu, & ſermonem Dei; & cùm primo in loco poſuiſſet occiſos, addidit dicens: & quicunque imaginem beſtiæ non adorauerunt, nec acceperunt inſcriptionem in fronte, aut in manu ſua; quos vniuerſos à ſe in eodem loco ſimul viſos coniungit, & dicit: & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto. Viuere omnes dicit, & regnare cum Chriſto, non tantùm qui occiſi fuerint, ſed & quicunque in fidei ſuæ firmitate, & Dei timore perſtantes, imaginem beſtiæ non adorauerint, neque ad funeſta eius & ſacrilega edicta conſenſerint.] Quod inquam S. Cyprianus ad iſtos ſine cæde vita functos martyrium extendit, ſi de propriè dicto martyrio accipiatur,

exponendum eſt, vt cadat in eos tantùm, qui non quidem impacto gladio, ſed tamen ob ærumnas occaſione Chriſti exceptas, emoriuntur.

10. Facilior etiam eſt enodatio loci in ſpeciem implexi apud Hieronymum lib. 2. in Iouinia. ad 4. " propoſitionem, cum ait. [In martyre, voluntas ex " qua ipſa mors naſcitur, coronatur.] Hæc enim verba, tametſi ſeorſim ſumpta, poſſent vtcũque ſonare quod nunc reiicimus, vel potiùs vtcunque trahi ad repobratũ illũ ſenſum; tamen ſi cum antecedentibus & conſequentibus quibus apud Hieronymum nexa aptáque ſunt, accipiantur, ſenſum faciunt ab eo longè diuerſum. Appendo itaque integram ſententiam qua reſpõdet illi propoſitioni Iouiniani ſuperiùs recitatæ in farragine argumentorum eius pro æqualitate meritorum & gratiæ in omnibus iuſtis. [In perſecutione qui incenditur, qui ſuffocatur, qui decollatur, qui fugerit, qui in carcere incluſus obierit, varia quidem luctæ genera, ſed vna corona victorum eſt.] Hæc Iouiniani verba ſic repellit infra S. Hieronymus. [Si in perſecutione qui ſuffocatur, & qui decollatur, & qui fugerit, & qui in carcerem retruſus obierit, in variis luctæ generibus vna corona victoriæ eſt; & hoc pro nobis facit. In martyre enim voluntas, ex qua ipſa mors naſcitur, coronatur. Meum eſt, opponere me gentilium furori, & Dominum non negare. Iam in illorum arbitrio eſt, aut decollare, aut vrere, aut recludere in carcerem, aut varia adhibere genera pœnarum. Quod ſi fugero, & in ſolitudine obiero, nec eadem erit corona morientis, quia non eadem cauſa mortis eſt Chriſtus.] Vides, Hieronymi locum nullo modo incommodare ſententiæ à nobis poſitæ: nec confirmare,

firmare, veritatem martyrij preſsè dicti, in nudo deſiderio retineri, quod pauca illa verba prout ab alijs diuulſa referebantur, vtcumque ſonabant.

Quod verò addebat S. Hieronymus; fugientem, & in ſolitudine obeuntem, non eſſe martyrem, (contra quàm aſſeruerat Iouinianus,) quomodo intelligendum ſit, liquet ex poſtremis illis verbis, *quia non eadem cauſa mortis, eſt Chriſtus.* Ex quibus apparet, S. Hieronymum, negare coronam martyrij ei qui inter fugiendum perſecutores, alia ex cauſa occubuerit quam quæ perſecutionem attingat. Vt puta ſi ex quo in locum tutum deuenit valens & incolumis, incidat poſtea in morbum, indéque mors ſequatur, quæ certè ad martyrium ſatis non foret: idque apertè habet Synodica Concilij Africani ad Cornelium, quæ eſt apud Cyprianum epiſtola 54. num. 17. At ſi ob ærumnas, in fuga illa cum perſecutione connexa toleratas, aut ob incommoda exilio & fugæ coniuncta, ſequeretur mors; tunc moriendi cauſa, eſſet Chriſtus. Nec refragaretur S. Hieronymus, quominus qui ita occumberet, inter martyres numeraretur. Eſt aperta ſententia S. Cypriani epiſto. 56. verbis illis expenſione digniſſimis. [Vbicunque in illis diebus « vnuſquiſque fratrum fuerit à grege interim neceſ- « ſitate temporis corpore non ſpiritu ſeparatus, non « moueatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens « & latens deſerti loci ſolitudine terreatur. Solus « non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt. Solus non « eſt, qui templum Dei ſeruans, vbicúnque fuerit, « ſine Deo non eſt. Etſi fugientem in ſolitudine ac « montibus latro oppreſſerit, fera inuaſerit, fames, « aut ſitis aut frigus afflixerit, vel per maria præci- «

 piti

« piti nauigatione properantem, tempeſtas, ac pro-
« cella ſubmerſerit, Spectat militem ſuum Chriſtus
« vbicunque pugnantem; & perſecutionis cauſa pro
» nominis ſui honore morienti præmium reddit,
« quod daturum ſe in perſecutione promiſit. Nec mi-
» nor eſt martyrij gloria, non publicè & inter mul-
« tos periſſe, cum pereundi cauſa ſit propter Chri-
« ſtum perire. Sufficit ad teſtimonium martyris ſui,
« teſtis ille qui probat martyres, & coronat.] Lucu-
lenter quoque S. Athanaſ. in Apol. de fuga ſua
poſt prolatum exemplum Apoſtoli & priſcorum in
« perſecutione fugientium. [Non præ timore ope-
« ram fugæ præbuit; abſit: quin potius fugam habe-
« bat pro palæſtra & meditatione aduerſus mortem.
« Duo hæc pariter obſeruabant, & quidem conſul-
« tò, ne ſeſe periculis obiicerent, neque cum crimi-
« ne ignauiæ quaſi ignaui timidíque exilij ærumnas
« morte grauiores exhorrerent. Quj enim moritur,
« quieſcit à miſeriis, qui autem in fugam ſe dat, cum
« in horas inimicorum adortus expectet, mortem
« longè leuiorem quàm fugam exiſtimat. Quapro-
« pter qui in fuga moritur, non inglorius mori-
« tur, nam & hi quoque adoream martyrij conſe-
« quuntur.]

Mors à perſecutore, inferenda in fidei odium, & quid illud.

11. Alterum quod in perſecutore attenden-
dum dicebam, eſt, vt mortem martyri inferat in
fidei odium: quo nomine intelligitur inprimis di-
recta & immediata fidei inſectatio ad extorquen-
dam à fidelibus veræ fidei negationem, aut diuinæ

legis

legis violationem; iuxta illud Optati lib. 3. [Nulli »
dictum eſt, nega DEVM; nulli dictum eſt incen- »
de Teſtamentum; nulli dictum eſt aut thus pone, »
aut baſilicas dirue. Iſtæ enim res, ſolent martyria »
generare.] Similitérque Hippolitus orat. de con- »
ſummat. mundi, tractans quodnam futurum ſit ſigillum illud aut character Antichriſti, de quo Apocal. 13. ſic ſcribit. [Dicimus fortaſsè ſcripturam «
illius ſigilli eſſe, *ἀρνοῦμαι*, id eſt nego. Nam antea «
quoque hoſtis ille nobis aduerſarius opera mini- «
ſtrorum ſuorum, hoc eſt, idololatrarum, Chriſti «
martyres hortantium; negato aiebat, Deum tuum «
crucifixum. Tale erit tempore illius honeſtatis om- «
nis oſoris, ſigillum, dicens. Nego creatorem cœli; «
& terræ, nego baptiſmá, nego adorationem à me «
Deo præſtari ſolitam: Tibi adhæreſcò, in te credo.] «
Præterea nomine *odij fidei*, intelligitur inſectatio alicuius ob opus ex Chriſti doctrina neceſſarium. Qua ratione S. Thomas Cantuarienſis habetur martyr, quamuis cæſus pro ſola tuitione iurium Eccleſiæ, ad quam ex munere Epiſcopi aſtringebatur. Quod cum tempore cædis patratæ non cenſeretur ad martyrium ſufficere, & Clerici Miſſam pro defuncto canere aggreſſi eſſent, cohibiti ſunt ab obſtrepentibus beatorum ſpirituum choris, qui miſſam de vno martyre cuius eſt initium *lætabitur iuſtus, &c.* occinuerunt, vt refert Turrecr. in qq. Euang. ad eius feſtum. Denique nomine *odij fidei*, intelligitur quoque inſectatio ob exercitium operis ex ſe boni, & aliquo tandem modo, ad fidem ſiue propagandam, ſiue tuendam, ſiue illuſtrandam tendentis, lege autem humana iniqua prohibiti. Qua ratione Apoſtoli, percuſſi quod non paruiſſent

legi qua vetabantur in Chriſti nomine docere, ibant gaudentes quoniam digni habiti eſſent pro nomine I E S V, contumeliam pati: Et tamen non fuerant verberibus multati, niſi quia tranſgreſſi erant Pontificum præceptum, quo iuſſi fuerant ne docerent in Chriſti nomine, vt habetur Acto. 4. & 5. Cum igitur Apoſtoli intellexerint, ſe eam ob cauſam cæſos, verè nihilominus cæſos eſſe pro Chriſti nomine, haud dubiè etiam intellexerunt ſi caſtigatio illa ad mortem vſque inferendam pertigiſſet, veri martyrij decore carituram non fuiſſe. Enim verò ſupponimus legem humanam de qua agitur, iniquam eſſe: Vnde cruciatus irrogatus violanti legem, & mors ad cruciatum conſequens, non eſt verè pœna illius: quia pœna ſupponit culpam, quæ legis iniquæ violatione non admittitur. Eſt igitur vexatio, non ob violatam legem, ſed ob ſeruatam, aut propagatam, vel illuſtratam religionem ac fidem, qui eſt apertiſſimè idoneus ad verum martyrium titulus. Et veriſſimum quidem eſt, plerunque abſtineri abſque culpa poſſe, exercitatione operum, huiuſmodi lege vetitorum, ſiue quia non cadunt ſub aliquod Dei aut Eccleſiæ præceptum; ſiue quia vigor legis affirmatiuæ ex qua mandantur, molliri ac remitti ſolet in neceſſitate graui & imminentibus non vulgaribus periculis. Si tamen quis prudenter iudicet, opus illud (voluntariæ licet pietatis,) ad Dei gloriam & fidei decus, vel augmentum, aut tutelam conferens, à ſe honeſtè vſurpandum, non obſtante iniqua lege, & illi exercendo incumbens occidatur, profectò cum non occidatur vt malefactor, ſed vt Chriſtianus, eſt quod glorificet D E V M in iſto nomine, nec dubitetur eſſe verè

rè martyr, qui ſic confitens Chriſtum,& pro Chriſti cauſa, eſt obtruncatus.

Quotquot in Eccleſia habiti martyres, ex eo fidei odio cæſi.

12. Niſi igitur perſecutor aliquo ex propoſitis Chriſti aut fidei odiis ad inferendam martyri mortem agatur, poterit quidem mors illata ad meriti & virtutis ſegetem pertinere, non tamen ſufficiet ad martyrium. Falſúſque eſt aut fallere voluit Ethnicus ſcriptor Ammianus Marcellinus lib. 27. cum dixit, apud Chriſtianos, quoſuis quacunque ex cauſa iniuſtè necatos, martyrum loco habitos quod Dioclis cuiuſdam & Diodori, confictis aut aliò obtortis exemplis,confirmat. Sed perperam. Nam Eccleſiæ ſenſus, contrarium ſemper tulit. Et ita ex parte ſignificatum eſt vulgari illo effato, *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa*, quod ex S. Cypriano laudat S.Gregorius l.2.epiſto.36.ex datis indict. 10. Quatenus enim illud quaſi effatum ſpectat ad inimicum, & vltorem; ad eum inquam, à quo teſti Chriſti, mors impendet, attendere monet qua ex cauſa perſecutor mortem inferre fixum habuerit. Et niſi ex ea quam dixi cauſa odij fidei, impulſus ſit ad cædem,fruſtra cædes decorabitur martyrij nomine, quamuis poſſit ad magnum innocentis eam patienter excipientis, meritum pertinere.Sic S.Eduardus nouercæ artibus cæſus, vt eſt apud Surium 18. Martij, quia non eſt trucidatus ob fidem, ſed vt regnum alteri obtingeret, non habetur martyr, quicquid Angli quandoque ſenſerint. Idem diſertè quoad mortem per Vandalos non ex Chriſti fideíve odio,

odio, ſed ex ſæuitia & rapacitate, fidelibus irrogatam, cenſuit Afer quidam Epiſcopus, vt refert, & quoad hoc approbat D. Auguſtinus epiſtola 180. *ſub initium.* Eadémque ex cauſa, Lanfrancus de S. Elphegi Cantuarenſis Epiſcopi vero martyrio dubitauit, quod tantùm cæſus diceretur, quia noluiſſet appenſo ingenti litro vitam redimere. Hoc enim ad verum martyrium non ſufficere, rectè cenſebat Lanfrancus, vt refert Edinerus l.1. vitæ S. Anſelmi *ſub finem.* Qui addit, idoneam martyrij cauſam in S. Elphego fuiſſe, quod cæſus eſſet, quia paſtorali ſollicitudine oues ſuas contutans, paganos ab Eccleſiæ violatione & multis ſceleribus prohibere, eóſque ad Chriſtum adducere conatus eſſet. Optimè item nodum propoſitum expediuit conſultus à Lantfranco S. Anſelmus, vt refert Edinerus. Dixit enim idcirco verè martyrem haberi debere S. Elphegum, quia pro iuſtitia occubuit, quatenus idcirco negauit immoderatum illud litrum, ne ditandis latronibus, ſuos degluberet. At ſi occiſus fuiſſet, tantùm ne aurum perderet, iuſtiſſima fuiſſet Lantfranci dubitatio, planéque dicendum fuiſſet, S. Elphegum non fuiſſe martyrem, quamuis potuiſſet iniqua eſſe cædes eius, & homini innoxio irrogata. Interdum quidem verum martyrium cenſetur, mors à fidei hoſte illata, dum Chriſtianos vrgens ad redemptionem, videtur ſibi non ſatis opimam prędam nanciſci, expoſtulátque fraudari ſe abſconditis opibus, quibus abundare fideles arbitratur. Tamen in eo euentu, poſtrema ſæuitiæ radix, eſt odium fidei: Hoſtis enim ille, concitatus eſt in Chriſtianos odio fidei. Tum illectus ſpe lucri, obtulit redemptionem: quam non nactus ſatis

pinguem,

pinguem, & qualem expectatione deuorarat, cohibitæ eo veluti fræno ſæuitiæ, habenas laxat, ſinítque eam ex primo illo motiuo ex quo concitata erat effundi. Atque ita qui ſic cæduntur, meritò inter martyres numerantur, cuiuſmodi fuere plurimi in Africa ſub Vandalis; in quibus [dimicaſſe « contra innocentiam, cupiditatem furoris, & aua- « ritiam crudelitatis, vt & animas perderet & ſub- « ſtantiam harpagaret;] ſcribit Victor Vticenſis « lib. 3. extremo, obiter: plenè autem lib. 1. in ipſo ferè principio, referens [præclaros pleróſque Pon- « tifices, & nobiles Sacerdotes, diuerſis pœnarum « generibus extinctos eſſe, vt traderent ſi quid auri « vel argenti proprium vel Eccleſiaſticum haberent. « Et dum hæc quæ erant, vrgentibus pœnis facilius « proderentur, iterum crudelibus tormentis oblato- « res vrgebant, autumantes quandam partem non « totum eſſe oblatum; & quanto plus dabant, tanto « ampliùs quempiam habere credebant; aliis palo- « rum vectibus ora reſerantes, fœtidum cœnum ob « confeſſionem pecuniæ faucibus ingerebant, non « nullos in frontibus & tibiis neruis remugientibus « torquendo cruciabant; pleríſque aquam marinam, « aliis acetum, amurcam, liquaménque, & alia mul- « ta atque crudelia, tanquam vtribus imbutis ori im- « poſitis, ſine miſericordia porrigebant.] Horreo « vel legere, quæ in omnem ſexum & ætatem, ab iiſdem corporatis dæmonibus immaniſſimè admiſſa, ex propoſita cauſa, refert conſequenter Victor. Nam & capulares ſenes, fœdè præcipitatos in mortem, & minuſculam ætatem ſolo illiſam, vel pedibus acceptam, ab ano ad caput vſque diſcerptam, ſcribit. In quibus omnibus, veritas marty-

rij, quæ nutaret ſi in cupiditate corradendi multam pecuniam ſiſteretur, ea quam propoſui ratione, commodé defend tur.

13. Porrò quia fides, non tantùm cognoſcens eſt, ſed etiam operans, idcirco propter fidem quoque, & in eius odium cæſi cenſentur, qui ob alias virtutes mordicùs retentas cultáſue trucidantur, dummodò in virtutes illas ferantur vt fide propoſitas. Sic ſanctæ pleræque virgines, quæ ob amorem caſtitatis diuinitùs commendatæ, tormentis ſubiectæ & vita ſpoliatæ ſunt, iure habentur martyres. Similiter Ioannes Baptiſta cuius caput in ſalticæ lucar ceſſit, quia adulteros & inceſtos arguebat, [capite truncatus eſt, (ait S. Gregorius ad 6. Auguſtini interrogat.) & ſancto martyrio coronatus: Cui non eſt dictum vt Chriſtum negaret, nec eſt pro Chriſti confeſſione occiſus, ſed quia idem Dominus noſter IESVS CHRISTVS dixerat, ego ſum veritas, quia pro veritate occiſus eſt Ioannes, pro Chriſto ſanguinem fudit.] Eodem reuoluitur, quod aiebam, fidem non modò eſſe cognoſcentem, ſed etiam operantem, prælucendo aliis virtutibus vt exerantur, ſuſtollantúrque ad ordinem ſupernaturalem. Quia enim dictamen illud practicum, prælucens operationi virtutis moralis, eſt actus fidei, meritò quiſquis ob exercitium actus fide dictati, morte multatur, propter fidem cæſus habetur. Et ita rectè in hac re philoſophatur Petrus Bergomus in concord. dictorum D. Thomæ dub. 846. colligitúrque ex D. Thoma 2.2.q.124.art.5.in corp. & in 4.d.49.q.5.art.3. quæſtiunc. 2. circa 9. 11. & 12. ac in c.8. epiſt. ad Rom. lect.7.

Quæſiti

Quæſiti à perſecutore alij prætextus, nihil martyrio derogant.

14. Quocunque autem ex prædictis modis perſecutor ſæuiat, hoc eſt, ſiue cauſa perſequendi & furendi ſit odium fidei in ſeipſa, ſiue odium exercitij virtutis per fidem dictatæ, non eſt curandum quod cauſa ex qua perſecutor mortem infert, ſubdolè ab eo tegatur, & alia falſa obtendatur. Inde enim nihil apud Deum decedit veritati martyrij. Quo in genere hallucinati turpiter ſunt plerique Tyranni, qui ſiue ad declinandam crudelitatis notam, ſiue ad emolliendos Chrſtianorum animos, obſcurato martyrij ſplendore à quo putabant eos maximè impelli ad ſubeundam tam alacriter mortem, reuera in fidei odium vexantes plebem Chriſti, ficta tamen crimina conquirebant, quibus eam onerarent, idque ſtudioſe annitebantur, vt perſuaderent, propoſitum ſibi non eſſe martyres facere, vel in fidei & Chriſti cauſa, cuiquam negotium faceſſere: Sed aliorum criminum inſimulatos ſanctos Dei, inſectabantur & morte afficiebant. Ita feciſſe Arrianos, ſcribit S. Hilarius l. contra Conſtantium Auguſtum, ſic eum compellans: [Verērum turbator es, profanus nouorum es. Omnia ſæuiſſima, ſine inuidia glorioſarum mortuum peragis. Nouo inauditóque ingenij triumpho, de diabolo vincis, & ſine martyrio perſequeris. Plus crudelitati veſtræ Nero, Deci, Maximiane debemus; Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus vbique beatorum martyrum ſanguis exceptus eſt, dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur,

« luntur, dum admirationum opera cernuntur, ele-
« uari ſine laqueis corpora, & ſuſpenſis pede fœmi-
« nis veſtes non defluere in faciem, vri ſine ignibus
« ſpiritus, confiteri ſine interrogantis incremento fi-
« dei. At tu omnium crudelitate crudeliſſime, damno
« maiore in nos, & venia minore deſæuis, ſubrepis
« nomine blandienti, occidis ſpecie religionis, im-
« pietatem peragis, Chriſti fidem Chriſti mendax
« prædicator extinguis.] *Et mox.* Sceleſtiſſime morta-
» lium, omnia perſecutionis mala, ita temperas, vt
« excludas & in peccato veniam, & in confeſſione
« martyrium.] Eundem Conſtantium Auguſtum, ſic
compellat Lucifer Calarit. l. quod morien. ſit pro
« Dei filio. [Nouimus quod ſis metuens ne in omni-
« bus his pœnis tua deteſtabilitate inuentis, in hac
« perſeuerantia fidei moriamur; & tamen admoues
« varios durósque cruciatus. Sic nos quos tam infeſtè
« perſequeris, variè excarnificari cupis, & quidem
« momentis omnibus; interficiendos verò non eſſe,
« ſtatuiſti. Tanquam mors tantúmmodò, beatos mi-
« lites Chriſti faciat, ac non etiam tormenta, quan-
« to fuerint grauiora, tanto maiorem virtutis glo-
« riam pariant.]

15. Proximus Conſtantio, patruelis eius Iulianus Apoſtata, eadem calliditate Eccleſiam impetiit. Sic enim de eo ſcribit Nazianzenus orat. 3.
« quæ eſt in Iulia. 1. [Cum iam quod parturiebat,
« continere non poſſet, perſecutióque erumperet,
« quiddam animaduertere cæpit, ſapienti in vitio,
« atque in impietate excellenti viro dignum: aut cer-
« tè ab iis, qui ipſum ad eam acuebant, ac velut inun-
« gebant edoctus eſt. Sic enim ſecum reputauit, ſi
« bellum apertè ſuſciperet, ſéque impietatis ducem
profite

profiteretur, præterquàm quòd id nimis temerarium atque imperitum futurum eſſet, huic inſuper ſcopo, ad quem collimabat, omnino contrarium fore. Nos enim, ſi vis inferetur, acriori contentione in victoriam incubituros, ac tyrannidi obnixum pietatis tuendæ ſtudium obiecturos cogitauit. Solent enim fortes, & generoſi animi, ei qui vim afferre parat, contumaciter obſiſtere, non ſecus ac flamma, quæ à vento excitatur, quò ampliùs perflatur, eò vehementiùs accenditur. Idque non cogitatione ſolùm reperiebat, ſed ex priſtinis quoque perſecutionibus cognoſcere poterat, quæ Chriſtianam religionem potiùs illuſtrarant, quàm debilitarant; animas nimirùm ad pietatem roborantes, ac periculis, vt aqua calens ferrum obdurantes. At ſi calidè & artificioſè bellum gereret, ac vim perſuaſione, verborúmque blanditiis illineret, aut tyrannidi clementiam, tanquam hamo eſcam, circumponeret, ita demùm non ſolùm prudentem, ſed validam quoque ſibi concertationem fore. Etenim, vt alia, ita eum quoque, quo martyres affici ſolent, honorem athletis inuidebat; ac proinde id molitur, vt ipſe quidem, & vim afferat, & interim afferre non videatur: Nos contrà, & ſupplicia perferamus, & eo interim honore, qui pro Chriſti nomine patientibus haberi ſolet, careamus.]

Iiſdem poſtea veſtigiis inſtitiſſe Valentem, docent illa eiuſdem Nazianzeni orat. 32.n. 15. [Chriſti nomen ferens (Valens) Pſeudochriſtus erat, Chriſtianíſque probrum ac dedecus, quibus & facere impium, & pati inglorium erat: quod ne iniuriam quidem accipere viderentur, nec illuſtre

« martyrij nomen cruciatibus accederet, verùm hîc
« quoque fucus veritati fieret, vt qui tanquam Chri-
« ſtiani patiebantur, tanquam impij cruciatu affice-
« rentur,] Idem cauiſſe Hunericum Vandalum, autor eſt Victor Vtic. l.3. ſcribens, eum ſanctos complures Epiſcopos vexauiſſe eo prætextu quod perduelles eſſent, recuſato iuramento in ſpeciem politico, quod præſcribebat. Sed vt pateret eſſe prætextum merum, veréque illum fidei odio agi, nonnullos qui iuramentum illud præſtiterant, æquè vexauit, cauſatus non fuiſſe illis iurandum, prohibente id Euangelio. De nuperis in Anglia fidei perſecutoribus, multa ſimilia leguntur apud Sanderum l. 2. & 3. de Schiſm. Anglic. Qui rectè demonſtrat aliorum criminum obtendicula, ab hæreticis prætenſa perſecutioni ac cædi Catholicorum, nihil obſcurare eorum martyrij gloriam apud Deum, qui pectorum latebras peruadit, & perſecutionis veram cauſam habet perſpectam. Meritóque Nazianzenus orat. illa 3. ſingularis ſtultitiæ damnat veteratoriam illam alterius cauſæ obductionem, ex inuidia gloriæ martyrum: quos reipſa & Deo conſcio ob fidei odium cæſos, affícta per calumniam ſcelera quæ neci prætendebantur, è martyrum albo non expungebant: quia ad martyrium ſatis ſupérque eſt, vt homo reipſa à perſecutore vexetur & morte mulctetur propter fidem.
« [Sufficit enim ad teſtimonium martyris ſui, teſtis
« ille qui probat martyras & coronat,] ait S. Cyprianus epiſt. 56.

Priſci

Priſci quoque cæſi in odium fidei, & verè martyres.

16. Quia verò noſtra & antiquorum fides eſt vna & eadem, tantùm explicatiùs vel ſubobſcuriùs propoſita, omnéſque antiqui in Chriſtum autorem & conſummatorem fidei aliqua tandem ratione collimarunt credendo, vt 2.2. fusè exponitur: propterea antiqui, in veræ fidei, & vigentis tunc religionis odium perempti, aut ob reprehenſa Tyrannorum in Deum ſcelera letho dati, inter martyres ſunt numerandi. Quinetiam, cæſi in odium Chriſtianæ fidei dici poſſunt. Frequens enim eſt apud Patres, vt omnes fideles, etiam qui ante Chriſtum vixerunt, accenſeantur Chriſtianis, & eorum fides ac religio Chriſtiana nominetur, quia vt latè proſequitur Medina s. paræn. c. 14. in Typis & vmbris idipſum credebant, quod nos diſtinctè & explicitè. Explicatiſſimè ita tradit S. Auguſtinus ſerm. 109. de diuerſ. occaſione SS. Machabæorum. [Nec quiſquam (inquit) " arbitretur antequam eſſet Chriſtianus, nullum " fuiſſe populum Deo. Imo verò vt ſic loquar quem- " admodum ſe veritas habet, non nominum conſue- " tudo, Chriſtianus etiam ille tunc populus fuit.] *Et* " *mox.* [Hoc ergo inprimis commendandum eſt " charitati veſtræ ne cum illos martyres admiramini, " putetis non fuiſſe Chriſtianos. Chriſtiani fuerunt: " ſed nomen Chriſtianorum, poſtea diuulgatum eſt, " factis anteceſſerunt. &c. Non confitebantur illi " apertè Chriſtum, quia adhuc velabatur Chriſti my- " ſterium. Teſtamentum enim vetus, velatio eſt noui, " & teſtamentum nouum reuelatio eſt veteris Teſta- "

 menti.]

menti] Denique infra c. 5. componens priſcos martyres cum martyribus nouæ legis.] Mortui ſunt iſti
« pro Chriſto in Euangelio reuelato ; mortui ſunt illi
« pro Chriſti nomine in lege relato. Chriſtus habet
« vtroſque ; Chriſtus pugnantes adiuuit vtroſque;
« Chriſtus coronauit. Vtroſque Chriſtus habet in
« miniſterio ſuo, tanquàm quidam potentiſſimus, in-
« cedens cum agmine obſequentium, aliis præceden-
« tibus, aliis ſequentibus. Ipſum ergo potiùs intuere in
« carnis vehiculo præſidentem. Et qui præcedunt, illi
« obſequuntur; & qui ſequuntur, illi deuoti ſunt. Nam
« vt noueris quia pro lege Moyſi morientes, pro
« Chriſto ſunt mortui, audi ipſum Chriſtum ; ſi cre-
« deretis (inquit,) Moyſi, crederetis & mihi : De me
« enim ille ſcripſit. Si de Chriſto Moyſes ſcripſit, qui
« pro lege Moyſi veraciter mortuus eſt, pro Chriſto
« animam poſuit. De me (inquit) ille ſcripſit. Cui ſerui-
« erunt linguæ confitendo, ei ſeruiuit calamus vera
« ſcribentis.] Vides quorſum Auguſtinus in ſuperioribus dixerit martyres veteris Teſtamenti confeſſos eſſe in occulto Chriſtum, quem noſtri in manifeſto confeſſi ſunt. Sicut enim nos Iudæi in abſcondito ſumus, iuxta Apoſtolum Rom. 2. Iſraëlitæ autem in manifeſto, Iudæi erant: ita viceuerſa, antiqui, erant Chriſtiani in abſcondito, & Iudæi in manifeſto. Concinnè id expreſſit Rupertus l. 8. in Geneſ. c. 33. cum dixit antiquos priuſquam baptiſmate per Chriſti crucem adminiſtrato eluerentur, fuiſſe tantùm Catechumenos Chriſtianos, & idcirco ad ſanctorum contuitionem non fuiſſe admiſſos, ſed non niſi obductorum oppaſſo velamine myſteriorum, fuiſſe participes. Quare priſci] Dei teſtes, qui pro veritatibus diuinis per Moſem propoſitis ceciderunt,

runt, videri etiam ipſi poſſunt cæſi vt Chriſtiani, & in odium fidei noſtræ. Et quicquid de hoc loquendi modo ſtatuamus, ratum eſſe debet, pleróſque fuiſſe, Chriſto anteriores veros martyres. Apertè ita docet S. Methodius ex quo verba illa refert S. Epiphan. hær.64. [Duo ſunt chori martyrum qui pulchras " victorias tulerunt: vnus Teſtamenti noui, alter vete- " ris; qui reſonantem hymnum, concinnè ad propug- " natorem Deum & vniuerſorum Regem tranſmit- " tunt; Probaſti nos DEVS, igne examinaſti nos, velut " igne probatur argentum.] Et eſt quidem numerus " martyrum anterioris teſtamenti definitus, cum noſtri præ illis videri poſſint omnem numerum ſuperare, vt ait S.Cyprianus l.de exhortat.marty.c.11. in fine, tamen inde nullatenus oblæditur priſcorum illorum martyrium. Quod item S.Baſilius homil. in Pſal.115.ait corpus cæſi olim pro ritu Iudaico fuiſſe abominationi, non derogat verò hominis ſic cæſi martyrio, ſed ruditatem illius legis oſtendit. Et idem eſt de iuſtis anterioribus pro Deo trucidatis.

17. Sanè Abel iuſtus, à pleríſque Patribus diſertè agnoſcitur martyr. [Imitemur (ait S.Cyprianus " epiſt. 56.) Abel iuſtum, qui initiauit martyria, dum " propter iuſtitiam, primus occiditur.] Rurſúſque l. " de orat. Domin. Abelem vocat *primum martyrem.* " Tandem lib. de patien. [Abel originem martyrij & " paſſionem iuſti hominis, initians primus & de- " dicans.] Idem ſonant illa Proſperi l.de prædict.p. 1. " c.6. poſt deſcriptam Abelis cædem. [Præclara hinc " fulſere martyria, dum iuſti occiduntur ab impiis. " Conſentiunt Auctor mirabilium ſacræ ſcript. l. 1. c. 3. Lyranus in c.4. Geneſ. Robertus de liceo concio. de S. Stephano c. 3. Fernandius in c. 4. Geneſ.

ſect.8. n.7. eritque planè res extra dubium, ſi admittamus quod admodũ veriſimiliter habet Thargum Hieroſolymitanum; de cæſo per Cainum Abele,quia neganti Caino diuinam prouidentiam, & animæ immortalitatem, obſtitit Abel, vtramque profeſſus. Machabæorum item martyrium, à grauiſſimis Patribus celebratum eſt, vt propterea malè verò eorum martyrio ſubdubitarit Alanus Copus Dialo. 6. c. 13. Martyres enim fuiſſe Machabæos, agnoſcunt Nazianzenus orat.de Machab. S. Cypr. l. de exhortat. mart. c. 11. Ambroſ. 1.offic.c.41. Auguſtinus l. 1. contra Gaudent.c.31.alijque SS. horum fratrum præcones, quos Baro. in notis ad Martyr. Rom.1. Aug & Henriq.l.2.c.36. n.1. appendunt.In Græcorum Horologio vocantur, *Sapientiæ Dei columnæ ſeptuplices, & diuinæ lucis ſeptiluminariæ lampades, promartyrum maximi martyres.*

Annumerari item priſcis martyribus poſſet S. Ioannes Baptiſta:quem quod Petrus Damiani ſerm. 3. de eo, in fine,ait fuiſſe primum martyrem,interpretor de primo martyre aliquatenus ad nouum Teſtamentum ſpectante. Fuit enim Ioannes, velut in crepuſculo legis nouæ. Et quanquam abſolutè dici poſſit pertinere ad vetus Teſtamentum, tamen vtcunque etiam attigit nouum; ſedítque inter medios terminos, tanquam vtriúſque teſtamenti mediator, vt loquitur Nazianzenus orat. 21.& 32. ac velut legis & gratiæ fibula, iuxta Chryſologum ſerm.91.Itaque fuit in aliquo ſenſu Ioannes Baptiſta,primus noui teſtamenti martyr ea propè ratione qua à S. Cyrillo Hieroſol. catech. 10. dictus eſt noui teſtamenti Archidux.Quamuis appellatio *protomar*

tomartyris, abſolutè tribuatur S.Stephano,quia primus fuit qui conſtituta perfectè per Chriſtum lege noua,ſubijt martyrium, & primus, explicitè propter Chriſtum paſſus eſt. Id enim nulli ante Stephanum,ac ne Ioanni quidem,conceſſum fuiſſe, obſeruat S.Auguſtinus in Pſal. 140.ad illud, *ſingulariter ſum ego, donec tranſeam*: obſeruans id à Deo ex ſpeciali prouidentia fuiſſe prouiſum, eo quod non deceret vllum eſſe qui in gloria martyrij pro Chriſto, ipſi Chriſto præcurreret.Quæ ratio demonſtrat, S. Auguſtinum, quoad cauſam necis Zachariæ patris D. Ioannis Baptiſtæ, non aſtipulari Græcis pleriſque PP. quos magno numero profert & ſequitur Delrio in caput 2. Threnorum ad v. 20. ſed vel ſubſcribere D.Hieronimo, qui Zachariam patrem Ioannis, longè alium ſtatuit à Zacharia cæſo inter templum & altare: vel dato quod ſit is ipſe Zacharias, alia ex cauſa trucidatum ſenſiſſe, quàm quia Deiparam,virginum loco mouendam negaret, iam matrem;& natum ex ea puerum, eſſe Dei verbum carne indutum conteſtaretur: quam fuiſſe cauſam occiſi Zachariæ, patris Baptiſtæ, Græci prædicti contendunt.

Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.

18. Priſcorum igitur quorumuis, atque noſtrorum, par quoad rem præſentem, ratio fuit; & in vtriſque illud tantùm attendi oportuit, vt perſecutionem propter fidem, opúſve virtutis à fide dictatum ſuſtinerent. Nam cum eandem perſecutionem inferre poſſit, Tyrannus fidei inſecutor, & iudex iuſtus, reſtat vt ſola cauſa ex qua alteruter ad

perſequendum mouetur, factum diſcriminet, & vexatum conſtituat martyrem: iuxta illud, *Martyrem non facit pœna ſed cauſa.* Quod effatum ex D. Cypriano ac Gregorio ſupra laudaui: habetúrque etiam apud S. Chryſoſtomum homil. 56. in Matth. circa illud, *tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sibi enim obiicens quo pacto poſſet quis crucem tollere, niſi Chriſtum ſequeretur, reſpondet id verò fieri poſſe, [ſi nihil videlicet propter ipſum pateretur. Quippe latrones, ſepulchrorum violatores, dæmonum inuocatores, multa plerúmque talia patiuntur. Ne igitur credas ipſius paſſionis naturam per ſe ſufficere, cauſam eius ſubiecit. Quam ipſam? Vt quæ dicta ſunt, vniuerſa faciens atque patiens, ipſum ſequaris: vt ſcilicet propter ipſum omnia ſuſtineas, vtque omnem virtutis numerum habeas.]

19. Frequenter idem tradit Auguſtinus, ſed explicatiſſimè in Pſal. 34. ad illud. *Dominus meus in cauſam meam.* Quæ verba ſic gloſſat. [Non in pœnam, ſed in cauſam meam, non in id quod mecum habet latro commune, ſed in illud quod beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Hæc enim cauſa diſcreta eſt, nam pœna ſimilis eſt bonis & malis. Itaque martyres non facit pœna, ſed cauſa. Nam ſi pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena eſſent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur, coronarentur. Ergo diſcernatur cauſa. Nemo dicat, quia patior iuſtus ſum, quia ipſe qui primò paſſus eſt, ideò magnam exceptionem addidit: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Nam multi habentes bonam cauſam, faciunt perſecutionem, &

habentes

habentes malam cauſam patiuntur perſecutionem. «
Si enim perſecutio non poſſet fieri benè, non diceretur in pſalmo, detrahentem proximo ſuo occultè, hunc perſequebar. Deinde fratres, pater bonus, & iuſtus, nónne perſequitur filium luxurioſum? Perſequitur vitia eius, non ipſum, non quod genuit, ſed quod ille addidit. Medicus nempè qui ad ſalutem adhibetur, nónne ferro pleriúmque armatur? Sed contra vulnus, non contra hominem. Secat vt ſanet, & tamen cum ſecat ægrotum, dolet ille, clamat, reſiſtit, & ſi fortè febre mentem perdiderit, etiam medicum cædit, nec tamen ille deſiſtit à ſalute ægrotantis. Quod nouit, facit. Illum maledicentem & conuiciantem, non curat. Nonne excitantur cuncti lethargici ne ſomno graui premantur in mortem? Et hoc patiuntur à filiis ſuis, quos chariſſimos genuerunt. Et non eſt charus filius, niſi fuerit dormienti patri moleſtus. Lethargici excitantur, phrenetici ligantur, ſed tamen vtrique amantur. Nemo ergo dicat, perſecutionem patior: non ventilet pœnam, ſed probet cauſam: ne ſi cauſam non probauerit, numeretur cum iniquis. Ideò quàm vigilanter, quam optimè hic commendauit, domine intende iudicio meo, non pœnis meis. Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam.] Similia iterat ſerm. 5 c. de ſanctis, & epiſt. 50. vbi trahit huc illud Pſalmi, *Iudica me DEVS & diſcerne cauſam meam.*

20. Et hanc ob cauſam, ridiculi & deteſtandi meritò viſi ſunt Montaniſtæ, qui cum ob grauiſſima ſcelera neci traderentur, iactabant tamen ſe inde effici martyres; quod in Alexandro quodam ex ea fæce latè reprehendit Apollinaris Hierapolit. apud Euſebium 5. hiſtor. c. 17. Similiter Patroclus Arela-

tenſis Eccleſiæ occupator,in ſcelerum pœnam iuſſione Felicis magiſtri militum interfectus, non martyr, (vt eum aliqui perperam aliquando nominarunt,) ſed miſer maſtigia habitus eſt,vt refert Card. Baronius anno 426. De hæreticis, hæreſeos titulo, aut etiam ob veritatem aliquam cæſis, ſintné martyres,dicam infra ſuo loco.

Nec plura de perſecutore & illata per eum perſecutione quæ æquè ad eum intelligenda eſt exporrigi,qui per errorem inuincibilem arbitraretur obſequium ſe præſtare Deo mortem inferendo alicui in odium fidei quam non agnoſceret eſſe fidem Chriſti. Vt ſi aliquis probè conſcius aliquam veritatem inter fidei placita eſſe numerandam,conſtanter eam aſſereret, vel damnare detrectaret, omnino martyr eſſet ſi eam ob cauſam cæderetur & morte afficeretur,ab eo qui nollet ſibi perſuadere id ad fidem ſpectare, nec peccaret in ea perſuaſione ob ignorantiam qua inculpabiliter laboraret. DEVS enim in decernenda homini ſic cæſo martyrij gloria,haberet rationem motiui ob quod pateretur: & eius quod per ſe & ex natura rei faceret perſecutor, tantum per accidens à peccato excuſatus.

CAPVT II.

De paſſo, altera in vulgari martyrio perſona; Ac primùm de infante.

1. ATteſtatio, per mortem Deo aliquid reuelanti exhibita, cerni poteſt in duplici hominum genere; paruulis inquam & adultis: Quare de vtriſque ſeorſim agendum eſt, initio ducto à paruulis,

paruulis, quorum martyrium minoris eſt impenſæ, potéſtque faciliùs conſummari, vt ex dicendis planum fiet.

Ponitur vt certum, ætatem nondum ſui arbitram, eſſe veri martyrij capacem.

Minuſculam ergo ætatem quæ rationis vſu nondum potiatur, veri ac preſſè accepti martyrij capacem eſſe, referunt ab Armacano negatum l. 8. de qq. Armeno. c. 37. *in fine*, & ab Adriano in 4. q. vlt. de Baptiſmo. Verùm Adrianus ſimpliciter ſubſcripſit Armacano. Hic autem non negauit paruulos poſſe eſſe verè martyres; ſed tantùm dixit, ſi in ſcripturis ſiſtamus, nihil proferri quod adigat ad verum paruulorum martyrium agnoſcendum. Quod non eſt reuera negare martyrium paruulorum, cum pleráque ſint apud Catholicos rata, de quibus nihil ex Scripturis habetur. Quicquid autem ſenſerint Armacanus & Adrianus, certum eſſe debet, mortem paruulis ante rationis vſum in odium fidei illatam, eſſe formaliter ac preſſè martyrium, potiríque prærogatiuis illis quas poſteà vero martyrio aſſignabimus; hoc eſt gratiæ collatione quaſi ex opere operato, & accidentali gloriæ præmio, quod aureolam appellant. Hæc ſententia firmiſſimè euincitur ex ſenſu Eccleſiæ de infantibus ab Herode in Chriſti odium cæſis. Eos enim, Eccleſia veritatis columna, iam olim vt martyres veneratur, eóſque titulo martyrij verè ac ſimpliciter dicti, iam ab Apoſtolorum ætate celebrat. Patres quoque paſſim, nomen & decus veri martyrij in illis agnoſcunt; & abſolutè nominant

martyres,

martyres, ſiue interpretantes ſecundum caput Matthæi, ſiue in homiliis de Epiphania, aut Innocentum cæde, Herodíſque in Chriſtum rabie. Nolo in protritis quibuſdam locis tametſi optimis hærere. Eiuſmodi eſt locus Origenis homil.3. in diuer. & Autoris libri de oper. Chriſti Cardin. ſerm. de Stella & Magis. Item Auguſtini epiſt. 28. & ſerm. 8. de Sanctis & l. 3. de lib. arbit. c. 23. ac etiam S. Leonis ſerm. 1. & 2. de Epiphan.

Verum infantium Bethleemithicorum martyrium, firmatur ex Patribus.

2. Prætermiſſis his Patrum locis quæ paſſim proſtant apud alios huius argumenti tractatores, produco alia quædam minùs obuia, in quibus Sanctorum Innocentum verum martyrium agnoſcitur. Agmen ducat S. Eucher. homil. 1. de Epiph. cuius illa ſunt, quæ Auguſtino malè ſunt adſcripta ſer. 9. « de Sanctis. [Occiduntur pro Chriſto paruuli; pro « iuſtitia moritur innocentia. Quàm beata ætas? « Necdum Chriſtum poteſt eloqui, & iam pro Chri- « ſto meretur interfici: Nondum opportuna vulne- « ri, & iam idonea paſſioni. Quàm fœliciter nati; « quibus in primo naſcendi limine, æterna vita ob- « uiam venit? Incurrunt quidem inter ipſa principia « acceptæ lucis, periculum, & finem ſalutis: ſed de « ipſo protinus fine, capiunt principia æternitatis. « Immaturi quidem videntur ad mortem, ſed fœli- « citer moriuntur ad vitam: Vix dum deguſtauerant « præſentem, ſtatim tranſeunt ad futuram: nondum « ingreſſi infantiæ cunas, iam perueniunt ad coronas: « rapiuntur quidem à complexibus matrum, ſed red-

duntur,

duntur gremiis Angelorum. Nihil ergo proficis fe-« rociſſimæ impietatis audacia; potes martyres face-« re, Chriſtum non potes inuenire.] Idem reipſa« tradit ſerm.de S.Blandina. Agnoſcit enim candidatam hanc plebem imbellis infantiæ, fructum moriendi habuiſſe, & ſanctos infantes coronatos moriendo, pérque exitum diuina benedictione ditatos. Quod eſt dicere, eos nactos eſſe prærogatiuas illas martyrij de quibus infrà. Quod ſi ibidem componens martyres Lugdunenſes adultos cum Innocentibus Bethleemiticis, ait hos non illos in præmium regni ſine martyrij conſcientia perueniſſe; non eſt ſenſus, ſanctos Innocentes non fuiſſe verè & formaliter martyres: ſed tantùm ſenſus eſt, eos non loquendo vel credendo, ſed moriendo confeſſos, nec agnouiſſe moriendo bonum ſuum, vel aduertiſſe ſe beatam illam mortem pro Chriſto excipere: quorum nihil ad verum martyrium eſt neceſſarium.

Accedat Eucherio Chryſologus ſerm.152. qui frequenter inculcat hos paruulos eſſe martyres. Et poſt deſcriptam qua ſolet venuſtate infantum carnificinam; cuius non diſſimilem expreſſionem legere licet apud Auguſtinum ſerm.8. de Sanctis, & perinſignem apud Origenem hom. 3. in diuerſos, ac Nyſſenum ſub finem orationis de Chriſti Natiuit. ſubdit Chryſologus, ex hoc martyrio liquere donum martyrij ſub meritum non cadere, qua de re infra commodiùs. Rurſus ſerm. 153. [Coorta « Regi cohors ſua, magis præmori, quàm commori « tota geſtit: Chriſto dicati milites, cœperunt ante « militare, quàm viuere, ante pugnare, quàm ludere; fundere ante ſanguinem, quàm lactis vbera «

perpo

« perpotare. Ardentes animæ corporis moras non « tulerunt. De gremio ad furentes hoſtium cuneos « peruolantes, anticipant virtutibus blandimenta, « vulneribus oſcula, vnguenta ferro, vt cœlum poſſint « ante inhabitare, quàm terram, præmia ſpiritus « antè portare quam carnem, antè referre triumphos « Deo, quàm perferre hominum nutrimenta. Verè, « verè fratres, iſti ſunt gratiæ martyres: confitentur « tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcij, mo- « riuntur inconſcij, ignari tollunt palmas, coronas « rapiunt ignorantes. Ergo ſicut virginitas corru- « ptionis neſcia, contulit honorem matri, ſic infan- « tia paſſionis ignara, martyrij palmas rapuit, & co- « ronas. Sed quid dicemus quod rex ipſe qui ſtare « debuit, fugit ſolus, & fugit mouente patre? Fugere « iſtud eſt amoris intimi, non timoris ignaui. Si « ſtetiſſet Chriſtus, haberet eos ſynagoga filios, quos « Eccleſia martyres non haberet.]

3. Martytes quoque eoſdem agnoſcit S. Ambroſius lib. 2. in Lucam, agens de cenſu per Auguſtum indicto, eúmque transferens ad cenſum « Chriſti, & profeſſionem animorum. [Nullus (in- « quit,) ab hoc immunis eſt cenſu, quia omnis ætas « munifica Chriſto eſt, quem vagientes pueri marty- « rio confitentur, quem intra vterum poſiti, exulta- « tione teſtantur.] Subſcribit Gregorius Nazianzenus orat. 38. decernens venerandos innocentes, tanquam coætaneam Chriſto victimam, quæ ante nouam victimam mactata eſt. Adiungo prædictis Bernardum, cuius illa ſunt mellitiſſima de more, « ex ſerm. de Innoc. [De innocentium coronis, quis « dubitet? Ille pro Chriſto trucidatos infantes dubi- « tet inter martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto

Chriſto non credit inter adoptionis filios numera- «
ri : Alioquin quando coæuos ſibi pueros, puer il- «
le, qui natus eſt nobis, non contra nos, propter «
ſe pateretur occidi? Quod vtique ſolo nutu pote- «
rat prohibere, niſi melius aliquid eis prouideret. «
Vt quemadmodum cæteris infantibus, tunc qui- «
dem circunciſio, nunc verò Baptiſmus ſine vllo «
propriæ voluntatis vſu ſufficit ad ſalutem, ſic ni- «
hilominus pro eo ſuſceptum martyrium, illis ſuf- «
ficeret ad ſanctitatem.] «

Luculenter Laurentius Iuſtinianus ſerm. de In-
nocent. [Erat mors hæc crudelis & pia, pœnalis «
& ſancta, quæ ſine conſenſu voluntatis natura re- «
nitente donabat cœlum. O Dei noſtri ſtupenda «
dignatio, quæ nolentes, plorantéſque tranſmittit «
ad requiem. Sine pugnæ conſenſu hi coronantur «
infantes, non interrogati occiduntur, innocentes «
iugulantur, auferuntur à ſæculo, & conſecrantur «
Chriſto. Nec corde credebant ad iuſtitiam, neque «
ore confitebantur ad ſalutem, & tamen martyrij «
adepti ſunt palmam. Ignorabant equidem Dei le- «
gem, cœleſte regnum, quid perferebant, & pro «
quo patiebantur. & nihilominus pœna illa eiſdem «
computabatur ad gloriam. Vnde hoc? Et cur hoc? «
Nunquid vlla præceſſerunt merita? Nunquid vel «
matrum ſupplicantium interpellauere ſuffragia, «
vt talem infantes hi aſſequerentur gratiam? prorſ- «
ſus minimè. Commendare voluit Dominus in his «
pueris miſericordiam ſuam. Gratis (vt ſic dicam) «
perceperunt brauium fœlicitatis æternæ. Alij labo- «
rant toto vitæ ſuæ tempore, alij vſque ad ſangui- «
nem certant, nonnulli tentationibus, vigiliis, ie- «
iuniis, pernoctationibúſque crebris ſeipſos affli- «
gunt,

« gunt, ſicque alij; atque alij ſic deſudant, & pa-
« tiuntur, vt regni cœleſtis mereantur eſſe partici-
« pes. Iſti autem non ita. Breuiſſima propter Chri-
« ſtum perſecutione ingruente, iugulati pariter &
« coronati ſunt. Abſque vlla perpeſſione malorum,
« quorum mundus eſt plenus, à matrum vberibus in
« æternitates tranſiere perpetuas. Beata plane paruu-
« lorum horum conceptionis hora, qui pro Chriſti
« occaſione, ſine voluntatis conſenſu pati valuerunt.]

4. Autor Latinus homiliæ 2. Chryſoſtomo tributæ in varia Matthæi loca, diſertiſſimè idem tra-
« dit ſic ſcribens. [Dum innocentes pro Chriſto mo-
« riuntur, primi Chriſti martyres extiterunt. De
« quibus & Dauid ſignificare monſtratur, cum dicit:
« Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem
« propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vl-
« torem. In hac enim perſecutione infantes adhuc
« paruuli atque lactentes, pro Chriſto occiduntur,
« & perfectæ laudis martyrium conſequuntur. Rex
« iniquus Herodes deſtruitur, qui aduerſus Re-
« gem cœlorum, regnum ſibi defendere vſurpabat.
« Vnde non immeritò infantes illi beati per omnia
« extiterunt, qui primi mori pro Chriſto merue-
« runt.] Ibidem homil. 3. [O beata lactentium glo-
« ria, quibus pro Chriſto contigit dedicare marty-
« ria. Expugnant tempore vno natiuitatem & mor-
« tem, ingreſſum & exitum, principium & occa-
« ſum, vt ipſis poſſet tempore vno contingere, &
« naſcendo ingredi mundum, & dedicare martyrio
« cœlum. Probat nouos exercitus Chriſtus, rudes
« milites deſignat, legiones lactentes victoria per-
« petrata coronat. Fiunt pro Chriſto victores, qui
« ætate fuerunt coæquales: Fiunt inquam infantes

ſine

ſine certamine fortes, ſine pugna victores. Norunt vincere qui pugnare non norant, exiſtunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbelles: merentur pœna martyrium, gloriam ſanguine comparant, æternam vitam temporali morte commutant. Nec timuit ætas illa mortem, nec horruit. Timere enim non potuit, quæ timere non nouit. Tranſmittit infantes infans Chriſtus ad cœlum, noua xenia Patri, primitias fructuum exhibet genitori. Oſtendit futuram fœcundiſſimam meſſem, dum in ſemine tantam exhibet vbertatem. Deriſit ſe, deriſit hoſtilis immanitas, quæ putauit turbare poſſe conſilium Dei, gloriam Chriſti, ſalutem neceſſariam mundi: Sed contulit infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Chriſtum. Præſtat hoſtis, dum nocet beneficium. Vitam tribuit cum occidit. Inuideret enim eorum gloriæ ſi amaret. Sed aliæ ſunt terreſtres pugnæ, aliæ cœleſtes victoriæ. In prælio Chriſti, moriendo viuitur, cadendo ſurgitur, victoria per interitum comparatur.] Idem ſenſus fuit S.Leoni ſerm. 1. de Epiph. [Quos Rex impius eximit mundo, Chriſtus inſerit cœlo, & quibus nondum ſanguinis ſui impendit redemptionem, iam martyrij tribuit dignitatem.]

Idem de quibuſuis infantibus pro Chriſto cæſis, concluditur.

5. Hæc teſtimonia apertè ferunt ſanctos Innocentes verè & propriè fuiſſe martyres, & vt rectè addit Martinus de Magiſtris q. 1. de martyrio concluſ. 6. corollar. 2. (malè tamen contrarium affingens Diuo Thomæ,) Innocentes, non modò glo-

ria martyrij donatos diuinitùs fuiſſe, vt aliqui negantes eorum verum martyrium concedebant, ſed etiam verum martyrium ſubiiſſe, quod planè ſonant prolata Patrum loca, habétque perſpicuè ſenſus Eccleſiæ. Hinc verò quid ſequatur pro vero quorumuis infantium in fidei odium iugulatorum martyrio, nemo non videt. Eſt enim omnium planè infantium, quoad rem præſentem, par ratio. Quanquam non defuerunt qui friuola quædam diſcrimina excogitarent, vt admiſſo vero Innocentum ab Herode cæſorum martyrio, quod videbant per Eccleſiam & Patrum traditionem ſtabiliri, aliorum tamen infantium necem, etiam ſi in fidei odium illatam, veris martyriis non annumerarent.

Prior diſparitas, ex præcoquo in Bethleemiticis rationis vſu.

6. Nonnulli ergo referente D.Thoma 22.q.124. art. 1. ad. 1. affirmarunt paruulos ab Herode cæſos idcirco agnoſci ab Eccleſia martyres, quia per accelerat um diuinitùs rationis vſum, acceptarunt mortem pro Chriſto illatam, paſsíque ſunt tanquam adulti. Quod videri poſſent ferre illa Auctoris libri de oper. Chriſti Cardin. ſerm. de ſtella & « Magis ſub finem. [Paruuli ſubitò fiunt martyres, & « dum vice Chriſti, & pro Chriſto, auulſi à matrum « vberibus detruncantur, teſtimonium quod non« dum poterant ſermone, perhibent paſſione; & ſuf« ficit cauſa teſtimonio, licet nondum eloquio di« ſtinguatur. Illico ſpiritus infantilis vaſculi recepta« culum deſerens, iam non tenelli corporis, ætatíſ-

quo

que nouitiæ tempore tenetur : ſed ab illis infantili- «
bus coagulis anima expedita, adepta rationis & in- «
tellectus plenitudinem, in occurſum Chriſti feſti- «
nat, à quo militiæ ſuæ quærens ſtipendium, ad lu- «
cis & pacis æternæ præmittitur gaudia.] Quid aper- «
tius, pro pleno intellectus, & rationis vſu, in ſanctis hiſce infantibus? Non improbat eam præcoquam in SS. Innocentibus rationis vſuram à quibuſdam traditam, eámque ad exponendum verum eorum martyrium, non inutilem viſus eſt cenſuiſſe Antonius Bitontinus q. 17. in Eccleſiaſticas anni totius epiſtolas. Idem inſinuare viſus eſt S. Chryſoſtomus, verbis illis homiliæ de Innocentibus (eſt tertia ex variis in Matthæum locis,) quæ in hunc ſenſum retulit Martinus de Magiſtris q. 1. de martyrio, in argumento contra. 1. corollarium. [Fiunt «
pueri ſine Magiſtro diſerti, docti ſine Doctore, pe- «
riti ſine eruditore. Agnoſcunt Chriſtum, prædi- «
cant Dominum, non quem perſuaſio humana do- «
cuerat, ſed quem diuinitas inſpirabat.] Cum igitur «
quoad alios paruulos ante rationis vſum hoſtili gladio in odium fidei occumbentes, nihil ſuppetat ad hunc rationis plenæ præcoquum vſum illis concedendum; ſed id de ſolis Bethleemiticis paruulis ab Herode cæſis, fateri cogamur, ob Eccleſiæ & Patrum auctoritatem, qua verum eorum martyrium ratum habetur; (atque adeò etiam libera mortis acceptatio, quam cenſent eſſe de ratione veri cuiuſcunque martyrij;) concludebant autores prædicti, ſaluo vero SS. Innocentum Bethleemiticorum martyrio, alios infantes, ſi qui pro Chriſto fortè cædantur, veris martyribus adſcribendos nequaquam eſſe.

Reiicitur.

Sed hoc effugium difficile præcluſu non eſt. Quis enim non videt gratis omnino fingi anticipationem illam vſus rationis in paruulis ab Herode cæſis, tantùm vt perſtetur in ſententia, & quod de quorumuis infantium ſimiliter cæſorum vero martyrio inferendum vident, labefactetur? At quidni fingere ſimiliter liceat, rationem ocyùs quam ætas ferat, aliis quoque paruulis illuceſcere, ſi eos in Chriſti odium obtruncari contingat? Qua ratione perinde conſtabit verum eorum martyrium, ac Innocentium Bethleemiticorum. Quod ſi id in aliis paruulis dicatur eſſe commentitium, (vt ſanè eſt,) æquè cenſendum eſt gratis confictum quoad Bethleemiticos paruulos. Locus porro Auctoris libri de oper. Chriſti Cardin. aliò planè ſpectat. Nempè ad euigilationem rationis, ſanctis Innocentibus collatam, illico à morte. Quæ auctoris mens cum ex aliis anterioribus apertè colligitur, tum manifeſtè ex verbis quæ immediatè ſubiunguntur iis quæ poſtremò referebantur. Sic enim habet Auctor. [Euigilauerunt ſenſus quos ſopor infantiæ opprimebat, diſploſiſque palpebris intuiti lucem, in momento aſſecuti ſunt, quæ pacificis & mundo corde debetur, beatitudinem: & aſcendentes per omnium virtutum gradus ſine doctrinæ humanæ exercitio, cumulatam inuenere menſuram: ita vt in ordine ſanctorum protomartyres primum habeant locum; & ſecretorum conſcij diuinorum, propinquitate familiariſſima, clementiam Dei pro noſtris exorent laboribus.] Chryſoſtomus quoque (ſi tamen

men Chryſoſtomus, & non potius Latinus auctor) contra mentem ſuam proferebatur. Tantum quippe intendebat aſſerere, Innocentes laudaſſe Dominum, eiúſque præconium confeſſos fuiſſe non loquendo, ſed moriendo, & ſanguine non lingua locutos, vt inferiùs aliquoties repetit proferens exemplum ſanguinis Abel. Hoc autem nihil ad rem facit. Quare faceſſat incōdinnum figmentum, nullo ſiue rationis ſiue auctoritatis idoneæ firmamento ſubnixum. Simile commentum de rationis vſu in paruulis Baptiſmum ſuſcipientibus accelerato, nuper à Luthero recuſum, & Vvitembergæ in conuiuio eorum pariter potantium confirmatum, deriſit iam olim S. Auguſtinus epiſto. 23. & 57. & impugnarunt recentiores permulti, Ruardus art. 1. Soto lib. 2. de nat. & grat. c. 10. Caniſ. l. 1. de S. Ioanne c. 1. Bellarm. l. de Bapt. c. 10.

Altera diſparitas, ex præuia infantum Bethleemiticorum circunciſione.

7. Aliud quoddam diſcrimen infantum qui nunc fortè in fidei odium cæderentur, & innocentum per Herodem trucidatorum, excogitarunt alij, vt ſaluo Eccleſiæ ſenſu de vero horum martyrio, ac beatitudine, nihil tale de aliis agnoſcerent. Dixerunt ergo, Bethleemiticos infantes cum à bimatu & infra cæſi prodantur, vel omnes vel ferè omnes priuſquàm cæderentur, circunciſione aut piaculari legis naturæ remedio, procuratos parentalis culpæ illuuiem depoſuiſſe. Quod ſi aliqui remediorum illorum exortes, cæſi ſunt, non hos eſſe quos Eccleſia & Patres martyribus accenſent, ſed illos

duntaxat quos Tyrannicus Herodis furor, remediis illis iam ablutos & gratiæ radiis collucentes demeſſuit. Quare niſi qui nunc cæderentur infantes, ſupponerentur per Baptiſmum à parẽtali illuuie mundati, æternùm perirent: præſertim cum proſtet Regis & legiferi noſtri edictum peremptorium de nemini pandenda via vitæ in lege gratiæ, niſi renatus fuerit ex aqua: & vel reipſa vel in voto, ad fontem domui Iacob patentem acceſſerit, inibíque ſordes poſuerit. Si ergo ablutio per aquam non ſit adhibita, certum exitium maneat infantem neceſſe eſt, cui rationis vſu carenti, nullus actus conciliare gratiam queat tanquam vicarius,& vt loquuntur, tanquam votum baptiſmi reipſa intercluſi per impotentiam. Nam quod martyrium non habeat rationem voti reſpectu baptiſmi, eſt per ſe euidens. Cum enim quis dicitur gratia donari in votò baptiſmi quo per impotentiam carere cogitur, votum illud nihil eſſe aliud poteſt,quàm illemet actus vel pœnitentiæ perfectæ, vel charitatis, qui accedente baptiſmi reipſa ſuſcipiendi facultate, vím habet, voluntatem in qua perſeueraret excitandi, vt concipiat formalem voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum: Et idcirco actus ille cenſetur formalem & actualem volitionem ſuſcipiendi Baptiſmi continere, & eſſe votum receptionis illius externæ, ad quam dicit ordinem tanquam eius expetitio atque volitio. Cum igitur mortis perpeſſio nudè ſumpta, cuiuſmodi eſt quam ſubit paruulus, nullo tali actu Baptiſmum reſpiciente ſit grauida, apertè infertur eam non eſſe votum Baptiſmi.

Exploditur.

Verùm neque hoc effugium, difficilè præcluditur. Et inprimis, iuxta illud, paſſio innocentum eſſet prorſus infructuoſa, & ſterilis quoad gratiam & gloriam, contra manifeſtam Patrum ſententiam, qui mortem paruulis illis profuiſſe & gratiæ ac diuinarum benedictionum feracem fuiſſe, conteſtantur, vt vidimus. At hoc falſum eſſet, ſi ſalus & felicitas puerorum, non ad paſſionem quam ſubieruut, ſed ad remedium emundans eſſet referenda, vt in propoſito reſpondendi modo fingitur: iuxta quem, idcirco paruuli remedio illo inexpiati, periiſſe dicuntur, nec pertinere ad lectum illum manipulum quem Eccleſia agnoſcit beatum. Quorſum verò Eccleſia vt martyres coleret, quibus perinde eſſet martyres non fuiſſe, cum non eo titulo ſalui dicantur, ſed beneficio alterius expiationis? Adde quod iuxta reſponſum propoſitum, videtur planè negandum, paruulos cæſos, eſſe martyres. Nam verum martyrium, vt eſt conſtans Eccleſiæ doctrina inferiùs confirmanda, ſufficit ad ſalutem conciliandam. Hoc autem non haberet nuda mors paruulorum, iuxta reſponſi illius auctores. Non igitur eſſent martyres, nec colendi eſſent eo nomine ab Eccleſia, in quam tamen quomodocunque incurrere, vt S. Auguſtinus ſapientiſſimè dixit, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Quare SS. infantes ab Herode cæſos, ſiue priùs remedio aliquo purgatos ab originali macula, ſiue inexpurgatos, admitto vi paſſionis & mortis in Chriſti odium illatæ, gratiam & gloriam eſſe conſecutos. Qua in parte Eccleſiæ ſen-

ſui adhæreo, quæ abſolutè & nulla circunciſorum vel incircunciſorum diſtinctione appoſita, infantes ab Herode cæſos, pronunciat martyres. Hoc aliter ſtatuunt Patres ſupra adducti, qui indiſcriminatim infantes ab Herode cæſos celebrant, nec laborant de præuia circunciſione quam paruulis Hebręis ante octiduum non adhibitam conſtat;cum tamen pleróſque ante illud tempus cæſos non videatur dubium S. certè Auguſtinus ſerm. 8. de ſanctis apertè agnoſcit, aliquos SS. martyres innocentes, cum tunc recens è maternis viſceribus effuſi eſſent, ſubiiſſe pro Chriſto necem. Nec improbabile eſt, quin aliqui Gentilium filij in Bethleem aut finibus eius nati,patuerint Herodis furori, quos liquet circunciſione non fuiſſe purgatos. Remedium autem legis naturæ, ſiue his Ethnicorum infantibus,ſiue Hebręis ante octiduum fuiſſe tunc adhibitum, nemo niſi diuinans dixerit.Iudæi enim,remedium illud extra circunciſionis adhibendę impotẽtiam,& pueri immaturè inſtantem obitũ octiduo anteriorem,non vſurpabãt,ideóque quoad paruulos ante octiduum à natiuitate cæſos, eo abſtinuiſſent, cum non præſagirent calamitatẽ qua ſubitò oppreſſi ſunt. Ethnici verò, vel ob infidelitatem nullo tali remedio paruulos ſuos procurabant; vel ſi qui eorum, Bethleëmi, & in omnibus finibus eius fideles erant, non niſi ſtata luſtrica die, ac fortaſſis poſt octiduum, æquè ac Iudæi circunciſionem, ſuum illud remedium adhibebant: Ac proinde etiam ipſi ab irruente ex improuiſo clade præoccupati, paruulos ſuos ſicariorum furore priùs ſucciſos viderunt, quàm poſſent de illis ea ceremonia expiandis cogitationem ſuſcipere. Vltrò autem dandum eſt quod

quod aſſumebatur, rectéque confirmabatur, nempe nullum Baptiſmi votum in huiuſmodi paruulis agnoſci poſſe. Sed nimirum martyrio, per ſe & independenter à quocunque alio, in eo qui diſpoſitionis propriæ incapax eſt, hoc eſt in paruulo, adiungitur ex certa Dei promiſſione gratiæ infuſio, & mortiferi peccati abſterſio, cuius interuentu omnes æquè paruuli ab Herode in Chriſti odium trucidati, quantumcunque aliis, remediis inexpiati, ſalutem conſequí valuerunt.

Firmatur concluſio poſita, de vero quorumuis infantium pro Chriſto cæſorum martyrio.

7. Eſt igitur (vt affirmabam,) omnium planè infantum in odium fidei interfectorum, par ratio, ac Bethleëmiticorum ab Herode cæſorum; quos ſenſus Eccleſiæ, & Patrum autoritas, verè ac propriè martyres, & ſalutem per martyrium adeptos ſtatuit. Et ſanè decus martyrij in SS. Innocentibus Bethleëmiticis, non perſonarum, ſed cauſæ priuilegium fuit. Quod perſpiciens Eccleſia, nonnullos ante rationis vſum pro Chriſto trucidatos, accenſet martyribus. Sic S. Quiricus puer triennis, matrem Iulittam implacabiliter lugens, ad gradus tribunalis illiſus, martyribus annumeratur in Eccleſiaſticis tabulis 16. Iunij. Inter illos quatuor millenos qui vno turbine abrepti, & in horridam eremum abducti, martyres ſub Hunerico obiere, [recenſentur à Victore Vticenſi l. 2. infantuli complures, [quorum matres, (Victoris verba ſunt, gaudebant ſe martyres peperiſſe.] Additque luculentum omnino exemplum filiæ Epiſ-

copi Zuritani, quæ nepotem infantulum robore ſupra mulierem exaggerato, abducebat ad martyriũ. In actis S. Luciani quæ ex parte deſcripſit Baronius anno Chriſti 311.n.15.& 16. narratur perilluſtre martyrium duorum puerorũ Nicomedienſium, fitque mentio templi in eorum honorem conſecrati, cui nomen *Martyrium inf ntium.* In actis S. Aretæ perſequente Chriſtianos Homeritas Tyranno Dunaan, puſio quinquẽnis,cum nullis Regis blánditiis,à matris propter Chriſtum conflágrantis inclamatione, abduci potuiſſet, vltrò tandem in ignem inſiluit,& cũ ea crematus,martyr eſt habitus. Videſis Baronium anno 522. Tridenti anno 1475. S.Simeon 24.Martij vt habet Romanum Martyrologium, in Chriſti odium à Iudæis cruci confixus, martyrio eſt coronatus,cum menſes duntaxat vndetriginta natus eſſet. In Hiſpania Ferdinando Rege S. Chriſtophorus puer trimulus, in oppido propè Toletum,cui nomen Guardia, irrogatis per Iudæos omnibus Chriſti tormentis, glorioſo martyrio affectus eſt,vulgo,Innocens à Guardia nuncupatus. In Sardinia SS. Ceſellius & Camerinus pueri bimuli,martyres pro Chriſto produntur.Cadit in hos omnes illud S.Ambroſij l.3.de virgin.cum demon-
« ſtrat teneras quoque puellas, velari poſſe, [Hinc
« quid plura contexam,cùm omnis ætas habilis Deo,
« perfecta ſit Chriſto? Denique non virtutem ætatis
« appendicem dicimus,ſed virtutis ætatem. Nec mi-
« rere in adoleſcentulis profeſſionem,cùm legeris in
« paruulis paſſionem. Scriptum eſt enim; ex ore in-
« fantium,& lactentium perfeciſti laudem. An dubi-
« tamus,ſi eum vſque ad continentiam ſequatur ado-
« leſcentia,quem vſque ad mortem confitetur infan-
tia?

tia?Et quaſi incredibile putamus, ſi puellæ nubiles «
Chriſtum ſequantur ad regnum,quem etiam pueri «
ſequebantur in deſertum?Sicut legimus,quia ſatu- «
rata ſunt de quinque panibus quatuor millia homi- «
num,exceptis,inquit, pueris & mulieribus. Nolite «
ergo à Chriſto arcere infantes, quia & ipſi pro «
Chriſti nomine ſubiere martyrium.] «

Extenditur ad paruulos in aluo materna cæſos, & Chriſto anteriores.

8. Quia verò paruulus, ex quo vitam accepit, perinde ſe habet ad perpeſſionem cædis pro Chriſto irrogatæ, ſiue iam ſit vtero fuſus, ſiue in maternis adhuc viſceribus concluſus lateat; idcirco rectè Richardus in 4. d.4. art.2. q.3. Argent. ibid. d.6.q. vnica artic.4.Scotus in 4. d.4. q.3. verſic. *de ſecundo patet*, approbante Sa V.*Martyrium*,exiſtimarunt infantẽ pro Chriſto intra materna viſcera cum matre occiſum,eſſe verè martyrem.Quod admitto,etiamſi mater ob voluntarium obicẽ gratiæ, non eſſet verè martyr:aut ſi mater per errorem putaretur Chriſtiana,cum eſſet Ethnica.Nam etiam tunc, fœtus in odiũ fidei necaretur. Item idipſum admitto etiamſi ſicarius ignoret grauiditatem matris quam in Chriſti odium interficit. Nihilominus enim plaga quæ paruulo intra maternorum viſcerum ſepta infertur,in Chriſti odium infertur,atque adeò paruulum conſtituit verè martyrem. In quo baptiſmus ſanguinis latè differt à Baptiſmo aquæ : quo prægnans baptizatur,intacto,atque adeò etiam inexpiato paruulo. At gladius perſecutoris, ad paruulum vſque peruadit cæſa matre. Itaque ambo martyrium ſubeunt,

eunt, quia ambo pro Chriſto trucidantur. Neque verò, quia dico paruulum eſſe verè martyrem, quia pro Chriſto cæſus eſt, excluſos volo paruulos veteris legis, ſi qui vel iam editi, in veræ religionis odium ſint cæſi, aut cum matre, eadē ex cauſa perierint, nondum nati. Quamuis enim paruulos ante Chriſtum pro vera fide cæſos, verorum martyrum albo expungat Gabriel Vaſques 3. p. diſp. 153. *in ipſo fine:* Tamen ratio proximè tacta, nempe quod hoc ſit cauſæ, non perſonarum priuilegium, æquè in hac parte militat. Et ſicut adulti pro vera fide obtruncari, in lege veteri, participes fuerunt eorum veri martyrij fructuum quos adulti in lege noua pro Chriſto morientes percipiunt, ita de paruulis, idem omnino eſt ſentiendum: quos item pro Chriſto cæſos licet affirmare, quatenus omnium temporum fides, implicitè fuit Chriſtiana, vt ſupra tetigimus.

Quale ſit paruulorum martyrium, præ martyrio adultorum.

9. Rectè itaque conſtitutum initio eſt, minuſculam ætatem cui rationis plena dies nondum illuxerit, eſſe martyrij capacem. Non tamen idcirco contendo, martyrium paruulorum necdum libertate potientium, eſſe formaliter honeſtum, vel formaliter actum virtutis. Hoc enim falſum eſſe, per ſe notum eſt ex dependentia moralitatis cuiuſuis formalis, à libertate actuali. Quare tantùm dico, martyrium paruulorum eſſe formaliter ac propriè verum martyrium, quamuis non ſit formaliter honeſtum, ſed tantùm obiectiuè, quatenus nitet fun-

damen

damentali honeſtate, apta terminare volitionem & acceptationem honeſtiſſimam. Ex quo inſuper ſequitur, martyrium paruulorum eſſe extenſiuè minùs pretioſum, quàm martyrium adultorum, quod & martyrij & formalis honeſtatis decore ſplendet. Egregiè de more hoc expreſſit Eucherius homil. de S. Blandina, Lugdunenſes martyres adultos cum paruulis Bethleemiticis componens, ſic inducta per proſopopeiam Lugdunenſi ciuitate affante Bethleem. [O Bethleem, in martyrum noſtrorum titulis tu numero fortaſsè præcedas, ego » merito. In tuis interfectio fuit; confeſſio non fuit; » in meis colluctatio paſſionis, in tuis ſola fuit op- » portunitas & occaſio fœlicitatis. Te exitus ditauit » benedictione, me virtus: Tu in ſanguine paruulo „ rum potuiſti videre pereuntes, non potuiſti expe- „ ctare certantes. Te coronauit innocentia morien- „ tium, me gloria triumphantium, Tui, in præmium „ regni, ſine conſcientia peruenere martyrij, mei au- „ tem cruciatibus afflicti, ſuppliciis explorati, ſæuis „ ignibus ſacrificii more decocti, quantas ſuſcepe- „ runt in corpore pœnas, tantas in ſpiritu percepe- „ runt coronas: ac ſic per tormentorum plagas, & „ torquentium moras, priùs conſecrati ſunt, quàm „ perempti. Tu obtuliſti annis paruulos, ego etiam „ meritis conſummatos: ego obtuli qui per tormen- „ ta ſua vincerent, cùm periclitari in fide potuiſſent: „ tu obtuliſti qui fructum moriendi habere poſſent, „ periculum negandi timere non poſſent.] „

Satis de purrulorum martyrio. Quæ enim ad eius fructus ſpectant, eadem opera explicabuntur cum fructibus martyrij adultorum. Sunt quippè vtrobique iidem ſpecie, etiam ſi ad eorum profuſio-

nem

nem ex martyrio paruulorum, ſola mortis perpeſſio ſufficiat: in adultis autem, aliquæ præterea diſpoſitiones requirantur, quas elucidatum eo.

CAPVT III.

Paſſum libertatis compos, quibus poſitiuis diſpoſitionibus ad martyrij gloriam ſit aptandum, ſiue de neceſſaria & idonea martyrij per adultum acceptatione.

1. ALterum paſſum, quod dicebam poſſe martyrium excipere, eſt homo adultus; in quo martyrium ſupra nudam paſſionem in odium Chriſti illatam, quæ ad paruulorum martyrium ſatis eſt, aliquas præterea ipſius adulti diſpoſitiones poſtulat. Quod non eſt nouum, Nam etiam Baptiſmus qui in paruulo per meram receptionem eſt ferax gratiæ, in adulto poſtulat diſpoſitiones aliquas quibus adultus ad Baptiſmum & fructus eius aptetur. Eas ergo diſpoſitiones ad martyrium adultorum, exponere hoc loco neceſſe eſt. Poſſunt autem earum duæ veluti claſſes diſtingui. Quædam enim ſunt poſitiuæ, quæ ſcilicet poſitiuo aliquo voluntatis actu continentur, quo directè influente, ac diſponente, adultus ad fructum martyrij, ſiue ad gratiam ſanctificantem martyrio repoſitum, aptatur. Aliæ verò dici poſſunt negatiuæ, quod etiam ſi non ſemper in pura negatione conſiſtant, tamen cum exigantur ad remouendum gratiæ obicem, & ad excludenda veri martyrij impedimenta, vel ſint ne-

gatiuum

gatium quid,vel ſonent negationem.Excluſio enim obicis,negationem aliquatenus ſonat.

Vt autem à poſitiuis diſpoſitionibus auſpicer, video duas in re præſenti ſtatui poſſe, quamuis reipſa ſint vnicus actus. Prima eſt acceptatio mortis.Secunda eſt delectus motiui idonei ex quo mors voluntati ſubeũda obiiciatur. Neque enim ſufficeret ad verum martyrium, velle quacunque ex cauſa mortem pati,ſed exigitur certus volitionis illius finis intrinſecus, ſiue certum motiuum. Hæc duo, vnico realiter actu perfici dixi; quia impoſſibile eſt, vt actus acceptationis, abſque interuentu alicuius motiui formetur. Nam voluntas nullum actum expromere valet, niſi collimando in aliquod formale obiectum, ſiue motiuum. Non malè tamen vnica illa entitas, in duos actus dearticulatur, conſiderátis in ea duabus rationibus metaphyſicè ſeparabilibus, quarum vna generalis eſt, dicitúrque acceptatio, altera verò quæ eſt ſpecialis, attenditur penes motiuum præbẽs ſpeciem actui, illúmque vltimò conſtituens talem qualis ad verum martyrium deſideratur. Eſtque, neceſſaria illa duplicis perfectionis in vnico actu diſtinctio; quia per poſitionem alterius ſpecie actus, cui alterutra illarum perfectionum deeſſet, euerteretur ratio martyrij. Seorſim igitur de martyrij acceptatione, & idonei ad illud motiui vſurpatione dicemus.

Aliquam mortis acceptationem, omnino depoſci in adulto.

2. Quoad acceptationem, dicendum eſt,ad verum ac fructuoſum adulti martyrium, exigi volitionem

tionem mortis irrogandæ, quæ ſit pluſquàm habitualis, aut interpretatiua tantùm: atque adeò quæ aliquando fuerit actualis, & verè exercita, ac in ſeipſa, vel aliquo ſemine ſuo præſens perſtet, ſaltem moraliter. Hæc eſt perſpicua D. Thomæ ſententia 22. q. 124. artic. 1. & ibidem Caietani, ſubſcribúntque Suarez t. 3. 3. p. d. 29. ſ. 2. Leſſius lib. de fortitud. c. 1. n. 24. alíique communiter, demptis perpaucis. Videtur autem ſatis ſtabiliri ex eo veluti effato quod in tractatione de gratia & merito eſt vulgatiſſimum. Nempe quæ gratiam conferunt, atque adeò ius ad ſalutem æternam vel tribuunt primò, vel promouent, debere eſſe homini adulto libera, ita vt per eius arbitrium diuinitus præuentum & adiutum, admitti liberè vel reſpui queant. Ita enim planè cernimus accidere in iuſtificatione ex opere operantis, per diſpoſitionem vltimam in hominis actionibus conſtitutum. Quod Vega l. 6. in Conc. c. 37. *ad tertiam*, quoad eum qui actualiter peccauit, cenſet fuiſſe definitum ab Innocentio c. *maiores* de Baptiſmo. Idem contingit in iuſtificatione ex opere operato per Sacramenta, quæ nulli adulto ſunt fructuoſa, niſi per actum liberum voluerit ea ſibi admoueri. Ac ne vrgeam Baptiſmum, circa quem aliqui tricantur, dicentes idcircò ad eum formalem baptizandi conſenſum depoſci, quia noua in eo obligatio contrahitur, nouúſque ſtatus ſuſcipitur, quibus nexibus neminem implicari par eſt, niſi volentem: vt inquam Baptiſmum omittam, quis dixerit Euchariſtiam, à iuſto adulto, in ſomnis, nulla prorſus volitione præmiſſa ſuſceptam, eſſe ei fructuoſam? Neque tamen in eo Sacramento vlla contrahitur noua

obliga

obligatio, nouúſue vllus ſtatus initur, ſed idcirco acceptari debet eius ſuſceptio per adultum, quia inſtrumenta & media gratiæ parandæ debent adulto eſſe voluntaria; vt hoc pacto, aliquo tandem modo per diſpoſitionem propriam aptetur ad diuinum beneficium. Cum enim ſit propriæ diſpoſitionis capax, æquum eſt vt eam expromat, ne ſegnis inérſque excipiat cœleſtem ſanctificantis gratiæ rorem: quod eſſet præter diuinum vſum, & cum æquitate pugnaret. Ad maiorem quoque hominis dignitatem & honorificentiorem bonorum diuinorum adeptionem ſpectat, vt (quod de virtute dixit Nazianzenus orat. 1. valet autem in quouis huiuſmodi cœleſti munere,) non ſit nudum beneficium, ſed hominis quoque cooperantis ingeſtæ diuinitus gratiæ, fructus ſit, atque adeò non purè doni, ſed mercedis etiam ac præmij, ſaltem aliqualis, & congruè debiti, rationem ſortiatur. Quod igitur in omnibus aliis conciliandæ vel augendæ gratiæ viis deprehendimus, meritò circa hanc quoque decretum à Deo cenſemus. Atque adeò vt martyrium adulti ſit verum, & gratiæ eorúmque fructuum fertile quos martyrium profundere idoneum eſt, exigitur omnino, vt martyr adultus mortem pro Chriſto irrogatam acceptet, aut præſenti aliquo voluntatis actu formaliter vigente, vel moraliter perſtante; aut certè durante virtualiter in effectu aliquo ſuo tanquam in ſemine.

Quæ recens in contrarium tradita.

3. Contrariam ſententiam tradidit Ægidius

Coninc. 3. p. q. 66. n. 136. cui adhæſit Bonacina q. 1. de Baptiſ. p. 1. n. 5. Iuxta hos ergo autores iuſtus qui pro fide obtruncatur, eſt verè martyr etiamſi nullo poſitiuo voluntatis actu acceptarit mortem illatam. Arctant ſe ad iuſtum, quia de peccatore fatentur aliam eſſe rationem. Hic enim quia voluntariè auerſus eſt à Deo fonte aquæ viuæ, neceſſe eſt vt voluntariè ad eum reueniat, ac proinde æquiſſimum eſt, vt maculæ inuſtæ abſterſionem non conſequatur, niſi præuio aliquo voluntatis propriæ motu; qui in iuſto quia ad Deum reuenire non adigitur, minimè eſt neceſſarius. In iuſto itaque adulto, nullam eſſe neceſſitatem acceptionis martyrij, probat Ægidius, ex eo qui recuſata defectione à fide, occideretur inter dormiendum: Itémque ex eo qui cum nihil priùs de confeſſione fidei cogitaſſet; tamen prorſus incogitans vel dormiens, ab hoſte fidei opprimeretur. Simile eſt exemplum eius qui fugiens Tyrannum à quo vrgetur ad apoſtaſiam, ſubitò in fuga configitur. Hic enim non videtur poſſe expungi martyrum albo; præſertim ſi iam comprehenſus in procinctu ſubeundorum tormentorum, data dilapſus opportunitate, aufugeret, & inter fugiendum emiſſo telo confoderetur. Quinetiam S. Cyprianus epiſt. 56. n. 14. Chriſtianos perſecutionem declinantes; ſi in fuga à latrone opprimantur, vel à fera diſcerpantur, ſtatuit eſſe martyres. Quanto ergo magis idem diceret de eo qui ante comprehenſus, transfigeretur inter fugiendum, emiſſo per fidei hoſtes & in fidei odium iaculo; quamuis de morte inter fugiendum inferenda, nullo modo cogitaſſet, atque adeò eam nullatenus acceptaſſet, niſi interpretatiuè & habi-

tualiter,

tualiter : qui modus acceptandi iuxta autorem cum quo agimus, ad quorundam Sacramentorum ſuſceptionem ſufficit reſpectu iuſtorum adultorum: nimirum ad ſuſceptionem Baptiſmi, Confirmationis, & Extremæ vnctionis. Itaque multo magis cenſendus eſt ſufficere ad fructuoſam perpeſſionem martyrij; quod à Patribus prærogatiuis potioribus donatur, quàm Baptiſmus. Tandem iuſtus qui non acceptato per poſitiuum actum martyrio, occiditur in odium fidei, verè perdit animam propter Chriſtum. Hoc autem ſufficit ad martyrium, cuius ratio, non in actione ſed in perpeſſione ſita eſt, vt liquet ex vero infantum martyrio. Quidni ergo ſimilis omnino perpeſſio adulti, ad verum martyrium ſit ſatis?

Et ita ex D.Thoma colligi 3.p.q.87.art.1.ad 2.& ibidem à Caietano expreſsè tradi, notat autor citatus. Idem videri poteſt ſenſiſſe Thomas de Argentina in 4.d.6.q.vnica art.4. concluſ.1. *ad 1. instantiam.* Quamuis enim primùm dicere videatur in adulto requiri actualem voluntatis conſenſum in mortem pro Chriſto illatam, tamen hoc intelligit tantùm permiſſiuè: ſenſúſque eſt, quamuis in adultis conſenſus ille eſſet neceſſarius, non eſſe tamen neceſſarium in paruulis, quos ibi contendit eſſe poſſe verè martyres, quamuis nequeant acceptare martyrium. Poſtmodùm autem diſertè addit, etiam adultum, abſque acceptatione poſſe eſſe verè martyrem: quod probat ex eo qui dormiens opprimeretur ab infidelibus in odium Chriſti, aut fidei, quem affirmat eſſe martyrem, quamuis incogitans atque adeò martyrium non acceptans, ſit ſubitò oppreſſus. Et rationem reddit, quia vt

quis martyr habeatur, ſpectanda eſt cauſa mortis
illatæ, quæ in homine non acceptante poteſt eſſe
ad verum martyrium idonea, nempe odium fidei.
Sed apertè neceſſitatem acceptationis ab adulti.
martyrio, excludit Goffridus Vindocinenſis lib. 1.
epiſt. 7. Agens enim de prætextu illo, quem Pa-
ſchalis Papa ad quem ſcribit, malè conceſſis Hen-
rico in ſacra iuribus obtendebat, dicens timuiſſe ſe
trucidationi ſuorum, ſi obfirmatè iura illa Impe-
ratori negaſſet: reſpondet Goffridus, præſtitiſſe
negare iura illa, & trucidationem permittere quæ
« martyrij ſplēdore colluxiſſet. Addit verò. [Si obiici-
« tur quòd inuiti forſitan paterentur, & idcirco eo-
« rum paſſio crederetur infructuoſa, quód ſponta-
« nea minimè videretur: & iterum pœna martyrem
« non facit, ſed cauſa: Cauſa vtique idonea, &
« multùm idonea erat, quia cauſa fidei, quâ melior
« non poterat inueniri. Pro hac etiam, ſi aliter non
« poſſent, contra ſuam voluntatem mori debuiſſent:
« quia nec ſic martyrij palma fraudari potuiſſent. In-
« nocentes etenim ſancti, qui nec voce, nec volun-
« tate martyrium quæſiiſſe leguntur, quoniam pro
« Domino pertulerunt, coronâ martyrij non priuan-
« tur. Hos ſancta Eccleſia non ſolùm martyres eſſe,
« verùm etiam martyrum flores confitetur. Vnde fir-
« miter credendum eſt, & nullatenus dubitandum,
« quòd ſupplicium mortis pro fide Chriſti homini
« collatum, etiam ſi pro carnis infirmitate noluerit,
« & tamen non negauerit, martyris vindicat, no-
« men & præmium.] Non videtur Gaufridus po-
tuiſſe explicatiùs aduerſari neceſſitati acceptationis
cui confirmandæ inſiſtimus.

Retundun

Retunduntur.

4. Hæc tamen ſententiæ noſtræ impugnatio & contrariæ ſtabilitio, non difficile retunditur. Ac primùm, diſcrimen quod inter iuſtum & peccatorem ſtatuebatur, quoad neceſſitatem acceptandi martyrij, quæ pro peccatore ſolo agnoſcitur, eſt diſcrimen planè extra rem. Quandoquidem diſcrimen illud non aliter probatur, quàm quia peccator debet propriæ voluntatis motu reuenire ad Deum, vt gratiam martyrij adipiſcatur. At hinc tantùm habetur neceſſitas pœnitentiæ ac diſplicentiæ peccati, quæ longè alius actus eſt ab acceptatione martyrij. Præterquam quod fundamentum illud, cui neceſſitas præuiæ ad martyrium pœnitentiæ in peccatore innititur, æquè valet, ad ſtabiliendam neceſſitatem præuiæ martyrij acceptationis, in eodem adulto peccatore. Tota namque ratio ob quam peccatori ad gratiam comparandam neceſſaria eſt pœnitentia & deteſtatio peccati admiſſi, in eo conſiſtit, quod dignum & iuſtum ſit hominem adultum in ſuæ ſalutis negotio cooperarium à Deo aſciſci, & qui voluntariè deflexit, reuocari voluntariè in viam. Nam quamuis Deus poſſet hominis peccatoris ſordes abſtergere ſecluſo quouis eius actu, tamen conſultius viſum eſt æternæ ſapientiæ, illud ſaltem tenue litrum diſplicentiæ à peccatore exigere vt aliquatenus ad ſalutem ſuam cooperaretur, nec libertatis conceſſæ munus apud ſe iners haberet, in negotio ob quod præſertim facta eſt eius conceſſio. Hoc itaque principio per aduerſarios conuulſo, & negata iuſti cooperatione

quacunque ad illam gratiæ ſanctificantis acceſſionem quæ facienda eſt per martyrium, conſtare videtur, non ſatis cohærenter dici, neceſſariam eſſe peccatori diſplicentiam anteriorum culparum, vt martyrium cum fructu ſubeat.

5. Quicquid verò ſtatuamus de diſcrimine in re præſenti propoſito, inter iuſtum & peccatorem, argumenta adducta quibus neceſſitas acceptationis martyrij à iuſto excludebatur, ſunt planè imbellia. Negamus enim eum eſſe verè martyrem qui nihil priùs de cæde pro Chriſto ſubeunda ſuſpicatus, inter dormiendum opprimeretur. Et idem ſtatuimus de eo qui fugiens martyrium; illúdque, vel nullo modo ſuſpicans inferendum ob declinatum iam periculum; vel ſi inferendum ſuſpicetur, nullatenus illationem eius approbans, caſu periret, ſiue confixus ab hoſte Chriſti, ſiue à graſſatore iugulatus, ſiue à beſtia diſcerptus. Id quod à S. Hieronymo traditum contra Iouinianum, & in Synodo Africana conſtitutum, monſtraui cap. 1. num. 10. Nec refragatur S. Cyprianus, quem pro aduerſariis protulimus. Agit enim enim de eo qui mortem acceptauit, actu virtualiter vel ſaltem moraliter ſuperſtite, & terminato ad mortem in fugæ initæ variis caſibus probabiliter præuiſam; Nam ſeceſſio illa à ſuis ad vitæ ſecuritatem, eſt genus perſecutionis illatæ in fidei odium; nec latet fugientem, quàm facile ſit vt mors quam vno itinere declinat, aliis viis obtingat inter fugiendum: & tamen mauult fugere, & vitam diſcriminibus illis obiicere, excepturus mortem ſi à Deo permittatur, potiùs quàm perſtans extra vitæ diſcrimina, fidei naufragium patiatur. Igitur qui in fuga illa vel ſeceſſione mortem ſubit,

quam ſi ſtetiſſet, & fidem periculo commiſiſſet, euaderet, non caruit neceſſaria ad martyrium acceptatione. [Certum enim eſt, (inquit Origenes homil. 9. in Iudices,) quod Chriſtum confitetur ille, qui propterea fugit, ne neget.] Æquè facilè extricantur reliqua propoſitæ difficultatis capita. Vt quod dicebatur, in quibuſdam Sacramentis ſuſceptionem validam & fructuoſam, locum habere in eo cui non cogitanti admouentur; nimirum in Baptiſmo, Confirmatione, & extrema Vnctione. Hoc enim non eſt admittendum, niſi cum anticipatus aliquis conſenſus præceſſit, qui perſtet ſaltem moraliter. Idem ergo eſt de martyrio. Negandum præterea eſt quod addebatur hominem à fidei hoſtibus confoſſum inter fugiendum, perdere animam ſuam propter Chriſtum, etiam ſi nec mortem præuiderit, nec vllatenus antea acceptarit: Quaſi quia animæ perditio in ſola paſſione ſita eſt, ſufficiat ad talis hominis martyrium, quòd moriatur, nulla licet volitione mortis in eo præſuppoſita, ſicut in paruulis nulla præſupponitur. Negandum inquam eſt, huiuſmodi hominem perdere animam ſuam eo modo quem Chriſtus de adulti martyrio agens intellexit, nempe cum aſſenſu & præuia acceptatione. Sicut quamuis Chriſtus dixerit, qui baptizatus fuerit, ſaluum fore, nemo tamen inde collegerit, Baptiſmum nudum quauis præuia acceptatione ſecluſa, poſſe ad ſalutem ſufficere, aut eſſe validum Sacramentum. Nimirum quia ſenſus verborum Chriſti eſt, ſaluum fore baptizatum, ſi volens fuerit baptizatus. Non aliter igitur philoſophandum eſt de martyrio, quod quamuis non ſit in actione ſed in perpeſſione ſitum, tamen neceſſe

 eſt

eſt perpeſſionem illam volitioni alicui & acceptationi ſubſtare; vt apud Deum in laude ſit, nec mera corporis cruentatio habeatur. Quemadmodum autem in pueris quia rationis vſu deſtituũtur, priuilegium eſt quod materialis illa externa receptio ſufficiat ad Sacramenti ſuſceptionem validam, quacunque ipſorum paruulorum volitione ſecluſa; ita quod in iiſdem irrogatio mortis & nuda perpeſſio, ſufficiat ad veri martyrij decora, priuilegium eſt, quod ad ætatem adultam, rationis luce potientem, & ſui arbitram, non eſt extendendum.

6. Itaque omnia argumenta quibus neceſſitas acceptationis martyrij in iuſto adulto impetebatur, peſſum eunt: Statuendúmque eſt vt omnino verum, aliquam martyrij acceptationem in quouis adulto exigi eiúſque acceptationis defectu, hominem Catholicum qui nullam martyrij ſubeundi volitionem præeliciuiſſet, ſi per fidei hoſtes incogitans occidatur, non eſſe martyrem. Nec S. Thomas eo loco qui in contrarium proferebatur, reuera diſſenſit. Ibi enim non quærit an martyrium poſſit eſſe abſque acceptatione, ſed an martyrium in adulto peccatore ſic confoſſo, abſque pœnitentia, eluat labem præiacentem. Reſpondétque eluere, dummodò voluntas, cum cædes eſt illata, nulli culpæ de facto adhæreſceret, eo quod martyrium habeat vim Baptiſmi. Quicquid autem ſit de modo quo Baptiſmus ab adulto peccatis ſordente ſuſceptus, eam fuliginem abſtergit, nobis nunc ſatis eſt, quod aliquam eius acceptationem vbiuis exigi, non neget eo loco D. Thomas; eámque proinde agnoſcat neceſſariam item eſſe ad martyrium, de quo philoſophatur eodem prorſus

modo.

modo. Sanctō Doctori ſubſcribit ibidem Caietanus, nihilque præterea addit quod ad præſentem cauſam referat. Quare non plus pro ſententia quam impugnauimus allegari poteſt, quàm D. Thomas, quem malè pro ea adduci vidimus. Nec rectè etiam adducitur Argentina, qui non niſi eam acceptationem repudiat, quam elicere oporteat cum martyrium actu ſubitur. Goffridus, qui non modo acceptationem martyrij non exigit, ſed etiam putat reniſum ſubeundi martyrij, veritati eius non officere, audiendus non eſt.

Cuiuſmodi eſſe debeat ea acceptatio: Oſtenditur ſufficere habitualem.

Eſt igitur acceptatio aliqua ad verum martyrium neceſſaria. Sed cum variè ad martyrium comparari poſſit accceptatio; (poteſt enim eſſe actualis, aut habitualis; rurſúſque actualis in formalem & virtualem poteſt ſubdiuidi:) controuerſia eſt, quænam ex eis ad martyrium ſufficiat. De vtraque actuali, nullum eſt dubium. Siue enim actus acceptandi perſtet formaliter in ſeipſo, ſiue in aliquo tanquam ſemine, quod ratione connexionis acceptationem anteriùs formatam exhibeat, perſpicuum eſt, paſſum rationis compos diſponi ſufficienter & humano modo, ad fructum gratiæ. Nam etiam ad ſacramentorum per adultos receptionem, vtraque illa acceptatio agnoſcitur ſufficiens. Et ſpecialiter virtualem intentionem optimè explicat, & ad martyrium acceptandum ſufficere, docet Scotus in 4.d.*6*. q.*6*. *littera B.* Dubitari ergo duntaxat poteſt de acceptatione habituali, quæ

ſcilicet aliquando fuit formalis & actualis, nunc autem neque in ſe, neque in vllo ſecum connexo perſeuerat; quia tamen retractata non eſt, cenſetur durare moraliter. Nam de illa acceptatione quæ diceretur habitualis, quia nunquam quidem actu fuit, elicita tamen fuiſſet, ſi homo aduertiſſet, quæ aliter dicitur acceptatio interpretatiua, iam monſtratum eſt eam non ſufficere: Quia verè nullum ponit voluntatis motum qui aliquando realis fuerit.

7. De ſola ergo habituali acceptatione, eo quem propoſui ſenſu accepta, poteſt eſſe controuerſia: In qua ſtatuendum eſt, eum eſſe verè martyrem, qui ex tali aliqua intentione martyrium aliquando acceptarit. Hoc mihi ſufficienter confirmari videtur exemplo Sacramentorum, quæ in adultis quia ætatem habent, & pro ſe loqui poſſunt, vt D. Auguſtinus l. 4. de Baptiſ. c. 24. ratiocinatur, ſine proprio conſenſu & acceptatione non valens, propter generale illud principium, quòd dedeceat gratiæ fontes vlli adulto recludi, ſine proprio conſenſu; & quemquam per ætatem ſui arbitrium, ad iuſtificationem abſque acceptatione aliqua peruenire. Cum ergo ex hoc duntaxat principio, acceptatio martyrij in adulto exigatur, ea ipſa acceptatio quæ ad validam Sacramenti per adultum ſuſceptionem idonea erit, poterit quoque ad martyrij acceptationem cenſeri idonea. Atqui Sacramenta validè ab adulto ſuſcipiuntur, dummodò anticipatus aliquis conſenſus præceſſerit, qui moraliter maneat, eo quod reuocatus non ſit. Ita enim paſſim concedunt de Baptiſmo, Confirmatione, & Vnctione extrema. Imo ad hæc Sacramenta, im-

plicitam

plicitam petitionem quæ aliquando præceſſerit, nec reuocata ſit, ſufficientem eſſe, concedit. Ægid. 5. §. q. 64. n. 103. Nec fuit cur Sacramentum Pœnitentiæ illis aggregandum negaret, eo ductus fundamento, quod ad hoc Sacramentum exigatur explicita aliqua eius petitio, ſaltem qua pœnitens admiſſa à ſe peccata generaliter confiteatur: quandoquidem talis actus, aut alius expreſſior atque diſtinctior, eſt Sacramenti pœnitentiæ materia proxima, ſine qua Sacramentum illud confici nequit. Hanc exceptionem non admitto, quia ea confeſſio, ſiue dolor de peccatis exteriùs proditus, non eſt reuera Sacramenti pœnitentiæ petitio. Is enim qui de peccatis dolorem concepit, potuit inter dolendum nullo modo cogitare de Sacramenti ſuſceptione: Et tamen ſufficientem habet conficiendi Sacramenti materiam; eo quod doluit, eúmque dolorem exteriùs prodidit nec retractauit. Petitio ergo Sacramenti, ſeu veriùs intentio illud ſuſcipiendi, eadem eſſe poteſt reſpectu Sacramenti pœnitentiæ, ac reſpectu reliquorum Sacramentorum enumeratorum. Vt proinde non dubitarim abſoluendum ægrum, quem conſtat ſigna aliqua doloris peccatorum exteriùs edidiſſe, quamuis Sacramentum pœnitentiæ non expetierit in actu ſignato, nec rogarit aduocari Confeſſarium, eo quod vi morbi ſubitò ſit oppreſſus, vóxque ei intercluſa. Talis námque ſuſcipiens, idoneam materiam ad Sacramenti confectionem adhibuit. Intentio verò ſuſcipiendi quæ præterea ex parte eius exigitur ad Sacramenti confectionem, ſufficienter cenſebitur interueniſſe ratione alicuius præcedentis actus, quo homo voluerit Chriſtianis Sacramẽtis expiari cum

æger erit, & de ſalute periclitabitur: aut quo voluerit media ad ſalutem neceſſaria, vel admodùm vtilia vſurpare ſuo tempore. Quem actum Eccleſia, in quibuſuis baptizatis de quorum malo ſtatu non conſtet, ſolet præſumere quoad extremam vnctionem: & idcirco eam impertit ægro Catholico ad extrema deducto, ſi ſenſibus deſtitutus, nequeat illud Sacramentum explicitè petere. Quidni verò ſimilem actum, pro Sacramento peccatoribus non iam vtili, ſed planè neceſſario, præſumere congruum ſit ad illud eis adminiſtrandum, dummodò dolorem aliquem peccatorum exteriùs prodiderint, qui poſſit eſſe ſacramenti materia, quali contentus eſſet aduerſarius ſi ſacramenti petitio interueniſſet? Sed hæc obiter. Neque enim ſimilem martyrij acceptationem præſumi velim, in Catholico qui ab hoſtibus fidei confoderetur: quia actus acceptandi martyrij adeò ſublimis eſt, & communem virtutem ſuperans, vt non ſit dubium quin pleríque Catholici à tam carò mercanda æterna ſalute procul abſint. Vnde niſi poſitiuè conſtet, acceptationem formalem martyrij aliquando præceſſiſſe, nec eſſe actu contrario reuocatam, non eſt cenſenda interueniſſe. Tantùm itaque protuli hæc, de implicita acceptatione præuia, in prædictis Sacramentis per adultos ſuſcipiendis ſufficiente, vt conſtaret, præiacentem & duntaxat moraliter ſuperſtitem acceptationem explicitam, multò magis ad ea ſuffecturam. Igitur, qui eſt hoc loco ſcopus noſter, debet quoque cenſeri idonea ad verum adulti martyrium, ita vt dummodò aliquando illud formaliter acceptarit, neç eam acceptationem poſteà reuocarit per actum contrarium, cenſendus ſit adhibuiſſe

hibuiſſe acceptationem martyrij ſufficientem, nec per eam ſtare, quominus verus martyr habendus ſit, ſi in odium fidei ſubitò & incogitans confodiatur, nec cætera ad veritatem martyrij requiſita deſiderentur.

Motiuum ex quo ſit acceptatio, maximè attendendum.

8. Venio ad delectum motiui ex quo martyrium ab adulto acceptandum eſt. Quod quanti ſit momenti in vniuerſo hoc negotio, intelligitur ex illis quæ S. Chryſoſtomus orat. 1. contra Iudæos, diſputat circa Iudæorum ieiunia & corporis macerationes; æquè enim militant contra martyria, ſeu veriùs inanes corporum vaſtationes, ex illegitimo fine exceptas. [Semper apud te (inquit) potior ſit ratio, quid Deus præcipiat, quàm quæ ſit negotiorum natura. Quòd ſi quid compereris illo comprobante geri, illud ſolùm amplectere. Atque hac vtentes regula, & ieiunium hoc Iudæorum expendamus. Etenim ni id fecerimus, ſed actiones nudas per ſe tantùm in medium prolatas conſideremus, ingens erit confuſio, magnáque iudicij perturbatio. Nam prædonibus raduntur latera, & monumentorum perfoſſoribus, maleficiſque: Verùm idem patiuntur & martyres. Facta quidem ſunt eadem, cæterùm animus & cauſa cur hæc fiant, non eſt eadem, eóque plurimum eſt diſcriminis inter hos & illos. Quemadmodum igitur in illis, non tormentum tantùm expendimus, ſed priùs animum & cauſam ob quàm cruciatus inferuntur conſideramus; & ob id martyres amamus, non quòd cru-

« ciantur, ſed quòd ob Chriſtum cruciatus ferunt;
« contrà, latrones deteſtamur, non quia puniuntur,
« ſed quod ob malefacta puniuntur: ad conſimilem
« regulam, & in hoc negotio Iudæorum, rationem
« eorum quæ fiunt ſubducito.] Hinc dico perſpicuè demonſtrari, quanti ſit in perpeſſione martyrum, quod ex tali motiuo ſint paſſi; quandoquidem niſi ad id attenderemus, æquè latronum, atque Iudæorum vexationes in laude ponendæ ac celebrandæ forent. Hanc ob cauſam meritò S. Auguſtinus lib. 2. contra epiſto. Gaud. c. 12. ridet Gaudentium Donatiſtam, qui ſuos perſecutionem patientes propter impietatem ſuam ac ſcelera, vocabat martyres, & beatos prædicabat, quod ſcriptum ſit, *Beati eritis cum vos perſecuti fuerint homines.* Ad hæc reponit Auguſtinus. [Rectè iſta dicerentur à vobis
« quærentibus martyrum gloriam, ſi haberetis mar-
« tyrum cauſam. Non enim fœlices ait Dominus qui
« mala iſta patiuntur, ſed qui propter filium hominis
« patiuntur, qui eſt Chriſtus Ieſus: vos autem non
« propter ipſum patimini: ſed contra ipſum. Patimi-
« ni quippe ideò, quia non ei creditis, & toleratis
« ideò, ne credatis.] Eſt ergo maxima motiui ratio habenda.

Nimirum motiuum dat ſpeciem & formam actui. Quale ergo fuerit motiuum, talis erit & acceptatio. Ac proinde cum martyrium adulti non placeat Deo, nec veri martyrij rationem habeat, niſi prout ſubeſt liberæ acceptationi, attendendum diligenter eſt ex quo motiuo quis mortem acceptet; nec tam intendendum in mortem quæ eſt materiale acceptationis obiectum, quàm in formale quòd in motiuo conſiſtit, ac penes quod definien-

da eſt acceptationis honeſtas, vel turpitudo. Cum autem motiuum acceptationis explicatæ, vel ſit vitioſum, vel indifferens, vel moraliter duntaxat, ac philoſophicè, aut etiam ſupernaturaliter bonum; dicendum eſt, inprimis acceptationem mortis in Chriſti odium illatæ, factam ex motiuo turpi aut moraliter indifferente, eſſe ineptam ad rem præſentem. Talis quippe acceptatio nullam habet proportionem cum gratia vero martyrio rependenda; eſtque inepta ad illud veluti formandum ex parte hominis ſubeuntis mortem pro Chriſto, qui nihili æſtimat quaſcunque ſiue actiones, ſiue paſſiones, ex germine motiui vel vitioſi vel indifferentis procreatas.

Mors ad aucupandam gloriam, quàm abſit à martyrio.

9. Quare omnium conſenſu, ſi quis morti in fidei odium inferendæ ſe obiiceret, eámque fortiter exciperet; idcirco tantùm, vt laudem apud homines conſequeretur, eiúſque memoria in tabulis Eccleſiaſticis publicíſque monumentis æternùm perſtaret, nequaquam eſſet martyr, quia ex malo motiuo acceptaret mortem. Malum quippe eſt, vitam inter humana bona pretioſiſſimam, pro bono longè deſpicatiore prodigere. Ita apertè S. Hieronymus in c. 5. ad Gal. verbis illis. [Martyrium ipſum « ſi ideò fiat vt admirationi & laudi habeatur, fruſtra « ſanguis effuſus eſt. Loquatur Apoſtolus, loquatur « vas electionis: ſi tradidero corpus meum, vt glorier, « charitatem autem non habeam nihil mihi prodeſt.] « Similitudine Græcorum verborum, vno duntaxat

elemento

elemento eóque vix integro diſcrepantium, καυθήσομαι & καυχήσομαι factum eſt vt aliqui eum Apoſtoli locum ex 1.Cor.13.verterent; *ſi tradidero corpus meum ita vt glorier:* quod Hieronymus ſecutus eſt loco citato. Quamuis lectio probanda quæ editione vulgata continetur, & cum Apoſtoli ſcopo ſola cohæret, habeat, *ita vt ardeam.* Mens tamen D. Hieronymi explorata eſt, quicquid ſit de loco quē profert. Itaque ſuperiùs ad idem caput tractans illa verba *Sed per charitatem ſeruite inuicem*, independenter ab eo Apoſtoli loco ſic ſtatuit, & refertur « apud Gratianum 1.q.1.cap.65.[Vide quantum bo« num ſit charitatis. Si ita martyrium fecerimus, vt « noſtras velimus ab hominibus reliquias honorari; « ſi opinionem vulgi ſectantes, intrepidi, ſanguinem « fuderimus, & ſubſtantiam noſtram vſque ad mendi« citatem propriam dederimus, huic operi non tam « præmium, quàm pœna debetur, & perfidiæ magis « tormenta ſunt, quàm corona victoriæ.]

Gregorius item Nazianzenus orat.1. in Iulia. ſingularis ſtultitiæ Iulianum damnat, quod cæteros ex genio ac ingenio ſuo metiēs, Chriſtianos à profundendo ob Chriſtum ſanguine auocandos crederet ſi non agnoſcerentur paſſi propter Chriſtum, ideóque ſe honore martyribus impendi ſolito fraudandos exiſtimarent: Sed ſtultiſſimè ſenſiſſe Apoſta« tam, ait Nazianzenus [ſi gloriæ cupiditate, ac non « veritatis ſtudio & amore, nos periculū adire exiſti« mabat. Hoc ſanè apud illos velut animi cauſa faciāt « Empedocles, & Ariſtes, & Empedotimi quidam, ac « Trophonij, atque huiuſmodi miſerorum hominum « chorus. Ex quibus ille, cùm per Sicula foramina « diuinitatem, vt ſibi opinione fingebat, comparaſſet,

séque

ſeque ad meliorem ſedem tranſiniſiſſet, chariſſimo «
calceo, ignis æſtu eiecto, proditus eſt: atque ita non «
Deus poſt hominem oſtenſus eſt, verùm inanis «
gloriæ ſtudioſus, philoſophiæque poſt mortem ex- «
pers, ac nec communi ſenſu præditus. Hi autem, «
cùm eodem morbo gloriæque amore affecti, in «
penitiſſimos quoſdam terræ receſſus ſeſe abdidiſ- «
ſent, deprehenſa poſtea fraude, non plus honoris «
ex huiuſmodi furtiuo ſeceſſu adepti ſunt, quàm «
contumeliæ ob compertam fraudem. At Chriſtia- «
nis iucundius eſt pietatis cauſa pati, etiamſi nemo «
id reſciturus ſit, quàm aliis cum impietate florere, «
atque in gloria verſari. Hominibus quippe placere, «
parum admodum curamus; id vnum expetentes, vt «
honorem à Deo conſequamur: imo ſublimiùs etiam «
aſſurgimus: (de iis loquor, qui verè philoſophi, ve- «
róque Dei amore præditi ſunt:) quippe ſummo bo- «
no coniungi, propter ipſum ſummum bonum ex- «
optantes, non autem propter honores in altero æ- «
no reconditos. Secundus enim hic honeſtorum, & «
laudabilium virorum gradus eſt, pretio ac mercede «
aliquid facere: quemadmodum in tertia claſſe col- «
locandi ſunt, qui pœnæ metu, à ſcelere & maleficio «
deterrentur.] Præiuerat Gregorio Tertullianus, qui «
l. ad Martyr. c. 4. & c. 5. Apolog. latè demonſtrat ſub-
iectis pleriſque ſingularibus exemplis, Ethnicos
vana cupiditate gloriæ actos, tormenta immania &
mortem excepiſſe: Chriſtianos, gloria quæ ex Deo
eſt contentos, martyrium ſubiiſſe.

Motiuum philoſophicè duntaxat bonum, ineptum ad martyrium.

10. Neceſſe igitur eſt, motiuum martyrij acce-

 ptandi,

ptandi, neque malum eſſe neque indifferens. Sed neque ſufficeret motiuum honeſtum, ſi ea honeſtas naturæ finibus concluderetur nec aſſurgeret ſuperiús. Deus enim opera merè moraliter bona, aut perpeſſiones ex philoſophica duntaxat honeſtate exceptas, non tanti æſtimat, vt eis velit gratiam ſanctificantem rependere; ſed quæcunque aliqua vt ita dicam fidei aſpergine perlita non ſunt, & omni prorſus ad eam ordine ac ſubiectione vacant, habet pro inutilibus ad gratiæ conſecutionem. Nam ne mica quidem gratiæ, aliter obtingit vlli adulto, quàm per fidei interpoſitionem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Quia ergo volitio acceptans martyrium, accedente mortis irrogatione conciliat adulto gratiam, neceſſe eſt acceptationem illam in aliquid fide propoſitum collimare: quod proinde etiam pertinebit ad fidem. Neque enim proponeretur per fidem, cui omnis cum gratia connexio eſt illigata, niſi aliquo tandem modo ad fidem pertineret. Motiuum itaque, merè naturaliter ac moraliter, ſiue philoſophicè honeſtum, niſi ſubſternatur altiori motiuo quod ſupernaturale ſit, & per fidem proponatur, inidoneum eſt ad veri martyrij acceptationem terminandam. Quod perſpicuè tradidit Victor Vticenſis lib. 3. perſecut. Vandal. agens de cruciatibus Serui nobilis Tuburbitani pro ſeruando amici ſecreto exceptis. Quod enim Tuburbitanus ille, ſola ciuili honeſtate quæ in ea tenaci arcanorum amici cuſtodia cerni poteſt, ductus fuiſſet ad cruciatus illos excipiendos, negat Victor eos ad martyrium pertinuiſſe: Neceſſarium quippe ad id fuiſſet, vt exciperentur ex motiuo Chriſtiano, ita vt honeſtas merè naturalis in ea ad amicum fidelitate ſplendens,

dens, affuſo aliquo fidei diuinæ honeſtatem illam approbantis radio colluſtrata, non iam vt merè humana & philoſophica, ſed vt Chriſtiana obiiceretur. Motiuum enim acceptationis ad gratiam ſanctificantem diſponẽtis, cuiuſmodi eſt motiuum acceptationis martyrij, neceſſe eſt eſſe ſupernaturale.

Sufficiet prælucente fide, etiamſi minutum.

11. Sunt verò quibus viſum eſt, non omne motiuum moraliter honeſtum, aptum eſſe quod vel prælucente fide colluſtratum, ad formandam veri martyrij acceptationem adhibeatur. Imo neque omnẽ motiuum ſupernaturali honeſtate fœtum, agnoſcunt ad martyrium ſufficere. Nam Martinus de Magiſtris q. 5. de martyrio concluſ. 7. & 9. & Angeſtus l. 2. de virtut. c. 2. docum. 9. honeſtates minutas, cuiuſmodi ſunt, vt eorum exemplis vtar, honeſtates affabilitatis & eutrapeliæ, negant poſſe ad martyrium ſufficere; quamuis fide ſuperfuſas; ſed eorum duntaxat operum honeſtatem formandæ veri martyrij acceptationi ſufficere cenſent, quæ eiuſmodi ſint, vt iis prætermiſſis, vel contrario opere excluſis, diſſoluenda foret hominis amicitia cum Deo: ſiue ex ſe cadant ſub præceptum, vt ſunt abſtinentia à re, fama, vel coniuge aliena; ſiue tantùm ex conſilio ſuggerantur, vt ſunt ſeceſſio à ſeculi fluctibus, ac ſubitio religioſi portus, obſeruatio perpetuæ caſtitatis, aliàque huiuſmodi. Erit qui his Doctoribus ſuffragatum putet Menſurium Carthaginenſem Epiſcopum, qui vt eſt apud S. Auguſtinum in breuiculo collationis diei tertiæ c. 13. non modò reprobauit martyrij acceptationem ex fine minus

 ſyncero,

ſyncero, cuiuſmodi eſt excutiendi creditores & ponendi oneroſam multis debitis vitam, vel acquirendi pecuniam, & perfruendi deliciis de obſequio fidelium durante cuſtodia; ſed etiam purgandi ſe à peccatis, & quaſi abluendi facinora ſua. Hoc enim poſtremum motiuum acceptandi martyrij, non videtur potuiſſe à Menſurio reprobari cum ſit apertè honeſtum, niſi quia videbatur illi honeſtas prædicta minor eſſe quàm vt ad formandam martyrij acceptationem ſatis eſſet. Ac proinde videri poteſt minutam quampiam honeſtatem, tametſi ſupernaturalem, non cenſuiſſe idoneam vt in motiuum acceptandi martyrij aſſumeretur.

12. Verùm Menſurius non eſt illis aliis Doctoribus adiungendus, nec eſt vnde affirmemus, viſum illi eſſe, honeſtatem aliquam ſupernaturalem eo quod tenuior vel minutior ſit, non ſufficere ad terminandam & formandam martyrij acceptationem. Agebat enim Menſurius, contra eos qui temerè ingerebant ſe ad martyrium: quod ne pro honeſtiſſimo quidem motiuo faciendum eſt, vt infra dicam. Eos autem qui prudenter ac vt par eſt, martyrium acceptarent, vt culpas anteriores eo veluti lixiuio abluerent, non improbaſſet Menſurius. Quare ſiſtendum eſt in aliorum illorum Doctorum opinatione, quæ certè lubrica eſt, nec niſi adhibito conuenienti temperamento admittenda. Nempe ſubſcribendum erit, ſi tantùm affirment, ſtultum fore vitam abiicere pro minuto virtutis opere cuius exercitatio nulla tunc lege præſcribatur, & abſque diſpendio omitti poſſit, ac denique ſit tale vt prudentia dictet conſultius eſſe in eo rerum ſtatu tale opus prætermittere. Qui enim imprudenter ac temerè

mere diſcrimen mortis vltro adiret, vt tali operi intempeſtiuè daret operam, improbandus eſſet, nec eſſet martyr, ſi ex ea inconſulta atque adeò iam vitioſa exilis honeſtatis captatione moreretur. Si autem affirment, nefas eſſe pro exili honeſtate non violanda, aut honeſtè captanda, mortem oppetere, & mortem pro ea honeſtatis indemnitate, vel honeſti ſtudio oppetitam, martyrij decore vacare, non ſunt audiendi. Sanctum enim & laudabile eſt, imo perfectæ charitatis cumulus, malle vita excedere, quàm Deum quoquomodo violare. Et iuxta S. Anſelmi doctrinam l. 1. cur Deus homo c. 21. præſtaret non noſtri duntaxat corporei exitij neglectu, ſed permiſſa quoque orbis vniuerſi euerſione, & mortalium omnium clade, vnius venialis labeculæ amolitionem emercari. Quo autem quis tenacior eſt honeſtatis minutioris, ita vt vel mortem oppetere malit quàm tenuem licet honeſtatem violare, perſpicuè demonſtrat quo animo ferretur ad retinendam honeſtatem pretioſiorem, ſi eam quoque periclitari contingeret. Quæ eſt egregia eiuſdem S. Anſelmi doctrina, relata ab Edinero ſub finem libri primi de eius vita. Cum enim S. Elphegus Archiepiſcopus Cantuarienſis eo nomine ab Anglis martyr audiret, quod elegiſſet vitam perdere, quàm cuſtodire perſoluto immenſo litro, quod non niſi exſugendis ac deglubendis ſuis poſſet perſoluere; dubitauit Lantfrancus, an hoc acceptandæ mortis motiuum, eſſet ad formandam martyrij voluntatem idoneum: cui ea de re ſententiam ſuam exquirenti, ſic reſpondiſſe S. Anſelmum refert Edinerus. [Palam eſt quod is qui ne leue "
quidem contra Deum peccatum admittat, mori "

« non dubitaret, multo maximè mori non dubi-
« taret, priuſquàm aliquo graui peccato Deum exa-
« cerbaret. Et reuera grauius peccatum videtur eſſe
« Chriſtum negare, quàm quemlibet terrenum Do-
« minum pro redemptione vitæ ſuæ homines ſuos
« per ablationem pecuniæ illorum ad modicum gra-
« uare. Sed hoc quod minus eſt, Elfegus noluit fa-
« cere. Multo igitur minus Chriſtum negaret, ſi ve-
« ſana manus eum ad hoc mortem intendendo con-
« ſtringeret. Vnde datur intelligi, miram pectus eius
« iuſtitiam poſſediſſe, quando vitam ſuam maluit
« dare, quàm ſpreta charitate proximos ſuos ſcan-
« dalizare. Quamobrem longè fuit ab eo illud væ,
« quod Dominus minatur ei per quem ſcandalum
« venit. Nec immeritò vt reor, inter martyres com-
« putatur, qui pro tanta iuſtitia mortem ſponte ſu-
« ſtinuiſſe veraciter prædicatur.]

Debet tamen eſſe motiuum inferendi mortem æquè ac excipiendi.

13. Omnis itaque ſupernaturalis honeſtas, quantumuis minuta, imo quæuis honeſtas moralis prout ſupernaturali honeſtate conueſtita, & per fidem propoſita, ſi vel mors obeunda, vel honeſtatis illius diſpendium incurrendum cum vitio ſit, poteſt idoneum motiuum ad veri martyrij acceptationem ſubminiſtrare; & qui eam ob cauſam mortem excipiet, cenſebitur verus martyr, quantum eſt ex hoc capite. Quod addo, quia mors accepta ex idoneo martyrij motiuo, quale propoſuimus, poſſet aliunde non ſpectare ad martyrium. Quantumcúnque enim latro in patibulo ſuffigendus, velit

lit mortem acceptare propter Chriſtum, non erit martyr: quia quamuis adſint quæ ex parte patientis interuenire debent, vt verum martyrium perficiatur, tamen ad completum martyrium interuenire præterea debet aliquid ex parte perſecutoris mortem inferentis, quem neceſſe eſt Chriſti aut fidei odio duci in irroganda morte, quod in eo euentu non cernitur. Imo ob eandem cauſam, non eſſet verus martyr is qui damnatus ad mortem ob admiſſa crimina, cum poſſet mentiendo declinare corporis exitium, mallet tamen iuſtis ſupplicijs mulctari & vita excedere, quam ea ratione Chriſtianis legibus interdicta euadere. Quamuis enim Tabienna *v. Martyres n. 3.* hominem ſic morientem, martyrem eſſe contendat, tamen contrarium eſt omnino verum. Non enim ob euitatum mendacium morte afficitur qui eiuſmodi eſt, ſed ob perpetratum crimen: V. G. ob cædem innoxij, vel ob damnum rebus alienis illatum. Euitatio autem mendacij, eſt extra cauſam ob quam mors infertur: tantúmque eſt remotio obicis, quo iuſta mors declinari potuiſſet. Quem obicem (quippe vitioſum,) apponere noluiſſe, laudabile eſt: mors tamen quæ infertur eo non appoſito, non eſt vexatio repenſa propter hunc laudabilem actum, ſed propter ſcelus antecedens cui obex ille malè & cum nouo peccato obtendi potuiſſet: ac proinde talis mors, ad martyrium non ſufficit.

Quid de motiuo, exiſtimato tantùm aut dubio.

14. Duo hoc loco ſuperſunt dubia. Alterum an

honeſtas ſupernaturalis falsò exiſtimata, poſſit eſſe idoneum motiuum acceptationis martyrij: alterum an idem poſſit honeſtas dubia. Poteſt enim contingere, vt propoſitio aliqua falsò exiſtimetur Catholica, ac pertinens ad fidem, quamuis eiuſmodi non ſit: & tamen mors intentetur per tyrannum fidei hoſtem, niſi eius profeſſio abiiciatur. Si ergo aliquis rerum Chriſtianarum non admodùm peritus, ſed ſpiritu feruens, mori mallet quàm damnare propoſitionem, quam per errorem inuincibilem exiſtimaret ad fidei ſcita pertinere, eſſétne numero martyrum eximendus, ſubſecuta idcirco mortis irrogatione? Item poſſet contingere vt propoſitio aliqua non eſſet apertè de fide: dubium tamen eſſet alicui, an reipſa talis propoſitio definita ſit, quamuis definitio non ſit explorata. Vel certè dubium eſſet, an propoſitio nondum definita per Eccleſiam, contineatur inter reuelata à Chriſto, tantúmque non numeretur inter fidei dogmata, quia defuit propoſitio Eccleſiæ, ſine qua nihil apud Catholicos cenſetur vniuerſaliter credendum. Qui ergo ſic affectus eſſet circa alicuius propoſitionis veritatem, ſi ſubueritus in reuelationem quamuis authenticè non propoſitam impingere, mallet mortem idcirco intentatam excipere, quàm damnare propoſitionem de qua anceps eſt an ad fidem pertineat, eſſétne martyribus annumerandus? In vtroque enim euentu deeſſe videtur idoneum motiuum acceptationis martyrij. Nam in priore mors reipſa non excipitur propter fidem, quamuis falsò ita exiſtimetur, ob falſam & tyranni perſequentis & hominis fidelis patientis, perſuaſionem. At monſtrauimus, acceptationem ve-

ri martyrij, terminandam eſſe ad fidem diuinam, quæ ſanè non cadit in aliquod obiectum propter exiſtimationem noſtram falsò ſic perſuaſam, ſed quia reipſa obiectum illud diuinæ reuelationi ſubſternitur, éſtque ea quaſi perfuſum. In poſteriore autem euentu, non eſt exploratum quid fides ferat. Improuidè igitur certa mors pro incerta fidei veritate, videtur oppetenda, eſſéque proinde ad martyrij decora inſufficiens.

Cur motiuo exiſtimato nixus, non ſit martyr, cauſæ illegitimæ ab aliis prolatæ.

15. Priori dubio ſatisfaciendum eſt, admittendo, poſſe aliquem inuincibiliter labi exiſtimando propoſitionem aliquam ſpectare ad fidẽ, ad quam reuera non ſpectat: Quod negat Altiſſiodorenſis, meritò improbatus à Maiore in 3.d. 23. q.10. Improbandus etiam ipſe, quatenus exiſtimat, hominem poſſe diuina fide ferri in propoſitionem falſam, quæ prudenter cenſeatur ſubiacere diuinæ reuelationi: quaſi ſicut in humanis prudens exiſtimatio ſuſtollit opus ad honeſtatem in eo per errorem apprehenſam, vt conſtat ex eleemoſyna collata pauperi exiſtimato, reipſa diuiti; ita ad fidem cenſenda ſit ſufficere prudens exiſtimatio quod aliquid ad fidem ſpectet, qualis eſſet quam ruſticus formaret, ſi à Prælato vel à cœtu Epiſcoporum totius regni, aliqua propoſitio venditaretur tanquam articulus fidei, quæ tamen à perito Theologo reuinci poſſet erroris. Hoc improbandum dico. Falſum enim eſt, eſſe paritatem inter fidem, & prudentiam, vel virtutes morales prudentiæ ſubordi-

 natas,

natas, & per eam dirigendas. Aliæ quippe virtutes cum ſint in voluntate, non debent excludere falſum, quod eſt malum intellectus. Item prudentia eis prælucens debet tantùm excludere errorem practicum: id eſt debet ita iudicare de agendis, vt ſpectatis adiunctis operanti notis, verum ſit iudicium quod ab eo fertur: quamuis falſa inuincibiliter ſit minor quæ in ſyllogiſmo prudentiali ſubſumitur, nec eſt proxima vel remota regula operandi, ſed tantùm eſt notitiá ſpeculatiua, quæ per modum conditionis admiſcetur ad applicationem materiæ, de qua vniuerſale dictamen ſyntereſeos remoté, proximè autem & immediatè prudentia in ſyllogiſmi propoſiti concluſione pronunciat. Vt proinde ea falſitas inuincibiliter irrepens in minorem ſyllogiſmi prudentialis, nihil incommodet veritati practicæ quam prudentia conſectâtur, & quam virtutes purè morales ex prudentiæ ductu ſequuntur. Id quod etiam proportione ſeruata locum habet in arte, quoad errorem ſpeculatiuum de conditionibus materiæ, quas ars aliunde veſtigatas & rectè conſtitutas ſupponit. At fidei longè alia eſt ratio. Prout enim ad aſſentiendum alicui vero diuinitus reuelato fertur, eſt in intellectu ſpeculatiuo qui debet prorſus falſum excludere: quia ſpectat verum ſimpliciter dictum, id eſt verum ſpeculatiuum; nec pronunciat de eo quod verè faciendum eſt poſita hac aut illa cognitione adiunctorum, ſed abſolutè attingit quod reipſa eſt in obiecto: atque ita niſi actus obiecto conformetur, elicietur aſſenſus falſus, qui non poterit eſſe virtutis intellectum ſpeculatiuum perficientis, cuiuſmodi eſt ſcientia & fides diuina. Sicut ergo qui ex præmiſſis falſis

quas

quas veras inuincibiliter exiſtimaret, eliceret concluſionem, non excuderet verum ſcientiæ aſſenſum, vt rectè notauit Caietanus 2. 2. q. 1. art. 5. *in fine*; ita neque qui aſſenſum falſum ex inuincibiliter falſa perſuaſione conciperet, circa rem quam ille ſpectare ad fidem cenſeret, liber quidem eſſet à culpa propter erroris inuincibilitatem; non tamen eliceret actum fidei.

16. Ac proinde aliter ſatisfaciendum eſt dubio propoſito, quàm ſupponendo fidem poſſe eſſe de re falſa, quæ vera exiſtimetur per errorem inuincibilem, qui erat modus quo Maior dubio prædicto reſpondebat & præiuerat Holkot in 1. q. 1. *littera R.* ad 5. principale, vbi diſertè admittit, hominem pro eo falſo articulo cæſum, verè fore martyrem. Id quod etiam ex notabili quodam Doctore refert Nider 3.p.conſolatorij c.30. *ad 2.dubium*, qui tamen ſentit contrarium, nec ſatis enodat difficultatem cum ait, idcirco mortem pro falſo articulo oppetitam non fore martyrium, quia ignorantia circa illum articulum non erit inuincibilis. Fore autem vincibilem, quia habitus fidei inclinat hominem ad aſſenſum falſo illi contrarium, eúmque vnctio docet de omnibus. Hoc nego ſatisfacere; quia inclinatio facta per habitum, non eſt aliquid ſenſibile, aut quaſi depreſſio vel degrauatio potentiæ ad actum ſuum, cum auerſione à contrario, vt Nider videtur imaginari; ſed tantùm eſt poteſtas connaturalis efficiendi verum fidei actum: vnde nihil habetur ad aſtruendam vincibilitatem erroris in aſſenſu falſo intercedentis, de cuius falſitate intellectus, nulla aliunde cogitatione pulſetur.

Non item ſatisfaciunt quæ alij ad eandem vincibilita

cibilitatem in euentu propoſito ſtabiliendam adducunt;dicentes, deeſſe ibi ſufficientem & legitimam propoſitionem, eo quod priuata propoſitio, cuiuſmodi eſſet qua Epiſcopus ruſtico imponeret, obtrudens illi falſum articulum, non ſit cenſenda ſufficiens, niſi certò & indubiè conſtare queat, eam eſſe conformem doctrinæ Eccleſiæ vniuerſalis: itaque ruſticus pro falſitate illa cadens, martyr non foret, quia culpabiliter exiſtimaret propoſitionem pro qua moritur ad fidem pertinere, cum deberet aſſenſum circa eam ſuſpendere, quoúſque illi conſtaret, eum eſſe ſenſum vniuerſalis Eccleſiæ. Ita Scotus in 3.d.25.q.1. *litera E.* Eóque planè recidunt recentiores, qui defectum legitimæ propoſitionis cauſantur, quod facit Suares diſp. 3. de fide ſ. 13. n.9. & Lorca ibid diſp.10. à num.10. Hæc inquam non ſatisfaciunt. Nec enim aliter conſtat ruſtico de ſenſu totius Eccleſiæ quoad articulos veros, quàm quoad falſum illum qui obtruditur: quod euidentius erit, ſi ſupponamus, Epiſcopum illum qui ruſtico imponit, falſum aliquem articulum proponendo, ſimul proponere aliquem articulum verum, pro quo illamet propoſitio ſufficiat. Ruſtico enim, ſufficientiſſima eſſe videtur propoſitio facta per Epiſcopum cui ſubeſt: non enim aliter nouit quæ ſit vniuerſalis Eccleſiæ doctrina, debétque vt certum habere, quod ab Epiſcopo ſuo, vt certum, & ad fidem pertinens accipit. Quod ſi vnus Epiſcopus non ſufficit ad legitimè proponendum ruſtico res fidei, & iniiciendam ei obligationem credendi, ponamus omnes totius regni Epiſcopos falſum illum articulum exhibere ruſtico, inuincibiliter ignoranti eſſe alios præterea Epiſcopos qui refragen

refragentur. An etiam tunc, ruſticus cui ne tenuiſſima quidem in contrarium afflatur cogitatio, dicendus erit vincibiliter aſſenſum præſtitiſſe, ideóque martyr non eſſe, ſi moriatur pro eiuſmodi articulo, quem ſic propoſitum exiſtimat ad fidem pertinere?

Poteſt eſſe martyr, & quare.

17. Itaque ego quidem facilè admitto, in prædicto euentu, hominem quamuis non poſſit fide Diuina ferri in obiectum falſum, ſiue in articulum qui perperam exiſtimatur verus, eo quod deſit ratio fidei motiua; tamen quamdiu diuinum lumen liquidius & vberius non affulget, teneri eodem prorſus modo ſe gerere circa falſum illum articulum tam authenticè exhibitum, ac ſi reipſa verus eſſet. Proindéque prudenter iudicaturum, bonum eſſe credere fide diuina articulum ſic propoſitum, & ex eiuſdem iudicij ductu, voliturum credere. Tale námque iudicium, quamuis eſſet ſpeculatiuè falſum, practicè tamen eſſet veriſſimum: vnde non repugnaret Deum ſpecialiter mouere ad illud ſicut mouet ſpecialiter ad ſimile iudicium prudentiæ infuſæ, de danda propter Chriſtum eleemoſina pauperi ficto, quem homo falsò egentem exiſtimet. Conſequenter verò præterea admitto, poſſe hominem pro articulo falſo, de quo inuincibiliter prædictum iudicium tulerit, velle mortem oppetere; eámque ſi oppetat, fore verum martyrem, quia morietur ne mutet affectum reſpectu articuli quem prudenter exiſtimat reuelatum; atque adeò ne contra diuinum mandatum, aliquid aduerſus conſcientiam

tiam admittat: quod liquet eſſe honeſtiſſimum, ac prælucente fide ſuſcipi, & ſufficere ad martyrium. Nec difficile etiam eſt demonſtrare, hominem ſic morientem vero martyrio defungi, non tantùm ratione virtutis in tuendo falſo articulo proditæ, ſed etiam ratione veræ fidei: quia regulariter qui mortem pro Chriſto oppetit, idcirco mortem deligit, quia fixum habet, fidem ſuam retinere illibatam, nec arctat ſe ad vnum peculiare obiectum materiale, cuiuſmodi eſſet falſus articulus in euentu propoſito, ſed vno veluti impetu fertur in omnia, quia apprehendit omnia tanquam connexa & æquè à Deo dicta; ita vt indubiè ſentiat, ſi eum articulum expungat, aſſenſum quem reliquis præſtabit, non fore vlteriùs veram fidem. Itaque quantum eſt ex parte ſua, non pro ſolo falſo articulo moritur, ſed etiam pro fide vera, quæ vno ſecundùm prudentem exiſtimationem conuulſo, circa nullum ex aliis firma perſtat. Propterea enim, qui in euentu propoſito, refugeret ſe habere eodem planè modo quo ſi crederet, fieret hæreticus, vt Valentia rectè vidit 2.2. diſp. 1. q. 2. p. 5. *in fine*. Cæterùm quamuis Catholicus, pro veritate fidei tantùm exiſtimata cæſus, poſſet ad modum prædictum eſſe verus martyr, tamen hæreticus aliúſve infidelis, qui per errorem inuincibilem putaret ſe veram religionem tueri, & ea ex cauſa mortem acceptaret, & oppeteret, non eſſet habendus verus martyr ob defectum omnimodum fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Et ita luculenter S. Auguſtinus lib. 1. contra Parmen. c.7.

Quid

Quid de motiuo non apertè idoneo, aut dubio.

18. In poſteriore dubio ſtatuendum eſt, vitam temerè nec abſque ſcelere, atque adeò ſine martyrij fructibus abiiciendam pro aſſertione alicuius propoſitionis, cuius veritas non ſit in Eccleſia prorſus rata, ita vt non ſit exploratum quod eius aſſenſus à fide edicatur. Optimè tamen faceret, qui ſanguinem profundere decerneret potiùs, quàm in animum induceret, damnare propoſitionem de qua ambigeret ſítne ex fide tenenda: Et mors eam ob cauſam acceptata, verum ac proprium martyrium cenſenda eſſet. Imo quamuis certum eſſet, propoſitionem aliquam non eſſe Eccleſiæ ſuffragio firmatam, eum tamen ego pro martyre haberem, qui renueret talem propoſitionem ſuffigere: ne vel contra conſcientiam ageret, qua cenſeret propoſitionem illam veritate ſubniti; vel pietati quam aſſertione illius propoſitionis promouendam arbitraretur, quoquo modo incommodaret; & ſic renuens, mortem ea ex cauſa exciperet, malens de vita quàm de ea pietate periclitari. V.G. Eccleſia nihil liquidò edixit circa nitelam conceptionis Deiparæ; imo ſæpè conteſtata eſt, nihil in eo negotio fide ſanctum eſſe, quamuis in confeſſo ſit, admodum piam eſſe ſententiam, quæ nitelæ illi aſtipulatur: nec dubitare liceat quin ſit pietati Catholicæ multò congruentior, quàm ſententia oppoſita, quæ parentalem illuuiem Virgini affricat. Si igitur alicui mors intentaretur ni piam illam ſententiam improbaret, iſque mallet mortem potiùs acceptare eam ob cauſam, & reipſa eam exciperet, martyr eſſet

eſſet verè ac propriè:etiamſi tantum ſpectaret quod auctior pietas fert, & lex priuata conſcientiæ, Chriſto quoque probata, mandat. Nam ſi ſpectaret legem Eccleſiaſticam qua ſententiæ illius ſuffixione interdicitur, mallétque mori quàm in legem illam delinquere, multo apertior eſſet martyrij veritas, morte irrogata eam ob cauſam.

Perſpicuè igitur monſtratum manet, in omni idonea cauſa acceptationis martyrij inuolui ordinem ad fidem; & omnem honeſtatem pro cuius aſſertione vel indemnitate mors ſubeatur quæ ad martyrium ſufficiat, debere per fidem proponi. Nam id in his quoque obiectis quæ proximè diſcuſſimus, eatenus cernitur, quatenus fides præſcribit honeſtum eſſe occumbere, ne impetas veritatem illam quam exiſtimes fide certam:& honeſtum eſſe malle mortem oppetere, quàm aduerſari veritati quæ fortaſſis fide ſanciatur; aut quàm incommodare pietati auctiori. Cum ergo in his obiectis de quibus res videri poterat minùs explorata, cernatur nihilominus ea quam dixi ſubordinatio ad fidem, perſpicuum eſt idem multo magis de quibuſuis aliis obiectis eſſe affirmandum, ob quæ poſſit homo mortem irrogatam acceptare cum fructu & decoribus martyrij.

Martyrij acceptatio, debet ſupernaturalis eſſe.

19. Inſuper verò ex dictis perſpicitur, martyrij acceptationem in qua formanda verſamur, ſupernaturalem eſſe oportere, & virtutis alicuius infuſæ partum. De ſupernaturalitate res eſt explorata, ex eo quod acceptatio de qua agimus, ſubiungitur noti-

titiæ

titiæ fidei. Volitio enim proportionem ſeruat cum notitia per quam dirigitur, ac cum motiuo quod per notitiam illam obiicitur. Quia ergo in re præſenti, notitia fidei prælucens, & motiuum quo fidei acceptatio nititur, naturæ fines tranſcendunt, neceſſarium eſt vt acceptatio quoque ſupra naturam attollatur. Et verò tanta eſt martyrij arduitas, tantáque vitæ per martyrium profligatæ cupiditas in omnibus mortalibus, vt cæcus videri poſſit qui non agnoſcat, hominem naturæ viribus relictum, in bona quæ oculis non ſunt conſpicua, animo intentum, nequaquam delecturum è vita excedere per immanes cruciatus;ac proinde qui non perſpiciat neceſſariam eſſe gratiam ad rectè & ſicut oportet,expetendã,pulchram per vulnera mortem; quod eſt aſſerere ſupernaturalitatem acceptationis de qua agimus. Agnouit eam gratię neceſſitatem ad martyrij acceptationẽ, S. Auguſtinus hom. 14. ex 50. obſeruans, eſſe quidem illam in pſalmo martyris vocem, *paratum cor meum*, id eſt, *parata voluntas mea*, ſed eam voluntatem martyrij acceptandi, præparari à Domino, de quo alibi in perſona martyris conteſtatur David, *quoniam ab ipſo patientia mea.* Pſal. 61. Subditque fortes quidem eſſe martyres ac firmos, tamen panem qui Chriſtus eſt, & gratiam Chriſti quam in dies tanquam panem quotidianum mendicare cogimur, confirmare cor hominis. Pereleganter quoque in pſal. 118. conc. 23. ait, teſtimonia Dei acquiri hæreditate;non enim parari à quoquam, & à multis quærentibus non obtineri; ſed obtingere à Patre, voluptatem præparante & ad id roborante per gratiam. S. Proſper 2. p. de promiſſ. c. 18. huc aptat illud Apoſtoli de the-

Q ſauro

ſauro in vaſis fictilibus vt ſublimitas ſit virtutis Dei & non ex nobis:confértque SS. martyres cum militibus Gedeonis, quorum virtus ex Deo & gratia fuit. Affine eſt,quod S.Auguſtinus in c. 39. Iob, martyres expreſſos cenſet equo illo apud Iobum, qui prodit in prælium,& exultat ad pugnam,ſed munitus virtute ex alto.Egregia eſt eius ecphraſis verborum Iobi. *An tu circundediſti equo &c.*

20. Idipſum ferunt illa Luciferi Calaritani lib. quod moriendum ſit pro Dei filio,conteſtantis Ariano Imperatori,inde maximè animatos Catholicos quum ad ſupplicium orthodoxæ fidei cauſa rapetentur, quod Deum haberent per ſpiritum gratiæ ſuæ, coadiutorem in acceptanda,& cooperarium in generoſè excipienda propter Chriſtum morte irrogata. [Id nobis qui eum propter quem patimur, eſſe nobiſcum credimus,in augmentum virtutis adſumimus, quod tu cruciatui ſperaſti prodeſſe punitor. Hinc eſt quod malis tuis quatientibus non frangamur, quantóque variè continua crudelitate vexamur, tantò firmiter roboremur. Eſt enim nobiſcum ille qui adoleſcentes Hæbræos credentes in ſe,in camino ignis tutatus eſt, ipſe firmat noſtras mentes, ipſe ſenſum regit noſtrum, ipſe diuino incendit amore ſuo noſtra corda, & ad tolerantiam ſanctæ paſſionis animat.]

Et inferiùs. [Sentire pœnarum cruciatus non poſſumus, in quibus Chriſtus patitur, in quibus Chriſtus æternam ſalutem operatur.] Rurſus infra. [Poſſint vel gladio inuadere, vel crucifigere, vel igni torrere, vel quolibet inaudito genere pœnarum viſcera noſtra ac membra laniare, at ſtamus nunc vſque per Dominum immobiles, ſtaturi ſemper.

ſemper. Si quidem non nos ſimus, qui tuos frendo- "
res vincamus, ſed ipſe in nobis, cuius auxilio regi- "
mur, cuius virtute ſeruamur. Quantus enim tu es, "
aut qualis, qui poſſis ſpoliare nos his bonis quæ "
ſunt in nos collata diuinitùs.] Et infra paucas lineas. "
[Nouimus quod ſit martyrium dominicæ fortitu- "
dinis ſingularis imitatio: laboris quidem & difficul- "
tatis plena ſatis, & ardua martyrium adeò via eſt, "
vt non quis humanis implere valeat viribus; ſed "
nos qui auxilio diuinæ ſuffragationis iuuamur, "
calcemus te ſemper, vt nunc calcamus neceſſe "
eſt.] "

Deus in martyribus pugnans, & patiens.

21. Quod aliquoties Lucifer cum locis allegatis, cum alibi, Christum in martyribus pugnare aſſerit, expreſſit ex Tertulliano l. ad marty. c. 1. vbi martyres hortatur, caueant ne contriſtent Spiritum ſanctum qui cum eis in carcerem introierat. [Si enim "
(inquit) non vobiſcum nunc introiſſet, nec vos "
illhic hodie fuiſſetis.] Ex neceſſaria autem Spiritus "
ſancti præſentia, apertè liquet de neceſſitate gratiæ, ad perpeſſionem, atque adeò etiam ad acceptationem martyrij. Eandem Dei intra martyres præſentiam, pulchrè ſignificauit Nyſſenus orat. de S. Stephano, quærens cur in eo certamine protomartyris, Patris ac Filij in cœlo ſpecies, non item Spiritus ſancti ſit obiecta; reſpondétque, rationem fuiſſe quod ſpiritus ſanctus Stephani pectus inhabitaret, & ad agonis conſummationem roboraret, ideóque in cœlo viſum non fuiſſe. Pati item ac pugnare in martyribus Chriſtum, iuuando ſcilicet & roboran-

do athletas ſuos per ſupernaturalia ſubſidia & cœleſtes ſuppetias, tradit S. Auguſtinus ſerm. 49. de ſanctis. Imo Hilarius Diaconus apud Ambroſium in illud 2.Cor.4. *ſemper mortificationem IESV*, ait, Chriſtum occidi in martyribus. Et Origenes hom. 11.in Ieremiam, ait Chriſtum in ſingulis martyribus condemnari. Quod ſi Deus cum omnibus iuſtis eſt in tribulatione, vt Pſaltes ait, & pulchrè expendit S. Bernardus ſerm. 16. in pſalm. *qui habitat*, & Ambr.l de Ioſeph.c.5.alludens ad illud de Ioſepho, *deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum*: vt etiam eam ob cauſam dixerit Dauid 2.Reg.7. *redemiſti tibi ex Ægypto gentem & Deum eius*, quippe cum gente quodammodo captiuum: & ſpecies quarti cum pueris intra fornacem conſtituta, viſa ſit ſimilis filio Dei: Quanto magis de SS. Martyribus, qui prælia Domini præliantur, & quibus recte dicatur, *non eſt pugna veſtra ſed Domini*, exiſtimandum eſt valere, quod Dominus cum illis in foueam deſcendat, cum illis certet per gratiam, & de ſatana triumphet? Fuit hic ſenſus Sanctæ martyris Felicitatis, cum S. Perpetua paſſæ in Africa, de qua lectionarium antiquum exſcriptum à Baronio anno 205 num. 26. prodit, cum parturiens doleret & vociferaretur, eique inſultaret commentarienſis, verbis illis; [quomodò cras libens mortem ſuſcipies, quæ pariens adeò perturbaris reſpondiſſe ſapientiſſimè Naturæ debitas pœnas, naturali tantùm virtute perſoluto, ſupplicia autem quæ ſubminiſtrat impietas, diuina gratia ſuperabit.] S. quoque Cyprianus initio libri de laude martyrij deſcribens martyrem pœnis ſuis fortiorem, hoc ſolùm ab eo conuolui ait, quod in eo plus pro quo patitur Chriſtus,

ſtus,quàm ipſe,patiatur, Idque ex eo probat, quod Chriſto laus victoriæ & conſtantis perpeſſionis debeatur. Eius ergo fuit perpeſſio. Idem breuiter attigit commentarius Hyeronimo tributus in Pſal. 115 ad illud, *& nomẽ domini inuocabo.* Ex neceſſitate enim inuocationis diuini nominis præmiſſa acceptioni calicis ſiue martyrio, colligit acceptationem martyrij eſſe opus gratiæ, & IESVM eſſe qui vincit in ſuo martyre, & in eodem coronatur. S. Chryſoſtomus optimè homil. de Machab. *initio*, martyres vocat arma Chriſti quibus induitur & pugnat, probátque ex Paulo quem ita allegat. Si experimentum quæritis, præliantis, in me Chriſti.

22. Iuuat illuſtriſſimum Sancti Irenæi locum, de ſpiritus ſancti cum martyribus conſertione ad pugnandum, non præterire, eoque lubentiùs illum adſcribo, quod tanti Patris mentem, minùs introſpexiſſe, qui eum exponendum ſuſceperant, deprehendo. Sic igitur de ſpiritu ſancto martyribus ad pugnandum & patiendum cooperario, eiſque quadantenus conſerto, philoſophatur S. Irenæus lib. 5. c. 9. [Tria ſunt ex quibus (quemadmodum oſtendimus) " perfectus homo conſtat carne, anima, & ſpiri- " tu. Et altero quidem ſaluante & figurante, qui " eſt ſpiritus; altero quod vnitur, & formatur, quod " eſt caro Id verò quod inter hæc eſt duo, eſt anima, " quæ aliquando quidem ſubſequens ſpiritum eleua- " tur ab eo, aliquando autem conſentiens carni, deci- " dit in terreas concupiſcentias. Quotquot ergo id " quod ſaluat, & format in vitam non habent, hi con- " ſequenter erunt & vocabuntur caro & ſanguis; " quippe qui non habent ſpiritum Dei in ſe. Propter- " hoc autem & mortui tales dicti ſunt à Domino; "

« ſinite enim)inquit) mortuos ſepelire mortuos ſuos:
« quoniam non habent ſpiritum viuificantem homi-
« nem. Quotquot autem timent Deum, & credunt
« in aduentum filij eius, & per fidem conſtituunt in
« cordibus ſuis ſpiritum Dei, hi tales iuſtè homines
« dicentur,& mundi,& ſpirituales, & viuentes Deo,
« quia habent ſpiritum patris, qui emundat homi-
« nem,& ſubleuat in vitam Dei. Scut enim caro in-
« firma,ſic & ſpiritus promptus à Domino teſtimo-
« nium accepit.Hic eſt potens perficere, quæcunque
« in promptu habet. Si igitur hoc quod eſt promptũ
« ſpiritus, admiſceat aliquis velut ſtimulum infirmi-
« tati carnis, neceſſe eſt omnimodo, vt id quod eſt
« forte, ſuperet infirmum, ita vt abſorbeatur, infir-
« mitas carnis à fortitudine ſpiritus: & eſſe eum qui
« ſit talis,non iam carnalem,ſed ſpiritualem, propter
« ſpiritus communionem. Sic igitut martyres teſtan-
« tur,& contemnunt mortem,non ſecundùm infirmi-
« tatem carnis, ſed ſecundùm quod promptus eſt
« ſpiritus.Infirmitas enim carnis abſorpta, potentem
« oſtendit ſpiritum. Spiritus autem rurſus abſorbens
« infirmitatem, hæreditate poſſidet carnem in ſe, &
« ex vtriſque factus eſt viuens homo. Viuens quidem
« propter participationem ſpiritus, homo autem
« propter ſubſtantiam carnis. Igitur caro ſine ſpiritu
« Dei mortua eſt, non habens vitam: regnum Dei
« poſſidere non poteſt, ſanguis irrationalis, velut
« aqua effuſa in terram.Et propter hoc ait, qualis ter-
« renus,tales & terreni.Vbi autem ſpiritus patris, ibi
« homo viuens,ſanguis rationalis ad vltionem à Deo
« cuſtoditus,caro à ſpiritu poſſeſſa;oblita quidem ſui,
« qualitatem autem ſpiritus aſſumens, conformis
« facta eſt verbo Dei.]

Hæc

Hæc eo loco Irenæus, qui acceptus de Spiritu S. hominem perfectum, ideſt ſpiritualem, ſed maximè martyrem quaſi compingente, eo quod ſit ei principium ſupernaturalium operum, difficultatibus illis & implexitatibus vacat, quibus implicentur neceſſe eſt, qui tria illa ab Apoſtolo item diſtincta 1. Theſſalo. 5. Spiritum, animam, & corpus, de triplici phyſico hominis conſtitutiuo, accipienda cenſuerunt: Quam expoſitionem non approbo, cum expeditiſſima & planiſſima ſit, quæ tradita hìc eſt ab Irenæo, & ſuperius c. 6. quo ſe ipſe refert; & probata item eſt Chryſoſtomo, ac ferè Græcis, & Hyeronimo q. vltima ad Hedibiam; nempe de ſpiritu ſancto, animæ corpus viuificante & hominem conſtituente, ad modum animæ ſupernaturalis, & principalis ſpiritus facto: qui ſuas ſupernaturalis vitæ operationes, cum in aliis iuſtis quos ad prædictum modum omnes inhabitat, tum maximè in martyribus prodat, roborans & animans eos in pugna, & ad acceptandam excipiendámque intrepidè mortem per quoſuis cruciatuum horrores irrogatam, indebita naturæ virtute communiat, gratiæ plurimæ & lectiſſimæ, cum ad acceptandam, tum ad ſubeundam mortem neceſſariæ, affuſione. Hoc S. Hilarius non negauit l. 10. de Trinit. cum dixit, naturale eſſe in martyribus, vt per fidei calorem, calcent tormenta. Ibi enim naturale accipit pro creato. Agit enim contra Arianos, verbo Dei ignauum timorem & dolorem ex impendente morte tribuentes. Hoc inde refellit S. Hilarius, quod martyribus, per fidei calorem, (atque adeò non vi naturali de qua hic agimus, hoc eſt virtute naturæ finibus concluſa,) tormenta deſ-

puere, naturale ſit, hoc eſt vi creata, ſed diuinitùs adiuta, perfectum. Sanè apud Scotum in 4,d.43.q.4 *litera.A.* & Antonium Andream q.4.de Sex principiis, inter alias *naturalis* acceptiones, vna proponitur, quâ naturale dicitur quicquid non eſt violentum, ſed prodit à principio interno, ſaltem adiuto.

An martyrium poßit ſub meritum cadere, pugnantes ſententiæ.

23. Eſſe porrò hanc gratiam purè ac ſimpliciter gratiam, in quibuſuis eam nactis, neque vnquam ſub hominis meritum cadere, docere videtur Petrus Chryſologus ſerm. 152. argumento ex „Innocentibus ducto, hunc in modum. [Attendat „auditor, attendat vt intelligat, martyrium non „conſtare per meritum; ſed venire per gratiam. In „paruulis quæ voluntas, quod arbitrium, vbi ca-„ptiua fuit & ipſa natura? De martyrio ergo debe-„mus totum Deo, nihil nobis. Vincere diabolum, „corpus tradere, contemnere viſcera, tormenta ex-„pendere, laſſare tortorem, capere de iniuriis glo-„riam, de morte vitam, non eſt virtutis humanæ, „muneris eſt diuini. Ad martyrium qui ſua virtute „currit non per Chriſtum, non peruenit ad coro-„nam.] Sic ille, omne vt videtur, martyrij meritum, abrogans, puréque ad gratiam referens quod quis martyrium ſubeat. E contra verò S.Cyprianus l.de laude martyrij *ſub finem*, agnoſcit martyrium & gratiam quæ ei acceptando & excipiendo confertur, quandoque eſſe præmium meriti antecedentis, per auxilia anterius collata comparati. Sic enim ait

ait. [Deus omnium cultor velut quoddam martyrio remedium vitæ dedit, quando aliis illud pro merito eorum tribuit; aliis pro miſericordia ſua tradidit. Vidimus quippe ad hunc nominis titulum, fide nobiles veniſſe pleróſque, vt deuotionis obſequium mors honeſtaret. Sed & alios frequenter aſpeximus, interritos ſtetiſſe; vt admiſſa peccata redimentes, cruore ſuo loti haberentur in ſanguine, & reuiuiſcerent interempti, qui viuentes computabantur occiſi. Mors quippe integriorem facit vitam, mors amiſſam inuenit gloriam. Nam hoc ſpes iam amiſſa percipitur, hoc ſalus cuncta reparatur. Sic cum arentibus campis ſementa defecerunt, & herbis terra morientibus æſtuarit, ſupinis è collibus fluuium iuuit elicere, & ſcaturientibus riuis arua ſitientia temperare: quo ſe in vberes culmos victa agri ieiunitas funderet, & pluuiali imbre mentito, ſeges denſior inhorreret.] Hi itaque quanuis ob antecedentia peccata exſucci, & ad martyrij frugem fundendam inidonei viderentur, tamen accedente labore ac veluti cultura pœnitentiæ, ac rigatione lacrymarum, idonei euaſerunt vt promererentur martyrium. Tandem Martinus de Magiſtris q.6. de fortitudine, ait vtrumque verum eſſe, & nunc martyrium cadere ſub meritum, nunc non cadere.

Reſolutio.

24. Dicendum videtur, Chryſologum excludere duntaxat quodcunque meritum naturale martyrij, itémque meritum ſupernaturale condignum. Nullum quippe eſt pactum ex quo Deus ſe aſtrin-

xerit ad ſic compenſanda alicuius anteriora merita, vt propter ea prouideat illi martyrium. Et plerique viri ſanctiſſimi, martyrij cupiditate flagrantiſſimi, & ad illud ſe iugibus precationibus & vitæ ſanctitate aptantes, nunquam exorarunt vt martyres eſſent. Res eſt vulgatiſſima de SS. Franciſco, Romualdo, Xauerio, aliiſque. S. autem Cyprianus, admittit duntaxat ſupernaturale meritum congruum, quale eſt in pleriſque qui martyrij incruenti longo vſu, proludunt cruento, iuxta illud S. Eucherij ſub initium homiliæ de S. Romano. « [Magnum quidem chariſſimi, atque laudabile eſt, « ſi quando ſæua tempeſtas perſecutionis ingruerit, « ſubitò quemcunque de populo pro Chriſto mori, « & in ſacrificium pietatis aſſumi. Et ideò inſpirata « deuotione, de communis vitæ ſtatu & conuerſa- « tione ſæculi, ad compendioſi martyrij gladio per- « uenire victoriam, ſine bello; conſummatione « iuncta principio, compendioſa beatitudo eſt. At « verò per diutinam ſeruitutem, veterémque mili- « tiam, & emeritam deuotionem, gratiam labori- « bus comitari, & cooperante retributore, munifi- « centiam virtutibus præuenire, ac meritis inuitare, « quàm ardua difficultas, tam glorioſa fœlicitas eſt.] Luculenter item in eam rem S. Auguſtinus ſer. 32. de Sanctis, qui eſt tertius de S. Laurentio, cuius nitentiſſimam ante martyrium vitam deſcribit. « [Sufficere (ait) nobis debent ad profectum ſalutis « noſtræ, martyrum exempla Sanctorum; qui propter « adipiſcendam cœleſtem coronam omnibus ſe man- « datis dominicis ſubdiderunt, & ita cunctis deuin- « xerunt ſe legibus ſaluatoris; vt propter anteactam « vitam mererentur ad hanc martyrij gloriam perue-

nire,

nire. Non enim illo in tempore tantùm, perfecerunt præceptum Domini, quo confeſſionis ſupplicium pertulerunt: ſed neceſſe fuit illis priùs ſecundùm Euangelium vixiſſe, vt Chriſti paſſionibus participarentur. Neceſſe eſt, inquam, vt initia bona fierent, quorum finis eſt optimus ſubſecutus; & martyres eos non ſolùm fuiſſe cùm paſſi ſunt, ſed etiam tunc martyres Chriſti eſſe, cùm viuerent.]

Cuius virtutis infuſæ ſit martyrij acceptatio, variæ ſententiæ.

25. Iam quod cum ſupernaturalitate hactenus tractata, complicatum eſſe dicebam; eſſe ſcilicet veri martyrij acceptationem, virtutis alicuius infuſæ partum, extra controuerſiam eſt, ſuppoſita actus illius ſupernaturalitate. Cuius verò infuſæ virtutis ſit hæc ſupernaturalis acceptatio, non eſt vſquequaque exploratum. Ambiguum enim eſſe poteſt, ſitne actus obedientiæ, quandoquidem poteſt aliquis mortem acceptare præ diuinæ legis tranſgreſſione: an religionis, vt ſi velit mortem ſubire ne gloriam ſuam mutet in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum: an Chriſtianæ fortitudinis, vt ſi velit mortem excipere quia conſentaneum eſt Chriſtiano non frangi difficultatibus, aut malis cedere, ſed contra audentiorem pro Deo ire: an fidei Chriſtianæ, quam teſtatam vel fuſo ſanguine, & morte ſua obſignatam velit: an charitatis in Deum, cui placere vel per extrema quæque, fixum habeat. Poſſunt ſimilia alia motiua, martyrij acceptationi præfigi. Et idcirco Doctores hic in va-

ria abierunt. Martinus de Magiſtris q. 3. de martyr. concluſ. 3. contendit martyrium eſſe actum illius virtutis cui perſecutio infeſta eſt. Quælibet enim virtus, in gradu ſuo idonea eſt, vt voluntas per eam firmata, mortem contemnat præ amore honeſtatis quam ea virtus conſectatur: alioqui non eſſet eiuſdem honeſtatis atque virtutis, ferri in finem ac media ad eius conſecutionem vel conſeruationem neceſſaria: cum tamen perſpicuè cõſtet, omnem honeſtatẽ medij qua medium eſt, ad honeſtatem finis eſſe admetiendam, nec niſi eius bonitate perfundi. Cum Martino confligit latè Caietanus 2.2.q.124. art.2. contendens martyrium eſſe actum elicitum fortitudinis, & imperatum charitatis, eò quod is qui vitam pro Chriſto abiicit, ipſo facto præponat Chriſtum vitæ ſuæ, & multo magis omnibus bonis deſpicatioribus, qui eſt actus charitatis & dilectionis Dei ſuper omnia. Hanc ſententiam, de martyrij acceptatione elicita per fortitudinem, imperata autem per charitatem, tradidit ante Caietanum Turrecrem. in qq. Euang. ad feſtum S. Laurentij q.2. & ante vtrumque D.Thomas 2.2.q.124. art.2. Eandem probat Richardus in 3. d.33. art.4. q.6. quia martyrium eſt perpeſſio mortis ob teſtimonium iuſtitiæ, quæ eſt per fidem: cuius perpeſſionis volitio, à charitate imperatur, elicitur autem à fortitudine, quatenus idcirco ſubitur perpeſſio illa, ne homo eam refugiens recedat à bono fortitudinis, quod eſt ſeruare bonum rationis, reſpectu mali omnium maximè ardui. Addit verò Richardus, interdum quoque eam volitionem mortis, non elici tantùm à fortitudine, ſed etiam à iuſtitia, cum ſcilicet mortis ſubitio ex diuinæ legis.

gis obligatione mandatur, ne veritas iuſtitiæ quæ eſt per fidem, diſpendium ſubeat. Tunc enim volitio illa elicitur quoque à iuſtitia, hoc eſt ab omni vera virtute, cuius exercitatio iuſtum hominem conſtituit prælucente fide. At Vaſquez 1.2.d. 51. n. 14. omnem hunc ordinem acceptationis martyrij ad duas pluréſve virtutes, quarum aliquæ eam eliciant, aliæ imperent, cenſet eſſe commentitium.

Excutiuntur.

26. Verùm vt ab hoc poſtremo ordiar, formatio vnius & eiuſdem actus per duas virtutes, quarum vna eum imperet, alia eliciat & exequatur, alibi latè ſtabilita eſt: vt non ſit neceſſe, de ea re hoc loco extra locum cum Vaſque altercari. Quare de aliis duntaxat ſententiis ferendum eſt iudicium. Et Martinus quidem non rectè martyrij acceptationem adſcribit ei virtuti quæ ob imminẽs ſupplicíũ videtur periclitari, aut cuius odio flagrat Tyrannus qui martyrium infert. Nam virtus quæ periclitatur, aut in quam ferocit Tyrannus, poteſt eſſe caſtitas: Hanc autem martyr poterit velle illibatam & indemnem; ductus amore honeſtatis alicuius ſublimioris. V.G. vt placeat Deo cui nouit gratam accidere caſtitatem: vel certè vt Chriſto virginum principi conformetur: Aut vt præmiis quæ virginibus in æterna vita reponuntur, potiri liceat. Quæ honeſtates, aliarum ſunt virtutum quàm Caſtitatis; & tamen firmare poſſunt martyrem in propoſito retinendæ caſtitatis, quantumlibet intentata ob eam morte. Viceuerſa rationes Martini conficere mihi videntur, martyrium non ſemper elici à for-

titudine:

titudine: cum martyr poſſit vnicam religionis, aut caſtitatis, vel alterius alicuius virtutis honeſtatem habere propoſitam, eíque ita adhæreſcere, vt malit vita excedere, quàm honeſtatem illam abiicere. In quo euentu, acceptatio martyrij, neque eſt actus elicitus fortitudinis, neque iuſtitiæ. Niſi iuſtitiam quis ſumat in ea amplitudine qua omnem planè virtutem deſignat, vt in illis Chriſti verbis. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Quo pacto iuſtitiam videretur accepiſſe Richardus, cuius ſententia ſuperiùs relata eſt, niſi mox in reſponſione ad 4. ſuam illam iuſtitiam fidei, contra poneret fortitudini, atque præponeret. Idem porrò argumentum apertè euincit acceptationem martyrij non ſemper imperari à charitate, cum non ſemper contingat hominem duplici illa honeſtate ſubordinata, moueri ad acceptandam mortem. Quin etiam ſiue ea acceptatio ex charitate, eliciatur, ſiue imperetur, nihil eſt neceſſe acceptationem illam eſſe ſupremum charitatis actum & ſuper omnia, vt Caietanus comminiſcitur, tradítque etiam Maior in 4.d.49. q.26. *ad argumenta contra tertiam*: quandoquidem acceptatio mortis, ne diuellaris ab aliqua honeſtate per Chriſtum approbata, aut ab aliqua per eum tradita veritate, non eſt volitio in cuius homo aſtringat ſeſe ad omnium mandatorum impletionem: quæ tamen eſt notio dilectionis ſuper omnia. Multi certè mallent ſanguinem profundere, quàm Turciſmum profiteri abiecto Chriſto; neque tamen vi illius voluntatis, abſtrahuntur à pleríſque ſceleribus infidelitate minoribus, ſed in illam vnam honeſtatem intenti, ac in ea obſtinati, languent plerúnque vel etiam

etiam peſſimè afficiuntur erga aliarum virtutum honeſtatem: & præponunt quidem Chriſtum negandum, retentioni vitæ cum negatione coniunctæ; malunt ſiquidem è vita excedere quàm Chriſtum eiurare: Tamen non idcirco amori minutiorum bonorum præponunt Chriſtum ſimpliciter ſpectatum vt amandum, & dignum cui in omnibus placeant, quæ eſt plenæ charitatis functio. Poteſt enim exilium illorum bonorum amor, & excluſio motiui prædicti, quo in Chriſtum ex plena & ſyncera beneuolentia tenditur, cum tenaci ad Chriſtum non negandum adhæſione, vitam potiùs abiectura, cohærere.

Noſtra ſententia.

27. Mihi igitur ſtatuendum videtur, motiuum ex quo martyr mortem acceptat, eſſe illi arbitrarium intra genus honeſti ſupernaturalis; Ita vt ex quocunque tandem motiuo voluerit, ſiue charitatis, ſiue religionis, ſiue fortitudinis, alteriúſve cuiuſcunque virtutis, poſſit & elicere, & imperare, vel duntaxat elicere acceptationem martyrij. Quæ videtur ſententia Maioris in 4. d. 49. q. 17. Et ratio ſuffragatur. Quis enim martyrem aſtrinxerit ad certi alicuius motiui honeſti vſurpationem, cum neque eam Chriſtus indixerit, neque ex natura rei, vnum potiùs quàm alterum exigatur? Sufficit ergo motiuum acceptandi martyrij eſſe ſupernaturale, & cum fide vera aliquatenus complicatum, ac proinde pertinens ad virtutem aliquam infuſam, ſiue Theologicam ſiue moralem. Solent tamen Patres & Doctores, martyrij acceptationem fortitudini

adſcri

adſcribere, quia eſt generoſa & in arduum connitens volitio, quam à fortitudine elici, quaſi connaturale & admodum procliue eſt. Sic S. Cyprianus perpetuus eſt in celebranda fortitudine huius acceptationis: ſed illuſtriſſimè initio libri de laude martyrij. [Quantæ ſit gloriæ ponderate, huius vitæ cupiditatibus, atque ab omni animum natura, mundique commercio ſegregatum, contra aduerſantis diſcrimen opponere, nec ſæuitiam torquentis horrere: Animari hominem dolore, quo credatur extingui; & id ſibi in augmentum virtutis aſſumere, quod cruciatui putat prodeſſe, qui punit. Nam prædurantibus licet coſtis reſultans vngula recurrat in vulnus, & euntibus flagris, cum auulſa corporis parte, rediens habena ducatur; ſtat immobilis tamen pœnis ſuis fortior; hoc ſolùm ſecum ipſe conuoluens; quòd in illa crudelitate carnificum, plus pro quo patitur, Chriſtus, quàm ipſe patiatur.] *Et mox.* [Quid tam eximium atque ſublime eſt, quàm inter tot inſtrumenta carnificum, deuotione robuſta cunctam fidei reſeruare virtutem? Quid tam magnum, atque pulcherrimum, quàm inter tot circunſtantium gladios, libertatis ſuæ Dominum, ac ſalutis auctorem repetita ſæpiùs voce profiteri? Et maximè ſi antè oculos tuos ponas, nihil deteſtabilius eſſe dedecore, nihil fœdius ſeruitute.]

28. Cùm item acceptatio mortis ad aſſerendam veritatem reuelatam, vel retinendam honeſtatem à Chriſto approbatam, digniſſima ſit in quam ſe charitas immiſceat, nihilque faciliùs accidat, quàm vt martyrium ex flagrantiſſima charitate & acceptetur, & ſubeatur, quia fortis eſt vt mors dilectio;

lectio;idcirco plerúnque acceptatio martyrij tribuitur charitati, ſiue vt elicienti, ſiue vt imperanti. [Nihil enim eſt tam durum ait D. Auguſtinus l. de mor. Eccleſ. c. 22. atque ferreum, quod non amoris igne vincatur: quo cum ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera & admiranda volitabit, pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor caſtus innititur. Niſi verò amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum, amatoribus ſuis Deus ſinat eſſe fortiores, cùm ille non amor, ſed congruentiùs cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet, quantus ſit impetus animi ad ea quæ diliguntur indeflexo curſu per immania quæque tendentis; argumentóque nobis eſt, quàm ſint omnia perferenda ne deſeramus Deum, ſi tanta illi vt deſerant, perferunt.] E contrario iuxta D. Auguſtinum Sancti martyres, mortem alacriter perferendo teſtatum faciunt, quàm feruet in eis amor Dei, ex quo elici acceptationem perpeſſionis illius, eſt propenſiſſimum. Nec plus voluit S. Cyprianus l. de bono patientiæ num. 38. cum dixit. [Charitas fraternitatis vinculum eſt, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis, quæ & ſpe & fide maior eſt, quæ & opera & martyria præcedit.] Hoc eſt,procliuiſſimum eſt vt præcedat, agendo de charitate actuali. Quanquam poſſet etiam S. Cyprianus accipi de charitate habituali: quæ vtique præcedit martyrium morte conſummatum, vt infrà liquebit.

Hæc igitur eſt cauſa, cur apud Patres, martyrij acceptatio, fortitudini præſertim aut charitati tribuatur. Præterquàm quod Patres cum non ſo-

leant ſolliciti eſſe de ſeuerè tuenda Metaphyſica virtutum diſtinctione, omnem planè firmitatem in bono honeſto, præſertim ſi tanta ſit vt ad vitæ præ ea contemptum pertingat, vocant fortitudinem; & omnem incommodorum pro Deo perpeſſionem, donant nomine charitatis in Deum, vt videre eſt, cum apud alios paſſim, tum latè apud Auguſtinum, libro illo de moribus Eccleſiæ, quo functiones virtutum omnium, reuocat ad amorem & charitatem in Deum.

CAPVT IV.

Corollaria de quibuſdam paſſis è martyrum albo expungendis, ſiue de falſo Ethnicorum, Hæreticorum, Schiſmaticorúmque martyrio.

1. PRiuſquàm ad alium ordinem diſpoſitionum paſſi adulti martyrium ſubeuntis, progrediamur, operæpretium eſt ex proximè tractatis eruere, quid ſtatuendum ſit de morte quibuſdam perſonis irrogata, ob veritatis per eas aſſertionem, vel honeſtatis tenacitatem.

Nullus in Ethniciſmo, verus martyr.

Liquet ergo inprimis ex dictis, Ethnicum hominem qui pro veritate naturaliter duntaxat percepta, obtruncetur, verum martyrium non ſubire. Acceptatio enim mortis ex tali motiuo, nullam habet proportionem cum gratia per martyrium confe

conferenda, cum fuerit merè naturalis, nec fide prælucente ſit cuſa, nullúmque cum Chriſto, aut vera fide nexum habuerit. Itaque Socrates, ſi verum eſt quod Iuſtinus martyr & alij produnt, de propinata ei cicuta ob aſſertam numinis vnitatem, nihilominus martyr non fuit, quia eam veritatem quæ erat materialiter veritas fidei, ſola naturali ratione ac cognitione peruaſit. Vnde non poſuit vitam pro veritate diuinitùs patefacta, ac Deo eam reuelanti teſtimonium perhibens, ſed pro veritate tantùm naturaliter percepta, ac proinde naturæ fines non tranſcendente, & nullam habẽte ad Chriſtum habitudinem, aut cum vera fide cõnexionem; atque adeò neque vllã proportionem cũ gratia per verum martyrium obuentura. At è contra S. Iuſtinus Philoſophus, quamuis eius per Creſcentem cynicum inſectatio, & mortis irrogatio, primùm manarit ex improbatione turpiſſimi ſceleris quod naturæ lumine apparet deteſtandum, & quia Ethnicam mulierem ad Chriſtum traductam, dedocuit fœdam cum viro conſuetudinem naturæ legibus aduerſantem: Tamen his ipſis de cauſis irrogatam mortem acceptans, verè martyr fuit: quia aciem mentis, in eas naturaliter conſpicuas veritates, non abſque aliquo ad Chriſtum ordine intendit: firmitérque ad mortem vſque iiſdem inhæſit, non præcisè vt ſunt veritates naturali lumine peruiæ, ſed quatenus ſunt à Chriſto traditæ, & approbationem nactæ in religione Chriſtiana. Pleróſque Ethnicos per tempora perſecutionum, multa vt Chriſtianis gratificarentur perpeſſos, ſæpè legimus, nec fortè defuerunt qui morti ea ex cauſa traderentur. S. Athanaſius in epiſt. ad ſolitariã vitam

« agētes, hæc ſcribit. [Ego è patribus audiui, & verum
« arbitror, cùm perſecutio eſſet nata ſub Maximiano
« Conſtantij auo, Ethnicos homines, fratres noſtros
« Chriſtianos, cum quærerentur, latebris abdidiſſe,
« eóſque ſæpè pecunia multatos, carcere mancipatos
« fuiſſe, non ob aliud, quàm quod profugientes ad
« ſe prodere nollent, eóſque eadem fide qua ſeipſos
« tuendos putarent, non veriti ob id ſeſe periculis
« obiicere.] Hæc quæ ad aliquod martyrij rudimentum in Chriſtiano ſpectarent, & morte accedente conſummatum martyrium conſtituerent, in Ethnicis illis nulla ratione ſpectabant ad martyrium, quamuis ex naturali charitate, verè laudabili & moraliter honeſta, efficerentur. Nimirum in Ethnicis perpeſſiones illæ acceptabantur ex motiuo merè naturali, atque adeò nulla inde ad gratiam martyrio repoſitam conſequi poterat aptatio.

Sed neque in hæreſi.

2. Indidem liquet Hæreticum non modò ſi pro hæreſi ſua & errore moriatur, (quod eſt manifeſtiſſimum,) ſed etiam ſi pro veritate aliqua ad fidem materialiter pertinente vitam profundat, martyrem non eſſe: quia cum hæreticus ſit, circa fidem veram, quæ vnica eſt, naufragauit, vnde non poteſt pro veritate per fidem percepta vitam ponere: & illam materialem fidei veritatem pro qua tuenda occumbit, non idcirco credit, quia à Deo reuelatur, ſed quia ita placet, ac proprio iudicio congruit. Accedit quod hæreticus cum ſit rebellis lumini, & ab Eccleſiaſtici corporis compage abiunctus cui adhærere iubebatur, indiſpoſitus eſt ad
martyrij

martyrij gratiam. Vnde quantumuis laudandum ſit quod renuat veritati materialiter ad fidem ſpectanti refragari, eámque negare, ſítque illi longè ſatius eam ob cauſam occumbere, quàm ob hæreſim qua ſordet: Tamen ſpondere ſibi inde martyrij gloriam non debet, quia peccans in vno, factus eſt omnium reus: & qui charitate conculcata putat ſe propter Chriſtum ardere, cruciatur fruſtra, non coronatur. Iudicium eſt S. Auguſtini l. de patientia c. 26. [*Si* quis non habens charitatem, quæ pertinet ad vnitatem ſpiritus, & vinculum pacis, quo Catholica Eccleſia congregata connectitur, in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, pătitur tribulationes, anguſtias, famem, nuditatem, perſecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel beſtias, vel ipſam crucem timore gehennarum & ignis æterni; nullo modo iſta culpanda ſunt; imo verò & hæc laudanda patientia eſt. Non enim dicere poterimus, melius ei fuiſſet, vt Chriſtum negando nihil eorum pateretur, quæ paſſus eſt confitendo. Sed exiſtimandum, fortaſsè tolerabilius ei futurum iudicium, quàm ſi Chriſtum negando, cuncta illa vitaret: Vt illud quod ait Apoſtolus, ſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt; nihil prodeſſe intelligatur ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi iudicij tolerabilius ſupplicium ſubeundum.] Hæc Auguſtinus de patiente in ſchiſmate. Quæ non de ſchiſmatico preſsè dicto, cui ſalua ſit fides ſparſo tantùm vnitatis coagulo, (qua ratione ſchiſmaticum propriè dictum ab hæretico benè ſecernit S. Optatus lib. 1. non multum à principio,)

ſed de hæretico propter errorem ab Eccleſia ſeiun-
cto, prolata eſſe ab Auguſtino, verba conſequentia docent, quibus ſe, de profitente errorem, atque adeò de Schiſmatico qui ſimul ſit hæreticus, egiſſe teſtatur.

3. Idque alibi frequenter confirmat, vniuersè tradens, hæreticum non poſſe martyrem haberi: quia ſi pro hæreſi cadat, apertè eſt filius perditionis; ſi autem pro veritate occumbat; non occumbit tamen pro veritate per fidem propoſita; cum fide vera paorſus careat, & in diuinas leges vnitatem mandantes, rebellis ſit. Pulchrè in concione « de geſtis cum Emerito. [Putat quia magnus erit « apud ſuos ſi non conſenſerit, & dictus fuerit mar- « tyr partis Donati. Abſit, tollatur in nomine Domi- « ni de corde eius iſte typhus. Nouit & ipſe, legit & « ipſe, ſi tradidero corpus meum vt ardeam, chari- « tatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ego « non dico, ſi aliquas iniurias quaſi iactet ſe paſſum « eſſe pro parte Donati, aut aliqua damna terrena, « nihil ei prodeſt: ego plus dico; ſi patiatur foris ini- « micum Chriſti, non Catholicum, fratrem ſuum « quærentem ſalutem eius, ſed inimicum Chriſti; ſi « foris patiatur, & dicat ei foras ab Eccleſia Chriſti, « inimicus Chriſti, pone thus idolis, adora deos « meos, & non adorans occidatur ab inimico Chri- « ſti, ſanguinem fundere poteſt, coronam accipere « non poteſt.] Serm. item 117. de diuerſ. c. 4. [Nemo « ſe extollat & glorietur de paſſione, ſed priùs oſten- « dat linguæ ſuæ veritatem. Tu oſtendis pœnam, ego « quæro cauſam. Tu dicis ſum paſſus: Ego dico, qua- « re ſis paſſus. Nam ſi attendamus ſolas paſſiones, co- « ronantur & latrones. Nunquid audet dicere ille,

tanta

tanta & tanta paſſus ſum? Quia dicitur illi, pro- "
pter facta tua mala; Ideò malam habuiſti pœnam, "
quia priùs malam habuiſti cauſam. Si de paſſione "
gloriandum eſt, poteſt & ipſe Diabolus gloriari. "
Videte quanta patitur, cuius vbique templa euer- "
tuntur, cuius vbique idola franguntur, cuius vbi- "
que Sacerdotes & arreptitij cæduntur. Nunquid "
poteſt dicere, & ego martyr ſum qui tanta patior. "
Ergo homo Dei, priùs ſibi eligat cauſam, & ſecu- "
rus accedat ad pœnam. Quia ſi in bona cauſa acce- "
dit ad pœnam, poſt pœnam, accipiet & coronam.] "
Et lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 9. propoſitis
piorum vexationibus, ſubdit. [Non iſta perpeti "
fructuoſum eſt, ſed iſta pro Chriſti nomine, non "
ſolùm æquo animo, ſed etiam cum exultatione to- "
lerare. Nam multi hæretici, nomine Chriſtiano "
animas decipientes, multa talia patiuntur: ſed ideò "
excluduntur ab iſta mercede, quia non dictum eſt "
tantùm, beati qui perſecutionem patiuntur: ſed "
additum eſt, propter iuſtitiam. Vbi autem ſana fi- "
des non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, quia iuſtus ex "
fide viuit.] Denique optimè in Pſal. 59. ad illud, "
meus eſt Galaad, ſic philoſophatur. [Galaad inter- "
pretatur aceruus teſtimonij. Quantus aceruus teſti- "
monij in martyribus? Meus eſt Galaad, meus eſt "
aceruus teſtimonij, mei ſunt martyres veri. Mo- "
riantur mali pro vetuſta vanitate ſua ſine ſale, "
nunquid pertinent ad aceruum teſtimonij? Quia & "
ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charita- "
tem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Cùm "
autem quodam moneret Dominus de pace reti- "
nenda, præmiſit ſalem: Habete, inquit, in vobis "
ſaltem, & pacem habete inter vos. Ergo meus eſt "

« Galaad; ſed Galaad, id eſt aceruus teſtimonij, in
« magna tribulatione euidenter factus eſt.]

4. Conſtanter & vnanimiter, eandem doctri-ctrinam tradunt Patres reliqui. Paucos attexo. S.
« Irenæus l.4. c.64. [Eccleſia omni in loco, ob eam
« quam habet erga Deum dilectionem, multitudi-
« nem martyrum in omni tempore præmittit ad pa-
« trem: reliquis autem omnibus, non tantùm non
« habentibus hanc rem oſtendere apud ſe, ſed ne-
« que quidem neceſſarium eſſe dicentibus tale mar-
« tyrium eſſe eorum, martyrium verum ſecundùm
« ſententiam eorum: niſi ſi vnus aut duo aliquando
« per omne tempus ex quo Dominus apparuit in
« terris, cum martyribus noſtris, quaſi & ipſe miſe-
« ricordiam conſecutus, opprobrium ſimul baiula-
« uit nominis, & cum eis ductus eſt, velut adiectio
« quædam donata eis. Opprobrium enim eorum qui
« perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, & om-
« nes pœnas ſuſtinent, & mortificantur propter eam
« quæ eſt erga Deum dilectionem, & confeſſionem
« filij eius, ſola Eccleſia purè ſuſtinet, ſæpè debilita-
« ta, & ſtatim augens membra, & integra fiens.] S.
Cyprianus epiſt.52. n.49. eo præter cætera argu-
mento confirmat, concedendum eſſe lapſis regreſ-
ſum in Eccleſiam, quod timendum ſit ne lapſus
« [deſperatione deficiat, ſi ab Eccleſia durè & crude-
« liter ſegregatus, ad Gentiles ſe vias. & ſecularia
« opera conuertat: vel ad hæreticos, & ſchiſmaticos,
« reiectus ab Eccleſia tranſeat: vbi etſi occiſus pro-
« pter nomen poſtmodum fuerit, extra Eccleſiam
« conſtitutus, & ab vnitate atque à charitate diuiſus,
« coronari in morte non poterit.] Et epiſt.57. agens
de Nouatianis, & quibuſuis alienatis ab Eccleſia,

&

& extra eam patientibus, ait. [Si aliquis ex talibus « fuerit apprehenſus, non eſt quod ſibi quaſi in con- « feſſione nominis blandiatur, cùm conſtet, ſi occiſi « eiuſmodi extra Eccleſiam fuerint, fidei coronam « non eſſe, ſed pœnam potiùs eſſe perfidiæ, nec in « domo Dei inter vnanimes habitaturos eſſe, quos « videmus de pacifica & diuina domo, furore diſcor- « diæ receſſiſſe.] Alium D. Cypriani locum in hanc « rem, profert D. Auguſtinus l. 4. de Baptiſ. contra Donat. c. 17.

Subſcribit S. Fulgentius l. de fide ad Petrum c. 39. [firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet « hæreticum, ſiue ſchiſmaticum, in nomine patris « & filij & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Eccleſiæ « Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcúnque « eleemoſynas fecerit, etſi pro Chriſti nomine etiam « ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari: Om- « ni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non te- « net vnitatem; neque Baptiſmus, neque eleemoſy- « na quamlibet copioſa, neque mors pro nomine « Chriſti ſuſcepta, proficere poterit ad ſalutem, « quandiu in eo hæretica vel ſchiſmatica prauitas « perſeuerat, quæ ducit ad mortem.] «

5. Idem tradit & quidem ſplendidè S. Gregorius 18. mor. c. 14. ratum habens anteriorum Patrum hactenus prolatorum hac de re placitum. [Auro « locus eſt in quo conflatur. Ac ſi apertè dicat: Vera « fidelium ſapientia, cui vniuerſalis Eccleſia locus eſt, « tribulationem vobis perſequentibus patitur, ſed à « cunctis peccatorum ſordibus, perſecutionis veſtræ « igne purgatur. Vnde ſcriptum eſt; in igne proba- « tur aurum & argentum, homines verò recepti- « biles in camino humiliationis. Quo in loco poteſt «

" hoc quoque conuenienter intelligi, vt de ſua hære-
" tici increpari ſtulta paſſione videantur. Nam ſæpè
" pro Ieſu Chriſti, Domini ac redemptoris noſtri
" nomine multa patiuntur; ſeſéque eiſdem paſsio-
" nibus, eius fieri martyres ſperant. Quibus ſancti
" viri voce nunc dicitur: Auro locus eſt in quo con-
" flatur. Nam iuxta hoc quod iam, & ante nos dictum
" eſt, quiſquis extra vnitatem Eccleſiæ patitur, pœnas
" pati poteſt, martyr fieri non poteſt, quia auro locus
" eſt in quo conflatur. Quid itaque ad hæc hæretici
" dicitis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam
" per martyrium vultis, ſed locum in quo debeatis
" conflari, neſcitis. Audite quid ſancti prædicatoris
" voce dicitur; auro locus eſt in quo conflatur. Hunc
" ergo conflationis locum quærite, hanc fornacem
" qua aurum aptè purgari valeat, inuenite. Vna
" eſt Eccleſia, in qua qui conflari voluerit, ab omni
" etiam poterit peccatorum ſorde purgari. Si quid
" pro Deo amaritudinis, ſi quid tribulationis extra
" hanc poſiti ſuſtinetis, incendi poteſtis tantummodò
" non purgari. Dicat Hieremias, dicat quomodò con-
" flationis veſtræ ignis omni virtute ſit vacuus: fruſtra
" conflauit conflator, malitiæ enim eorum non ſunt
" conſumptæ. Ecce ignis exterius conflans, & duræ
" paſſionis admouet pœnam, & tamẽ erroris non ex-
" coquit culpam: & tormenta crudelium dat pœnarũ,
" & bonorum non facit incrementa meritorum.]
" Alia in hanc rem Patrum teſtimonia annotauit
" Pamelius ad Epiſtolam 52. S. Cypriani num. 50.

Stupor Sectariorum, in ſuorum pſeudomartyrum recenſione.

6. Poſſunt igitur hæretici cruciari, & ardere;

purgari,

purgari, & martyres eſſe non poſſunt. Ac proinde ſtultè ſectarij noſtrates ſpiſſos indices ſuorum martyrum emiſerunt. Quod item ab Anglicanis & Germanis nouatoribus præſtitum, latè refert Alanus Copus dialo. 5. à c. 22. & toto propè dialo. 6. præſertim c. 16. Videndus præterea Molanus tract. de Martyrol. c. 10. & 11. & Baronius in prælud. ad Rom. Martyrol. c. 10. Vanam hanc & inſanam falſi martyrij iactationem, hauſere huius æui ſectarij à proauis ſuis. Vix enim fuit hæreſis vlla, quantumuis ſpurca & infamis, quæ ſuos aliquos martyres non proferret, & inde veritatis à ſe ſtantis argumentum non peteret. Manichæos ſanè id iactaſſe, refert S. Auguſtinus l. 5. contra Fauſtum c. 8. idem de Donatiſtis ſcribens epiſtol. 50. & in breuiculo collat. diei tertiæ, poſt S. Optatum lib. 3. contra Parmenia. Sed & anteriùs Marcionitæ, in hac inanitate gloriæ, ſtrenui fuerunt: vt diſcimus ex hoc fragmento libri tertij aduerſus eos conſcripti ab Apollinare, Epiſcopo Hierapolitano, quod exſcripſit Euſebius l. 5. hiſtor. c. 15. Ait enim Apollinaris. [Ad « matyres confugiunt, séque affirmant complures « habere martyres, atque hoc certum argumentum « eſſe virtutis & potentiæ quæ eſt in prophetiæ illo- « rum ſpiritu audita. Cæterùm iſtud, vt videtur, om- « nino à veritate alieniſſimum eſt. Etenim non « pauci aliarum hæreſum propugnatores, permultos « venditant ſe habere martyres, non tamen propte- « rea cum illis conſentiemus, neque illos veritatem « penes ſe tenere fatebimur. Qui primi ex Marcionis « hæreſi Marcioniſtæ vocati ſunt, permultis ſe Chri- « ſti martyribus abundare prædicant: ſed tamen Chri- « ſtum ipſum (vti veritas poſtulat) minimè confi- « tentur.]

" tentur.] Nominatim quoſdam hæreticos in magnis flagitiis ob quæ comprehenſi erant, pœnæ addictos, martyrium pro Chriſto ſuum impudenter iactaſſe, autor eſt idem Apollinaris libro Euſebij citato c.17.

Stuporatam hanc gloriam, eo quo DEVS ipſe loco, habuit Eccleſia, dedignans illuſtriſſimum & ſanctiſſimum martyrij nomen his hominum emiſſitiis committere, ſiue ob alia ſcelera, ſiue ob infidelitatem quam profitebantur, plexos conſtaret. Quinetiam qui ab Ethnicis ob aliquam materialem fidei veritatem trucidati eſſent, ſi in hæreſi ad obitum vſque perſtitiſſent, nunquam Catholica Eccleſia agnouit martyres. Sic Euphemitæ Meſſalianorum ramus, & ab iiſdem martyres habiti, quod à Luppiciano prætore cæſi eſſent, ob decantatas vni Deo laudes in ſuis adoratoriis, apud Catholicos æſtimati ſunt argentum reprobum, in tribulationis fornace non excoctum & purgatum, ſed conſumptum. Nouatianus, iuxta Socratem eius partiarium l.4.c.13. ac Nicephorum ea item labe ſordentem, martyr à ſuis iactatus eſt, ob irrogatam ab Ethnicis mortem, pro cultu vnius numinis. Idque etiam magnificat Simpronianus Nouatianus apud Pacianum epiſt. 2. de Cathol.nom. A Catholicis tamen omni ſemper deteſtatione proſciſſa eſt eius memoria: & martyrem habendum fuiſſe, etiam ſi reuera ſic cæſus fuiſſet, negat Pacianus: qui tamen latè ſuffragante S.Eulogio lib. 6. contra Nouatianos apud Photium Codice 280. addit, commentitium eſſe quod de eo per Chriſtianæ fidei hoſtes cæſo, iactatum fuerat. Præterea Metrodorus presbyter Marcionita, Smyrnæ quo tempore S.Polycarpus

lycarpus paſſus eſt,& ipſe quoque ignibus addictus vt eſt apud Euſebium lib. 4. hiſt. c. 14. in album martyrum non eſt relatus. Ad hæc Patrophilum Scythopolitanum, ſub Iuliano Apoſtata cæſum, quod ad extremum vſque ſpiritum Arrianiſmo ſorduiſſet, martyrem non agnouit, ſed tanquam in peccatis ſuis mortuum,abominata eſt Eccleſia, vt ſcribit Nicepho.l. 10. c. 13. Eodem loco Marcum Epiſcopum Arethuſium, item Arrianum, horrendis ſuppliciis ſub eodem Iuliano excarnificatum, habuít Baronius ad Rom. martyrol. 29. martij. Verùm longè magis placet quod anno Chriſti 362. affirmat: Nempe eum aliquando quidem fuiſſe Arrianum; priuſquàm tamen è vita excederet, hæreſim deteſtatum, prodidiſſe ſe Catholicum: ideóque & à Græcis menologio adſcriptum fuiſſe, & iam vita functum, fuiſſe inſigniter celebratum à Gregorio Nazianzeno orat. 1. in Iulia.& à Theodoreto 3.hiſt.c. 7. Quare ſecernendus eſt Marcus, ab illa infelicium colluuie, qui quamuis ob materialem fidei veritatem obtruncati, quod tamen extra Eccleſiam eſſent, cruciari tantùm, non coronari potuerunt.

An patientia hæretici pro vero articulo, ſit donum Dei,& ex gratia.

7. Quærit porro S. Auguſtinus l. de patientia c. 27. an hæc patientia hæretici pro articulo ad fidem materialiter ſpectante morientis, ſit donum Dei, & ex gratia, vel ex naturæ viribus proficiſcatur; reſpondetque eſſe ex gratiæ auxilio: quamuis quia non perducit ad ſalutem, dicat hoc eſſe vnum

ex muneribus quod filiis concubinarum donatur à parte Abraham; *ne relinquerentur omnino inanes, non vt tenerentur hæredes.* Quam hæreticorum cum filiis Ceturæ comparationem, pleniùs proſequitur in c. 4. ad Galat. *in fine.* Nimirum quod vidit etiam Suares l.1.de grat.c.24.n. 40. & c. 27. n. 26. nihil eſt quod vetet aſſerere, etiam infideli ſtillam aliquam ſupernaturalis roris affundi, ex qua ſupra naturæ vires aliquid efficiat infra condignitatem iuſtificationis. Quanquam nihil etiam eſt quod adigat, ad agnoſcendum aliquid in eo euentu patratum, ſupra vires nudæ naturæ: cum interdum contigerit, perſonas nequiſſimas, ex vitioſo aut inani motiuo, perſtitiſſe indomabiles admotis immaniſſimis tormentis. Gratia autem, eſt tantùm neceſſaria ad fortem ſuſtinentiam quæ ſit partus virtutis. Itaque facilè dici poteſt, idem his pro materiali fidei veritate laborantibus & morientibus contigiſſe, quod pleriſque latronibus ex nuda duritie indomabilibus, iuxta illud S. Auguſtini ſerm. 15. de verb. « Apoſt. [Nonne inueniuntur torti latrones in tanta « fortitudine corporum, vt quidam eorum non ſolúm « conſcios prodere noluerint, ſed nec omnia ſua confiteri dignati ſint? Inter cruciatus, inter tormenta « effoſſis lateribus, & penè perditis membris, manſerit animus in obſtinatione nequiſſima? Vide ergo « quid amabant. Facere tamen iſta ſine magno amore « non poterant. Sed non ſic amator Dei. Deus non « amatur niſi de Deo. Amauit ille neſcio quid aliud « de carne, ſicut homo: quodlibet amauit, ſocios « ſuos amauerit, conſcientiam ſcelerum amauerit, gloriam in facinoribus amauerit, quodlibet amauerit, multum amauit, qui torqueri

potuit,

potuit, deficere non potuit.] Oſtendit conſequen- «
ter, non fuiſſe ex charitate amorem illum: atque
adeò non tam fuiſſe patientiam quæ in illa perpeſ-
ſione prodita eſt, quàm duritiam. Id quod pulcher-
rimè tradit idem Auguſt.ſerm.42.de diuerſ.c.5.

8 Et ita planè philoſophandum eſt, de multorum obfirmatione in exquiſitiſſimis ſuppliciis, iuſtè repenſis pro ſcelere, quæ reſipiſcentes declinare, vel lenire potuiſſent: Itémque de ſaxea multorum patientiæ vi, ob vanitatem aut peruerſos fines: eiuſmodi nonnullos profert Tertullianus l. ad martyres c. 4. & 5. & pulchrè idem tradit S. Chryſoſtomus hom. 4. in 1. ad Cor. componens Chriſtianos martyres cum Ethnicis atrocia paſſis. Habemus etiam hæreticorum multorum pro ſuis erroribus patientium obfirmationem, quam nemo ad gratiam referre queat, tametſi fuerit plerunque in patiendi ementita ſpecie planè mirabilis, iuxta rudium ſenſum. S. Bernardus ſer. 66. in Cant. agens de quibuſdam *perfidiæ* vt vocat *martyribus*, populi ſubito impetu trucidatis, ad dæmonem eiuſmodi animos poſſidentem, refert eam tolerantiam. Sic enim diſſerit. [Mirabantur aliqui, quod «
non modò patienter, ſed & læti, vt videbantur, «
ducerentur ad mortem. Sed qui minùs aduertunt «
quanta ſit poteſtas Diaboli non modò in corpora «
hominum, ſed etiam in corda quæ ſemel permiſ- «
ſus poſſederit. Nónne plus eſt ſibimet hominem «
iniicere manus, quàm id libenter ab alio ſuſtinere? «
Hoc autem in multis potuiſſe Diabolum, frequen- «
ter experti ſumus, qui ſeipſos aut ſubmerſerunt, aut «
ſuſpenderunt. Denique Iudas ſuſpendit ſeipſum, «
Diabolo ſine dubio immittente. Ego tamen maius «

« exiſtimo, magíſque admiror, quòd potuit immiſiſ-
« ſe in cor eius vt traderet Dominum, quàm vt ſe-
« ipſum ſuſpenderet. Nihil ergo ſimile habent, con-
« ſtantia martyrum, & pertinacia horum, quia mor-
« tis contemptum in illis pietas, in iſtis cordis duri-
« tia operatur. Et ideò Propheta martyris forſitan vo-
« ce dicebat: coagulatum eſt ſicut lac cor meum, ego
« verò legem tuam meditatus ſum: pro eo videlicet
« quòd etſi pœna eadem videretur, longè diuerſa
« eſſet intentio; illo vtique durante cor contra Do-
« minum, iſto in lege Domini meditante.] Quod de gaudio & exultatione erronum illorum in miſera morte ſcribit Bernardus, poſteriora quoque pleráque exempla comprobant. Inter alia verò Satanæ mancipia in ignibus exultantia, ſaltem in ſpeciem; Adamitæ vt ſcribit Æneas Syluius in hiſtor. Bohemo. c. 41. cantantes ac alacres cum vxoribus rogum ſubibant. Spurcus item hæreticus Hieronymus de Praga, qua frontis ſerenitate & conſtantiæ larua, horrendam ex viuicomburio mortem, palinodiæ tot errorum prælegerit, latè ſuſpicit qui aderat, & rem totam deſcripſit Pogius. Eſt 425. inter Pij ſecundi epiſtolas. Scatent ſimilibus narrationibus pſeudomartyrologia Nouatorum. Vnde diſcimus, quid de hæreticorum, pro materiali veræ fidei articulo morientium, patientia ſtatuere liceat, cum quæritur an fuerit ex gratiæ auxilio.

Paſſio martyris, quantum veræ fidei argumentum.

9. Poteſt verò hinc præterea diiudicari, quod à Michaële Medina tractatum video l. 5. paræn. c. 6. an

an patiens perpeſſio tormentorum pro veritate quapiam, ſit certum eius à Deo traditæ argumentum. Hoc meritò negat Medina, & perſpicuum eſt ex proximè dictis: cum monſtratum ſit, poſſe hæreticos, & pro vero articulo, & pro ſuis falſitatibus grauiſſima tormenta patienter excipere; nec tamen indè poſſit idoneum argumentum peti, vel pro veritate falſorum dogmatum, vel pro credibilitate veritatis fidei materialis, per hæreticum confirmatæ. Quinetiam patiens Catholici perpeſſio pro veritatibus fidei, non eſt adeò ineluctabile argumentum quod eæ veritates ſint à Deo reuelatæ, quin adhuc poſſet effugium patere; cum ea perpeſſio quantumcunque exteriùs patientiſſima, poſſet ad contumaciam & obfirmationem in propoſito ſemel inito reuocari: vel certè ad gloriæ ex ea perpeſſione captationem: quo pacto non eſſet ex gratiæ munere, nec ſuppeditaret argumentum validum traditæ diuinitùs veritatis. Vnde cum exploratum vſquequaque non ſit, quo fine quis patiatur, ſuffringitur vis argumenti pro fide Catholica ducti ex alicuius perpeſſione ad fidei confirmationem. Præclarè huc facit quod à S. Auguſtino ſcriptum eſt in Pſal. 43. ad illud. *Ipſe enim nouit abſcondita cordis*, vel vt ipſe legit, *occulta*. Sic autem ſcribit. [Quid eſt nouit occulta? Quæ occulta? Quoniam « propter te mortificamur tota die, deputati ſumus « velut oues occiſionis. Potes enim videre mortificari « hominem, quare mortificetur neſcis. Deus hoc « nouit, res in occulto eſt. Sed dicit mihi aliquis. Ecce « pro nomine Christi detinetur, nomen Chriſti « confitetur. Quare hæretici nomen Chriſti confi- « tentur, & non tamen iam propter ipſum moriun- «

« tur? Prorſus in ipſa Eccleſia dicam Catholica, puta-
« tis Catholicos defuiſſe, aut deeſſe poſſe qui cauſa
« humanæ gloriæ paterentur. Si non eſſent huiuſmo-
« di homines non diceret Apoſtolus. Si tradidero cor-
« pus meum vt ardeam, charitatem autem non ha-
« beam, nihil mihi prodeſt. Sciebat ergo eſſe poſſe
« quoſdam, qui hoc iactatione facerent, non dile-
« ctione. Ideò obſcurum eſt. Deus hoc ſolus videt,
« nos non poſſumus. Ipſe ſolus poteſt iudicare, qui
« nouit occulta cordis.]

Non nego tamen, quin argumentum pro fide Catholica, ex tot martyrum conſtantia ductum, ſit admodum potens, ſi penſentur tam multi cuiuſuis ſexus & ætatis tam variis locis & temporibus, tam æquanimiter ac iucundè nullo alio (quantum humanæ diligentiæ liquere potuit,) propoſito fine, paſſi, quàm non recedendi à tradita diuinitus veritate. Hoc enim argumentum, adiunctis præſertim aliis veræ fidei motiuis extrinſecis quæ Catholica martyria aſſectabantur, fuiſſe ſemper habitum admodùm efficax, diſcimus ex Tertulliano in Apolog. & l. ad Scapulam, vtrobique in ipſa meta; vbi docet, conſtantiam martyrum fuiſſe Ethnicis illecebram ſectæ noſtræ. Idem de ſeipſo profitetur S. Iuſtinus, paulo ante finem primæ Apologiæ, & de pleriſque Ethnicis Philoſophis S. Ephrem ſub finem encomij SS. Martyrum; Vrgent optimè illud pro veritate Chriſtianæ fidei argumentum, S. Hieronymus q. 11. ad Hedibiam, & Lactantius l. 5. inſtit. c. 13. & 23. cum quo præſertim penſari velim, auctam ſemper & amplificatam, penitiúſque infixam per ſuorum ruinas Eccleſiam Catholicam; cum è contra quod optimè & frequenter expendit S.

Chryſo

Chryſoſtomus, & nominatim orat. de S. Euſtachio & t. 6. ſerm. in illud, *ſufficit tibi gratia mea*, hæreſes & falſæ quæuis ſectæ, vel applaudentibus & ſtabilire eas tentantibus omnibus humanis viribus, quia Dei opera non ſunt, breui diſſoluantur. Expendit quoque S. Cyprianus infractam martyrum vim aduerſus arietem pietatis in ſuos. Idque ſe de Ethnicis ſtupentibus comperiſſe profitetur l. de laude martyrij n. 40. verbis illis. [Senſi equidem, nec me « veritas fallit, cum ſæuè incumbentium manus, « membra diuellerent, artúſque laniatos tortor ſæ- « uiens exararet, nec tamen vinceret; circunſtantium « verbis, magnum iſtud eſt dici profectò, non dolo- « ribus ſubigi, non pœnis angentibus frangi. Sed « erant aliæ dicentium voces, & puto liberos habet. « Nam eſt illi ſocia in penatibus coniux, & tamen « nec vinculo pignorum cedit, nec obſequio pieta- « tis abductus, à propoſito ſuo deficit. Noſcenda res « eſt, & virtus penitus ſcrutanda viſceribus. Nec enim « leuis eſt iſta quæcunque confeſſio propter quam « homo patitur, & mori poteſt. Etenim chariſſimi « fratres, virtus eſt tanta martyrij, vt per illam cre- « dere etiam ille cogatur, qui te voluit occidere.] Sic « igitur penſatis variis adiunctis conſtantiæ martyrum, vnáque aliis fidei motiuis extrinſecis quæ in eis ſplendebant, ſeriò perſpectis, admitto argumentum inde petitum pro veritate fidei quam ſanguine ſuo obſignarunt, eſſe fortiſſimum: quamuis argumentum ex vnius aut alterius paſſione petitum, præſertim nudè ſpectando patientem exteriùs perpeſſionem, non ſit indeclinabile, aut ineluctabile. Quod de aliis quoque pleríſque motiuis fidei extrinſecis, ſolitariè acceptis, non grauatè concedi-

S 2 tur,

tur, in tractatione de fidei credibilitate, & manuductionibus ad aſſenſum firmum, Dei reuelantis autoritati commenſum.

Schiſmatici martyrium, vanum.

10. Hæreſi affine eſt ſchiſma. Imo inueteratum quoduis ſchiſma, in hæreſim degenerat, vt autor eſt S. Hieronymus in c. 3. ad Titum, & S. Auguſtinus l. 2. contra Creſcon. c. 7. & epiſto. 164. eaque in Græcia & Anglia, experimento firmatum. Itaque quamuis abſolutè loquendo, hæreſis à ſchiſmate differat, vt notat S. Auguſtinus l. de fide & ſymbo. cap. 10. atque adeò quamuis an puri ſchiſmatici, ſeu ſchiſmate adnata hæreſi nondum corrupto, laborantes, poſſint verum martyrium ſubire, pendeat ex illis quæ infra dicemus de plena obſeruatione mandatorum curanda martyri: quia tamen rarò ſchiſmaticus in hoc hæreſeos præludio ſiſtit, nihilque procliuius eſt, quàm vt ab ea inclinatione parietis, & maceriæ depulſione, proſtratio omnimoda conſequatur, commodè hoc loco poſt hæreticos de ſchiſmaticis pronunciabimus.

Paſſim ergo SS. Patres, è martyrum ſerie excludunt ſchiſmaticos, quantumuis mortem à fidei hoſtibus & in fidei odium dicantur perpeſſi. Egregiè & crebrò hoc tradit Optatus l. 3. contra Parmen. Ait enim, in pace cum fratribus, eſſe prima fundamenta martyrij, & ſine pace quam ſchiſma diſcindit, nec eſſe, nec nominari poſſe martyrium. Quod probat ex Apoſtolo 1. Cor. 13. & inde ſubſannat Donatiſtas qui ſua in ſchiſmate martyria iactabánt. Conſentit S. Auguſtinus l. 1. de ſerm. dom.

in

in monte c. 9. vbi cum affirmaſſet, hæreticos occidi poſſe, martyres eſſe non poſſe, iiſdem adiungens ſchiſmaticos, addit; [Neque ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant, quia ſimiliter vbi charitas non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia. Dilectio enim proximi, malum non operatur: quam ſi haberent, non dilaniarent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia.]

Sed nemo de caſſis ſchiſmaticorum martyriis, luculentiùs Cypriano, qui magnus vbique vnitatis buccinator, & ſchiſmatis inſectator videri voluit. Libro igitur de vnit. Eccleſiæ, impugnans ſchiſma Nouatiani tunc enatum; [An (*inquit*) ſecum eſſe Chriſtum cùm collecti fuerint, opinantur; qui extra Eccleſiam Chriſti colliguntur? Tales, etiamſi occiſi in confeſſione nominis fuerint; macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. Pacem nobis Chriſtus dedit: concordes atque vnanimes eſſe præcepit: dilectionis & charitatis fœdera, incorrupta atque inuiolata mandauit ſeruari: Exhibere ſe non poteſt martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & conteſtatur Paulus Apoſtolus dicens: & ſi habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi in cibos pauperum diſtribuero omnia mea, & ſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio.] Et paulo poſt. [Cum Deo manere non poſſunt, quia eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt; ardeant licet flammis, & ignibus tradi-

« ti, vel obiecti beſtiis, animas ſuas ponant, non erit « illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ; nec religioſæ « virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interi- « tus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Sic « ſe Chriſtianum eſſe profitetur, quomodo & Chri- « ſtum Diabolus ſæpe mentitur, ipſo Domino præ- « monente & dicente: multi venient in nomine meo « dicentes; ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Si- « cut ille Chriſtus non eſt, quamuis fallat in nomine « illius; ita nec Chriſtianus videri poteſt, qui non « permanet in Euangelij eius & fidei veritate.]

11. Priorem locum ex Cypriano prolatum, allegauit & egregiè pro more amplificauit S. Chryſoſtomus homil. 11. in ad Epheſ. in morali parte, « his præter cætera. [Nihil ita Deum irritat, ſicut « Eccleſiæ diuiſio, & ſi innumera bona operati fue- « rimus, non minores tamen pœnas dabimus, quàm « qui corpus ipſius proſciderunt, ſi plenitudinem & « integritatem Eccleſiaſticam diſcerpſerimus. Illud « enim ſacro quidem factum eſt totius orbis, tamet- « ſi non eo animo, ſi reprobos illos reſpexeris: Iſtud « verò, nihil vſpiam commodi habet, ſed plurimum « nocumenti. Iſta mihi non ad Eccleſiæ primores « duntaxat dicuntur, ſed & ad ſubditos. Vir quidam « Sanctus quidpiam dixit, quod audaciam ſapere vi- « detur, attamen dixit. Quid eſt autem iſtud? Pecca- « tum videlicet iſtud, ne martyrij quidem ſanguine « deleri. Dic enim quæſo, quam ob cauſam marty- « rium ſubis? An non propter Chriſti gloriam? Quo « itaque pacto, qui animam pro Chriſto exponis, « Eccleſiam oppugnas, pro qua animam ſuam tradi- « dit Chriſtus?] Subdit, ſchiſmaticorum plagam in Eccleſia, hæreſi damnoſiorem, & Catholicis mul-

to magis deuitandam eſſe: nec minùs pro conſeruanda Eccleſiæ concordia & ſubiectione ad legitimum præſulem, quàm pro fide Chriſti pugnandum, ac ſi res ferat moriendum eſſe. Id quod etiam grauiſſimè confirmat Dyonıſius Alexandrinus apud Euſeb. 6. hiſtor. c. 37.

12. Laudato denique Cypriani dicto, de inani hæreticorum martyrio, S. Gregorius 18. mor.cap. 14. ſubdit quoad ſchiſmaticos. [Huius etiam conflationis ignis qui extra Catholicam toleratur Eccleſiam, quàm nullius omninò virtutis ſit, Paulus Apoſtolus inſinuat dicens. Si tradidero corpus meũ, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Alij quippe praua de Deo ſentiunt, alij recta de auctore tenent; ſed vnitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, iſti verò ſchiſmatis perpetratione diuiſi ſunt. Vnde & in ipſa prima parte decalogi, vtrarunque partium culpæ reprimuntur, cùm diuina voce dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Atque mox ſubditur: diliges proximum tuum ſicut teipſum. Qui enim de Deo peruerſa ſentit, liquet profectò, quia Deum non diligit. Qui verò de Deo recta ſentiens, à ſanctæ Eccleſiæ vnitate diuiſus eſt, conſtat quia proximum non amat, quem habere ſocium recuſat. Quiſquis ergo ab hac vnitate matris Eccleſiæ, ſiue per hæreſim, de Deo peruerſa ſentiendo, ſeu errore ſchiſmatis proximum non diligendo, diuiditur; charitatis huius gratia priuatur de qua hoc quod præmiſimus, Paulus dicit: Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ac ſi aperta voce dice-

« ret. Extra locum ſuũ, conflationis mihi ignis adhibi-
« tus, tormento me cruciat, mundatione non purgat.]
« Et mox concludit. [Quia ergo non niſi in catholi-
« ca Eccleſia veri martyres fiunt, dicitur rectè: Au-
« ro locus eſt in quo conflatur: Quia non clareſcet
« anima in fulgore æternæ pulchritudinis, niſi, vt ita
« dicam, priùs hic arſerit in officina charitatis.] Sic pulchrè nominat Eccleſiam. Plenè de vano ſchiſmaticorum martyrio, Giouanus lib. de ſchiſmate c. 9.

CAPVT V.

Alia paſſi adulti ad martyrium aptatio, per impedimentorum remotionem, & defectuum gratiæ diſſentaneorum excluſionem.

1. SEquitur agendum de illis diſpoſitionibus ad martyrium adulti, quas initio capitis tertij, aiebam vocari poſſe negatiuas: quod etſi non ſint ſemper negationes, ſe tamen habeant ad modum negationum, & eas aliquatenus ſonent, quatenus ſunt remotiones obicum gratiæ martyrij, vel impedimentorum acceptationis de qua hactenus. Itaque pertinet huc inprimis non repugnantia adulti cum propter Chriſtum occiditur, ſiue excluſio contranitentiæ & pugnæ aduerſus fidei hoſtem, mortem propter fidem quam in martyre odit, inferre paratum. Item ſpectat ad hunc locum, remotio violationis cuiuſuis mandati tunc vrgentis. Quo reducenda eſt applicatio cuiuſuis ex neceſſitate medij ad ſalutem adhibendi: Cuiuſmodi eſt pœnitentia aliqua

aliqua in peccatore, quam non modò ex præcepto plerunque non obligante ob ignorantiam inuincibilem, ſed etiam citra omne præceptum, & ex ipſa rei natura, interuenire neceſſe eſt, vt macula per adultum contracta obliteretur. Remotio igitur repugnantiæ tanquam impedimenti acceptationis, & excluſio violationis mandatorum quorumcunque tunc vigentium, itémque negligentiæ in admotione mediorum abſolutè neceſſariorum, conficit illum alium ordinem diſpoſitionum nunc explicandarum, quibus adultus ad verum martyrium eſt aptandus.

Contrapugnatio, martyrio aduerſatur.

2. Non eſſe martyri nitendum aduerſus eum à quo patitur, & abſtinendum ei eſſe recruciatione cruciantis, ea ratio apertè conficit, quod martyrium acceptari debeat ab eo cui infertur. Quomodò enim mortem imminentem acceptare, & patienter propter Deum excipere vellet, ſi conaretur repellere eum qui mortem infert, & malum pro malo reponere? Itaque S. Bonauentura in Pſal. 33. *ad finem*, è tribus quæ ad verum martyrium depoſcit, nempe fine idoneo, perſeuerentia ad mortem vſque, & voluntaria perpeſſione: hoc tertium, ait eſſe veluti formale in martyrio: ſicque interpretatur voluntariam illam perpeſſionem, vt martyr non modò non recalcitret aduerſus imminentem vitæ ſuæ, ſed ne murmuret quidem: *Ne ſit martyr ſicut rota carri, quæ fœnum geſtat, ſed murmurando.* Quod non obſtat, quominus fas ſit martyri ſalua martyrij veritate, remurmurantem inferiorem partem ſen-

tire: aut etiam deliberatè dolere de poſita per ipſum mortis cauſa, quam declinare fortè potuerat. Nihilominus enim dummodò malit vita excedere, quàm ob imminentem cædem à veritatis Chriſtianæ teſtificatione reſilire, martyr eſt habendus; quandoquidem verè perdit ánimam ſuam propter Chriſtum: nec propriè murmurare dicendus eſt, quia ſimpliciter loquendo, mortem patienter acceptat, tamúmque ita affectus eſt, vt ſi integrum foret non præbere mortis cauſam quam præbuit, non eſſet eam præbiturus Hoc tamen rerum ſtatu, liberè mauult irrogatam mortem excipere, quàm Deo & fidei terga vertere. Quare longè differret ab eo qui excuſſa planè patientia mortem exciperet, eámque ſi poſſet peremptis autoribus vlciſceretur, tantúmque inultus cadit, quia facultas deeſt. Ac etiam ab eo, qui reipſa expromit quantum poteſt virium, vt dolorem de morte imminente, damno prout vires ferent, cæde aut truncatione hoſtium leniat. Hic verè contranititur, & murmurat, eſtque ineptus ad martyrium, quia illud non acceptat.

Non ita Chriſtus Rex martyrum glorioſus, cui omnes verè martyres tanquam archetypo ſunt conformandi. Cum enim pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè. Omnes item Dei pugiles qui Chriſto ſuccenturiati, & ei traditæ fidei ſupercertantes, fortitudinem ſuam & vegetam fidem fortiter moriendo probarunt, cruciatus ac necem patientiſſimè exceperunt, non obſiſtentes. Teſtatur id de æui ſui martyribus S. Cyprianus, fortem eorum cum ſatana congreſſum ſic deſ-
« cribens epiſt. 57. [Intellexit milites Chriſti vigi-
« lare iam ſobrios; & armatos ad prælium ſtare, vinci

non

non poſſe, mori poſſe;& hoc ipſo inuictos eſſe, «
quia mori non timent. Nec repugnare contra im- «
pugnantes,cum occidere innocentibus nec nocen- «
tem liceat; ſed promptè & animas, & ſanguinem «
tradere: vt cum tanta in ſeculo malitia & ſæui- «
tia graſſetur, à malis & ſæuis velociùs recedatur.] «

3. Hac ex cauſa SS. martyres Zach. 9. *oues* dici, obſeruat Tertullianus l.4.contra Marcio. c.39. Ait enim oues dictos, quia nemo oues appellat eos qui in bello armati & ipſi ex eadē feritate certantes cadunt, ſed qui in ſua proprietate atque patientia,dedentes potiùs ſemeptipſos, quam vindicantes trucidantur.] Similiterque ea ipſa ex cauſa SS. martyres apud Pſaltem interprete Apoſtolo, dicuntur oues occiſionis, quia coram tondente, imo deglubente ſe,non aperiebant os ſuum, memores diuini hac in parte conſilij quod aperio verbis S.Auguſtini 22. contra Fauſtum c. 76. [Martyres appellantur «
qui latinè teſtes interpretántur: quorum numerus «
tantus effloruit, vt ſi eos Chriſtus, qui de cœlo «
Saulum vocauit, & factum ouem ex lupo, in me- «
dium luporum miſit, congregatos vellet armare, «
atque adiuuare pugnantes, ſicut Hæbræos patres «
adiuuit,quæ gentes reſiſterent? quæ regna non ce- «
derent? ſed vt præclariſſimum teſtimonium veri- «
tati perhiberetur, qua iam docendum erat, non «
propter temporalem in hac vita,ſed propter æter- «
nam, poſt hanc vitam, fœlicitatem Deo eſſe ſerui- «
endum, ea quæ vulgo infœlicitas dicitur, pro illa «
fœlicitate ſubeunda fuerat & ferenda.Itaque in ple- «
nitudine temporum filius Dei factus ex muliere, «
factus ſub lege,vt eos qui ſub lege erāt redimeret, «
factus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem: mittit «

diſcipu

« diſcipulos velut oues in medium luporum, & mo-
« net ne timeant eos qui corpus occidunt, animam
« autem non poſſunt occidere.] Vides Sanctorum in excipienda propter Chriſtum nece ouinam placiditatem.

Quomodò vitæ tutela, martyri abiicienda.

Quam tamen nolim ita accipi, vt cum cuique commiſſa vitæ ſuæ cuſtodia pugnet. Non enim ſi aggrediatur me Turca, aut Hæreticus, cui non ſim viribus impar, & mortem intentet niſi fidem eiurem, debeo nullo modo obſiſtere, & collum lanij illius cultro ſubijcere. Hanc quis non videt fore indebitam vitæ prodigalitatem, pugnantem cum ea moderata vitæ cura, cuius vnicuique, iure naturæ obligatio iniecta eſt? Planè itaque in eiuſmodi euentu obſiſtendum eſſet ſecluſo ſcandalo & aliis, quæ per accidens poſſent obſiſtentia illa interdicere. Obſiſtendum inquam ex obligatione eſſet: Tametſi non omnibus modis licitis, V. G. importunum illum fidei interpellatorem, vitæ noſtræ imminentem, obtruncando, vel mutilando; ſed aliò leniore modo ad noſtram tutelam ſufficiente, aduerſario illæſo. Nec placet quod Victor. relect. de homic. n. 24. & Aragon 22. q. 64. artic. 5. ad 3. tanquam certum, & à nemine negandum ſtatuant, Chriſtianum à Pagano, in ſolitudine inuaſum, quamuis licitè & ſine ſcandalo fidei, poſſet ſe tueri, poſſe tamen mortem excipere nullatenus eam declinando, ídque ei ad martyrium ſatis eſſe. Hoc ego non video, quomodò cum neceſſaria cuiuis vitæ tutela cohæreat, nullo nouo affulgente fructu

ctu vitæ ſic prodigendæ. Quare in eo euentu, exiſtimarem, per ſe loquendo, & peculiari inſpiratione ſecluſa, eam ſui abiectionem à vero martyrio abeſſe, & declinandam eſſe mortem, obſiſtendo leni illo modo quem proponebam. Tunc igitur negatur obſiſtendum eſſe hoſti, vt verum ſit martyrium, cum moriendi neceſſitas certa eſt, nec licet vitam retinere, niſi vel fide violata, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum, vel vi per vim repulſa, & hoſte vel mutilato, vel cæſo; ita vt quamuis certa oppreſſio non dubitetur conſecutura, tamen vltio aliqua præcedat, quæ imminentem cladem nonnullo hoſtis damno ac violatione leniat. Hîc eſt patientia & fides Sanctorum. Hîc inquam tolerantia & non obſiſtentia opus eſt, exemplo SS. Martyrũ Thebæorum, qui quamuis ob multitudinem & bellicam peritiam potuiſſent non inulti perire, nec damno modico afficere eos à quibus trucidabantur, tamen vt martyres occumberent, arma abiecerunt, & veluti agni lanienam non obſiſtentes exceperunt. Nec ita multo poſt anno Chriſti 301. S. Andreas in bello Perſico ducem agens, cum multis ſuorum, non reſiſtens, nec contra pugnans cæſus eſt pro Chriſto, vt habent eius Acta, & tabulæ Eccleſiaſticæ 19. Auguſti.

Senſus Eccleſiæ, de neceſſaria martyri non obſiſtentia.

4. Nolo morti in iuſto prælio fortiter pugnando obitæ, quicquam decedere de ea gloria quam alibi in huiuſmodi actu celebro. Multo minus derogatum

rogatum velim honori eorum ac meritis, qui in pugna contra fidei hoſtes occumbunt, & mortem noſtrorum ac effuſionem Chriſtiani ſanguinis, caro vendunt hoſtibus fidei. Horum ego decora prorſus non minuta volo. Aio tamen, martyrium Chriſtianum eam mali repenſionem excludere. Et idcirco non placet quod S. Antoninus 3. p. ſummæ tit. 30. cap. 8. §. 1. *in fine*, cruce ſignatos qui in bellum ſacrum dederunt nomina, accedúntque aduerſus hoſtes pugnaturi, ſi in huiuſmodi expeditionibus moriantur, annumerat martyribus. Quod item apud S. Bernardum ſerm. ad milites templi c. 1. iidem in bello pro fide cæſi, martyres nominantur, in rigore loquendo probari non debet, quamuis poſſit de martyrio latè dicto accipi. Sanè iam olim Polyeuctus Conſtantinopolitanus Patriarcha, aliíque Græci Antiſtites, Nicephoro Imperatori Conſtantinopolitano ſunt obluctati, qui legem tulerat vt milites in bello cæſi, martyres haberentur, vt ſcribit Zonaras t. 3. Curopalates, Glycas, & alij apud Baronium anno Chriſti 964. Qui idem à Phoca Mauritij ſucceſſore tentatum ſcribit anno 620. allegato Balſamone in Canonem 13. epiſtolæ S. Baſilij ad Amphilochium. Verùm Balſamon tantùm ait tentanti Phocæ martyrum honores militibus impertiri, obluctatos eſſe Græcos Antiſtites autoritate canonis illius S. Baſilij. Quod facile accipitur de Nicephoro qui Phocas cognominatus eſt, & fœlicior plerumque quàm iuſtior, ad cætera infamiæ capita quibus apud hiſtoricos flagrat, hoc quoque adiecit, vt ſacros honores profanatos vellet; æmulatus non antiquum in Chriſtiana Eccleſia vſum, ſed priſcos Ethnicos, ornan

ornandorum militum qui fortiter in pugna cecidiſſent, ſtudiſſimos, vt eſt apud Theodoretum l. 9. aduerſus Græcos; nominatímque Traianum, qui aris conſtitutis & decretis annuis parentalibus, celebrari ſanxit omnes qui in prælio aduerſus Dicebalum occubuiſſent.

Quæ in contrarium non ita pridem oppoſita.

5. Hæc cum iampridem rata ſint in Eccleſia, mirãdum eſt contrarium annis ſuperioribus excidiſſe Iodoco Dambouderio in Chriſtianis Parænelibus, admonitione 7. n. 16. vbi latè contendit, attentis tot militum laboribus, quotquot pro fide & Eccleſia certant, verè ac propriè martyres eſſe habendos. At hoc planè futile eſt, eáque doctrina non vna ex parte rimas agit. Nam quamuis labores militum ſint longè aſperrimi & eorum vita longè ſit durior quacunque aſperitate monaſtica, vt latè traditur apud S. Brigittam l. 3. reuelat. c. 27. tamen hoc ad martyrium preſsè dictum non ſufficit: Non enim certare, & pati labores, ſed morte defungi martyrem facit. Nec mortem bellando oppetere, ſed patienter excipere neceſſe eſt, eum qui martyr renunciatur. Argumentum ſubdit idem autor planè eneruę. Ait enim martyrium eſſe actum fidei vt finis, charitatis vt imperantis; fortitudinis vt principaliter elicientis; patientiæ denique vt elicientis conſequenter. Hæc autem elucere in militum pro fide pugnantium militia atque laboribus. Eſſe igitur verè martyres. Sed & conſecutio nulla eſt, & antecedens multipliciter nutat. Malè enim fides ſtatuitur finis martyrij; malè fortitudo à patientia

ſeiun

ſeiungitur; nec benè imperium martyrij,aſſignatur ſoli charitati. Itaque omnis ea argumentatio labat, negandúmque eſt, militem ſiue pro fide bellantem, ſiue etiam bellando morientem, eſſe verè martyrem.Nulla certè iuſtior fuiſſet martyrij occaſio quàm ea qua in ſummis Eccleſiæ temporibus aduerſus Turcam Europæ vniuerſæ, nominatímque Italiæ imminentem, pugna à Pio II. denunciata eſt Chriſtianis omnibus, ea verborum & rationum vi, vt quantumuis durum lectorem, planè emolliat, & tamen nuſquam mentio fit in ea Bulla, ſubeundi ſic pugnando martyrij, quod maximè fuiſſet vrgendum.

Martyrium non exſoluit obligatione multorum præceptorum.

6. Alius martyrij obex excludendus à martyre adulto, eſt violatio præcepti cuiuſuis tunc vigentis cum ſubeundum eſt martyrium. Siue enim martyrium, vt plerunque accidit, ſit opus duntaxat ſupererogationis,ſiue ſubeatur ex morali neceſſitate, quod aliquando vſu venit, non eſt vnde homo ſe exſolutum putet obſeruatione præcepti quod tunc quoque perſtare & vigere ſupponatur. Itaque eius violatio charitatem & gratiam extruderet: ſermo enim eſt de graui præcepto, cuius violatio lethali noxa hominem contaminet. At ſine charitate habituali, quæ gratiæ ſatellitium eſt,eíque inſociabiliter adhæret, etiam ſi tradiderit quis corpus ſuum ita vt ardeat, nihil ei prodeſt vt fert Apoſtolicum oraculum. S. Chryſoſtomus hom. 56. in Matth.hanc neceſſitatem obſeruandi præcepta in

marty

martyribus quoque locum habere, probat ex illis Chriſti verbis. *Tollat crucem ſuam, & ſequatur me:* Ait enim hoc eſſe ſequi Chriſtum, (quod ſupra crucis ſublationem & paſſionem à martyre expoſcitur,) omnes virtutis numeros perfectè adimplere; nec duntaxat adhibere fortitudinem, ſed omne virtutis genus omníſque iuſtæ legis obſeruationem complecti. [Id enim eſt rectè Dominum ſequi, vt « & propter ipſum cuncta ſufferas, & aliquas virtu- « tes non negligas.] Latè idem confirmat autor libri « de ſingularit.Clericorum apud Cyprianum, nominatímque num. 124. ait. [Credamus ſuper illos « martyrium iam iámque pendere; interim priuſ- « quàm martyres fiant, legibus ſubiacent.] Indubi- « tatus item Cyprianus epiſt. 25. Moyſem & Maximum Presbyteros, cæteróſque Confeſſores, celebrat quod de Chriſtianæ diſciplinæ tenore ſolliciti, datis literis hortati eſſent collegas, [vt Euan- « gelij ſancta præcepta, & tradita nobis ſemel man- « data vitalia, forti & ſtabili obſeruatione tenerent. « Id quod S. Cyprianus optimè factum confirmat, cum ex c.28. Matthæi vbi Apoſtoli iubentur docere baptizatos vt ſeruent mandata; Tum ex 1. Ioan. 2. vbi dicitur [in hoc intelligimus quia cognoui- « mus eum, ſi præcepta eius cuſtodiamus. Qui dicit « quoniam cognouit eum, & mandata eius non ſer- « uat, mendax eſt, & veritas in illo non eſt. Hæc « præcepta cùm cuſtodienda ſuggeritis, diuina & « cœleſtia mandata ſeruatis. Hoc eſt eſſe confeſſo- « rem Domini; hoc eſt eſſe martyrem Chriſti, ſer- « uare vocis ſuæ inuiolatam circa omnia & ſolidam « firmitatem; nec propter Dominum martyrem fieri, & præcepta Domini, deſtruere conari; vti ad- «

« uerſus illum dignatione, quam tibi dederit; armis
« ab illo acceptis, rebellem quodammodo fieri;
« Chriſtum confiteri velle, & Euangelium Chriſti
« negare.] Eandem ob cauſam epiſt. 21. martyres
« deſignatos grauiſſimè admonet, vt [à quibus tam
« deuote & fortiter ſeruatur fides Domino, ab iiſ-
« dem lex quoque & diſciplina Domini reſeruetur.
« Nam cùm omnes milites Chriſti cuſtodire opor-
« teat præcepta Imperatoris ſui, tum vos magis præ-
« ceptis eius obtemperare plus conuenit, qui exem-
« plum cæteris facti eſtis, & virtutis, & timoris
« Dei.] Apertè eandem obſeruantiæ præceptorum neceſſitatem, martyri iniicit, ſcribens ad Cornelium epiſt. 54. n. 16. tametſi eius ibi mentem Scholiaſtes aliò detorquet. Vt autem quod alios monebat hoc ipſe præſtaret, probarétque ſe non eſſe ex eorum numero qui dicunt & non faciunt, quo ex capite laudatur ab Auguſtino ſerm 116. de diuerſ. c. 6. cum eſſet in procinctu ad martyrium, ſategit omnia ad quæ ex Epiſcopi munere tenebatur omnibus numeris implere, & omnibus legibus quibus tunc vrgebatur, exolui: vt teſtatur S. Augu-
« ſtinus ſerm. 12. in append. Paris. [Sic enim (inquit
« Auguſtinus) ſe meminerat fore martyrem, vt ſe
« eſſe non obliuiſceretur Epiſcopum.] Similiter ergo Chriſtiano cuicunque, mortem pro cauſa Chriſti ſubituro memoria repetendum eſt, ſic mox ſe fore martyrem, vt nunc meminerit ſe eſſe Chriſtianum: ac proinde ſtatuat neceſſe eſt, omni ſibi Chriſtiano munere ritè eſſe defungendum. Idque peruidentes SS. Martyres Nicomedienſes, Maximiani edicto intra templum comburendi 25. Decemb. tametſi baptiſmus cruentus inſtabat, & quidem

dem perfectiſſimus; tamen non idcirco baptiſmi aquæ ſuſcipiendi lege exſolutos qui aderant catechumenos cenſuerunt. Itaque confeſtim eos luſtrarunt expiatricibus aquis, vt eorum acta quæ Baronius t. 2. exhibet, teſtatum faciunt.

Colligitur neceſſitas Confeſſionis Sacramentalis, reſpectu peccatoris ante martyrium.

7. Hæc generatim de neceſſaria martyri obſeruatione præceptorum tunc vigentium. Vt autem in particulari, adhibito vno aut altero exemplo doctrinam propoſitam illuſtrem, ex ea apertè concluditur, peccatorem cui ſit confeſſarij copia, ſi peccata confiteri renuat, non eſſe verum martyrem, quamuis mortem pro Chriſto excipiat: quia Deus non habet acceptum teſtimonium peccatoris, conſultò violantis legem diuinam de grauium peccatorum confeſſione, quam ſupponitur obire poſſe in eo articulo. Poſſet tamen bona fides peccatori ſuffragari. Nam ſi inuincibiliter exſtimaret ſe confeſſionis lege exſolutum, poſſet nihilominus martyrij fructibus gaudere: quia ratione bonæ fidei qua duceretur, exiſtimans ſe non teneri lege, non violaret legem. Itaque dummodò vel contritione perfecta, vel qualicunque dolore, adiuncto paſſioni pro Chriſto, ad gratiæ ſuſceptionem diſponeretur, poſſet mors illius, cum eo ſaltem, aliàs diminutæ diſpoſitionis rudimento coniuncta, ad martyrium ſatis eſſe, vt infra dicam, & exemplo Sacramentorum bona fide ſuſceptorum confirmabo. Nunc enim duntaxat attendo exſolutionem à præcepto & lege; qualis eſt lex de

confeſſione grauium peccatorum ante mortem præmittenda, cum facultas ſuppetit. Ea igitur lex accedente bona fide, poterit non eſſe fraudi violata, dummodò nullum medium ad ſalutem abſolutè neceſſarium deſideretur, cuiuſmodi eſſe reſpectu peccatoris aliquem dolorem, infra monſtrabo.

Item quàm ſit prouocatione hoſtium abſtinendum, extra grauem cauſam.

8. Præterea ex doctrina propoſita infertur, prouocationem infidelis ad mortem inferendam, ſecluſa idonea & graui cauſa, continere graue peccatum, ac proinde vero martyrio obſtare. Sanchez lib. 2. in decalog. c. 34. num. 15. affirmat, culpam huiuſmodi prouocatoris, eſſe tentationem Dei: nempe interpretatiuam, quæ præter alios modos tunc accidere cenſetur, cum quis abſque neceſſitate in apertum vitæ diſcrimen ſe coniicit. Pleríque ſanè Patres, prouocationem de qua agimus, tentationem Dei appellant, vt mox videbimus prolatis eorum locis. Et quanquam in aliis pleríſque materiis ægrè oſtendatur, quomodo modus ille Deum interpretatiuè tantùm, tentandi, aduerſetur religioni: Tamen in præſenti negotio, non eſt obſcurum qua ratione qui ſic ſe exponunt cædis periculo, peccent in religionem. Blaſphematur enim per eos nomen Dei inter infideles: & religio, cum ab iis qui mortem irrogant, tum ab aſtantibus, aliiſque ad quos fama manat, laceratur atque proſcinditur. Inſuper verò ea ſui inconſulta coniectio in diſcrimen, & Ethnici prouocatio ad mortem inferendam,

rendam, non vna alia labe ſordet. Nam & malitiam temeritatis continet contra fortitudinem, & malitiam iniuſtitiæ ad quam prouocator inducitur, ſuggerendo illi cauſam qua iuſtitiam violet. Quamuis enim ipſe homo non poſſit ſibi eſſe verè iniurius, & cum directè alium hortatur ad crimen ex quo videt inferendam iuri ſuo plagam, cenſeatur ex parte ſua iuri illi nuncium remittere: Tamen quia vniuerſa Reſpublica iniuriam patitur in cæde iniuſta hominis annuentis, quam amoliri intereſt communitatis humanæ; idcirco illi ad cædem propriam prouocationi, labes iniuſtitiæ inexpurgabiliter admiſcetur. Sicut cum maritus vxori ſuæ lenocinatur, quamuis in eum non admittatur iniuria, vt hæc perſona eſt, ob interpoſitam iuris ſui ceſſionem per lenocinium, tamen qui eam fœdat, in ſtatum coniugalem iniurius eſt, veréque adulter. Denique perſpicua etiam eſt in ea prouocatione, labes contra charitatem propriam, & legitimum illum amorem quo quiſque carnem ſuam nutrire & fouere debet.

Tot igitur maculis & turpitudinibus ſordentem, temerariam prouocationem, mirum non eſt veri martyrij decora præcludere. Et idcirco à grauiſſimis Patribus improbatur, quorum aliquos iuuerit audire. Clemens Romanus 5. Conſtitut. c. item 5. grauiter admonet, ne prompti ſimus ad obiiciendum nos periculis, eo quod iuſſi ſimus orare nè intremus in tentationem. Si tamen tentatio inciderit, perſtandum eſſe animosè atque conſtanter.

9. Clemens Alexandrinus 4. ſtrom. c. 2. expendens ſophiſmata hæreticorum, (puto Marcionitarum,) contra martyrij honeſtatem, ſic ſcribit. [Di-

« citius nos quoque, eos qui de induſtria mortem « quærunt(ſunt enim quidam non noſtri, ſed tantùm « nominis participes, qui quidem ſeipſos magno « ſtudio contendunt tradere, propter odium in creatorem miſeri, mortem cupientes:) eos, inquam, « dicimus ſeipſos producere abſque vllo martyrio ac « teſtificatione, etſi publicè puniantur. Fidelis enim « teſtimonij non ſeruant characterem, qui eum, qui « verè Deus eſt, non cognouere. Vanæ autem morti « ſeipſos tradunt, ſicut ſe temerè in ignem coniiciunt « Indorum Gymnoſophiſtæ.] Et infra cap. 5. tractans « Chriſti de capeſſenda fuga oraculum. [Non ſuadet « fugere, tanquam malum ſit pati perſecutionem: nec « vt mortẽ extimeſcẽtes, iubet nos eam fuga declinare. Vult autem nos nullì eſſe auctores, neque alicuius « mali cauſæ adiutores, nec nobis ipſis, nec ei qui perſequitur, nec ei qui interimit. Denunciat enim quodammodò vt caueat. Qui autem non obedit, eſt « audax, & temerarius, & inconſultè ſe in manifeſta pericula coniiciens. Si autem qui hominem Dei « interimit, in Deum peccat, is quoque eius cædis « reus tenetur, qui ſe offert iudicio. Is autem fuerit « qui non vitat perſecutionem, ſe capiendum præbens per audaciam. Is eſt, qui quantum in ſe eſt, « adiuuat improbitatem eius qui perſequitur. Quod « ſi ipſe etiam cauſam præbens, feram planè irritet, « ſimiliter etiam ſi præbeat aliquam pugnæ cauſam, « vel damni, vel iudicij, vel inimicitiarum, is occaſionem peperit perſecutionis. Et ideò iuſſi ſumus « nihil retinere ex iis quæ ad hanc vitam pertinent: « ſed ei qui tollit pallium, præterea etiam dare tunicam: non ſolùm vt permaneamus obnoxij nullis « animi perturbationibus, ſed ne ea vendicantes, eos

qui

qui in iudicio contendunt, in nos reddamus efferatos, & per nos eos commoueamus, vt nomen maledictis appetant.]

10. Creber ac diligens in hanc rem eſt, Clementis olim auditor Origenes. Sed perpulchrè tomo 31. in Ioan. ad illud *IESVS ergo iam non palam ambulabat apud Iudæos.* Eius enim ſeceſſionis cauſam reddens, ſic ſcribit. [Hæc & his ſimilia ſcripta fuiſſe cenſeo, volente Ieſu nos aduertere ne iracundiùs ac inconſideratiùs inſiliamus in certamen mortis, pro veritate teſtimonium præbituri. Etenim honeſtum quidem eſt, ſi inciderit certamen pro confitendo Ieſum, confeſſionem non differre, neque tardare mortem pro veritate oppetere. At non minùs quàm hoc honeſtum eſt, tali tantæque tentationi occaſionem non dare, ſed omnimodo vitare eam: non ſolùm quia tantæ rei exitus incertus ſit nobis, verùm etiam ne nos occaſio ſimus, vt magis peccatores, magíſque impij euadant illi, qui nondum ſanguinem noſtrum reipſa effudiſſe, rei ſunt facti, ſi quæ in nobis ſunt facientes, declinauerimus eos, qui inſidias nobis vel ad mortem vſque moliuntur; ſed puniendi alioqui maiori, grauioríque pœna noſtri cauſa, ſi noſtri amantes rebus illorum poſt habitis, expoſuerimus nos ipſos interficiendos, nulla nos neceſſitate vrgente. Nam ſi etiam qui alicui occaſio peccati factus fuerit, is pœnas dabit ob ea quæ ſui cauſa peccauerint aliqui homines, quomodò non etiam pœnas daturus eſt, qui cum declinandi facultatem habeat, ne proditor ille Chriſtiani ſit hominis, & inſidiator cultus diuini erga Ieſum, non declinauerit, imo potiùs concitauerit? Etiamſi quod ad promptitudinem at-

« tinet, fortitudinémque, hac in re honore ac lau-
« de ſit dignus, apud Deum, quem piè colit, apúd-
« que ſeruatorem quem confeſſus fuerit.]

De Gregorio Neocæſarienſi, Origenis quondam diſcipulo, ſic ſcribit S. Gregorius Nyſſenus in eius vita, poſt deſcriptam horrendam perſecutionem
« in Chriſtianos. [Tunc magnus ille vir, conſidera-
« ta imbecillitate ac fragilitate humanæ naturæ, vt
« potè quod multi non poſſent vſque ad mortem pro
« pietate decertare, conſuluit Eccleſiæ vt parumper
« horribilem illum impetum, atque irruptionem de-
« clinaret, ſatius eſſe ducens per fugam animas ipſo-
« rum ſeruari, quàm in acie certaminum ſtantes, fi-
« dei fieri deſertores. Et vt maximè hominibus per-
« ſuaderetur, nullum animæ periculum afferre ſi vel
« fuga fidem ſeruarent, ſuo exemplo auctor ipſis ſe-
« cedendi fit, ipſe ante alios ſecedendo, periculi im-
« petum deuitans.] Tantum ergo abeſt, vt S. Gregorius prouocationem hoſtium fidei approbaret, vt potiùs fugæ auctor & magiſter efficeretur, veritus ſuorum imbecillitatem, & quia ſatis agnoſcebat ſeceſſionem ſuam non fore Eccleſiæ inutilem, imo maximè commodaturam ſi ſe ad meliora tempora ſeruatum vellet: id quod euentum poſtea comprobaſſe, obſeruat Nyſſenus.

11. Menſurius Carthaginenſis Epiſcopus, grauiſſimè idem tradidit, vt eſt apud S. Auguſtinum in breuic.collat.diei tertiæ cap. 13. Refert enim D. Auguſtinus, in prolatis per Donatiſtas Menſurij literis
« lectum fuiſſe, [eos qui ſe offerrent perſecutionibus,
« non comprehenſi; & vltrò dicerent ſe habere ſcrip-
« turas quas non traderent à quibus hoc nemo quæ-
« ſierat, diſplicuiſſe Menſurio, & ab eis honorandis,
cum

eum prohibuiſſe Chriſtianos.] Id eſt vetuiſſe, ne « martyrem albo adſcriberentur, quod pro poteſtate ſummi in vniuerſa Africa ſub Romano Pontifice Primatis, prohibere facilè poterat.

S. Petrus Alexandrinus, in Canonibus de reſtitutione lapſorum, cum ad eos deuenit qui martyrio ſe obtruſerant, ſic ſanxit [Ii quoque qui tanquam « ex ſomno, ad certamen, quod eſt conſideratione « parturiendum, & maturo conſilio differendum, pro- « ſiliunt, pugnæque maritimæ & multæ fluxuum in- « undationis tentationem attrahunt, vel potiùs fratri « bus peccatorum carbones accendunt; ipſis quoque « communicandum eſt, vt qui in nomine Chriſti ad « id veniant: Et ſi verba eius non animaduertebant, « qui docet, non eſſe ingrediendum in tentationem, « & eum rurſus in oratione Patri dicere: & ne nos « inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. For- « taſsè autem etiam ignorant noſtrum patremfami- « liàs, & Dominum noſtrum, ſæpè abiis, qui illi inſi- « diari volebant, ſeceſſiſſe: Et quandoque etiam liberè « apud eos non incedebat: Et quòd etiam, quando « paſſionis tempus appropinquauit, non ſeipſum tra- « didit, ſed expectauit donec ad eum veniſſent gla- « diis & fuſtibus. Dicit ergo eis: Tanquam ad latro- « nem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere « me. Qui etiam tradiderunt ipſum Pilato. Ad eius « quoque ſimilitudinem iis accidit, qui eius ſcopum « ſibi proponentes incedunt, nec diuinorum eius ver- « borum recordati, per quæ nos confirmans, de per- « ſecutoribus dicit: videte autem vos metipſos: tra- « dent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapula- « bitis. (Tradent enim, dixit; non vos ipſos tradetis:) « Et ad principes & Reges ducemini propter nomen «

« meum; (non vos ipſos ducetis.) Nam nos quoque
« vult à loco in locum tranſire, dum ſunt qui nos
« perſequuntur propter nomen eius. Sicut eum rur-
« ſum dicentem audiuimus: cùm vos perſecuti fue-
« rint in vna ciuitate, fugite in aliam, Non enim vult
« ad Diaboli ſtipatores ſatellitéſque confugere, ne
« ipſis queque multifariæ mortis cauſa ſimus, vt qui
« ipſos & aſperiores eſſe cogamus, & opera morti-
« fera peragere; ſed expectare & nobis cauere, vigila-
« réque & orare ne intremus in tentationem.]

12. Ex S. Athanaſio, eiuſdem cum Petro, Alexandrinæ ſedis Antiſtite, plurima ſuppeterent, ſi res ferret, cum iuſta extet apud eum de hoc argumento tractatio, qua ſeceſſum ſuum excuſat, & iuſtitiæ ac æquitatis pleniſſimam, prudentem fugam; ſcatentem autem multiplici ſorde, hoſtium fidei prouocationem, aperit eadem opera. Breuiter itaque vnum
« aut alterum Apologiæ illius locum delibo. [Non
« formidine mortis me in fugam dedi, ne quis me ti-
« miditatis accuſet, ſed vt Saluatoris præcepto ob-
« temperarem, cuius mandatum eſt, vt contra perſe-
« cutores fuga, contra indagatores latebris vtamur, ne
« ſi nos in apertum periculum offeramus, acriùs pro-
« uocemus perſequentium furorem. Siquidem in
« æquilibrio eſt, & ſeipſum occidere, & ſe inimicis ad
« occidendum propinare. Qui autem fugit vt Domi-
« nus præcepit, is temporum articulos nouit, & verè
« ſuis perſecutoribus cauet ne vſque ad ſanguinem
« fundendum euecti, rei fiant eius præcepti quod ho-
« micidium vetat:] Et inferius ſub Apologiæ finem.
« [In vniuerſum omnibus, ea lex propoſita eſt, vt fu-
« giant dum in perſecutionibus appetuntur, & occul-
« tent ſeſe dum quæruntur: neque præcipites temera-
riíque

riíque ſint in tentando Domino, ſed expectent « donec definitum moriendi tempus aduenerit, aut « iudex ille aliquid ex iis quod ſibi rectum videatur « conſtituerit. Sed tamen nos ſemper paratos eſſe vo- « luit, vt vel vocante tempore, vel apprehenſi pro « Eccleſia, vſque ad mortem dimicemus. Hæc & beati « martyres temporibus perſecutionum, obſeruaue- « runt, iidémque quãdiu in latebris erant, ſeſe occul- « tabant. Vbi autem inuenti eſſent, martyrium obibãt. « Quod ſi quidam ex iis, ſe perſecutoribus dedidere, nõ « temeritate eò rapiebantur, ſed paſſim apud omnes « profitebantur à Spiritu ſancto hãc promptitudinem « ſuique oblationem, profectam eſſe.] Tandẽ ferè in « fine Apologiæ. [Neque Dauid in ſpelunca exhibuit « ſe Saüli, neque filij prophetarũ ingeſſerunt ſe Achabo. « Id enim erat facere contra Dei præceptum, cum « in ſcripturis habeatur non tentabis Dominũ Deum « tuum.] Non eſt omittenda praxis ipſius Chriſti quam vrget paulo ante, & nonnulla diſparitas inter eum & ſanctos alios hac in parte. Monſtrat enim diligenter Chriſtum, priuſquàm adueniſſet horà eius, occultaſſe ſeſe & ſubduxiſſe multotiès. Tempore autem præfinito, adueniente, vltrò ſe obtuliſſe. Quod ſancti ſecluſa diuina peculiari inſpiratione, nunquam faciùnt, quia nunquam ſciunt adueniſſe horam ſuam. Comprehenſi tamen, generosè perſtant in fide, nec vel cruciatibus, vel promiſſis caducis ab ea ſe abduci patiuntur.

Vno aut altero Nazianzeni loco prolato, receptui cano. Orat. 10. quæ eſt Cæſarij fratris laudatio [Malis temporibus cedit, (*Cæſarius*) in eóque legi « noſtræ obtemperat, quæ hoc ſancit, vt vrgente qui- « dem tempore, pro veritate periculum adeamus, «

« nec pietatem per ignauiam prodamus: Quandiu « autem licet, pericula ipſa ne prouocemus: ſiue ani« marum noſtrarum metu, ſiue vt iis conſulatur, qui « periculum nobis inferunt.] Metum animarum noſtrarum, vocat timorem pereundi in periculo adamato. Et orat. 20. qua S. Baſilium celebrat, num. 13. « agens de ſeceſſione maiorum. S. Baſilij. [Illi qui« dem animo ita conſtituti & comparati erant, vt ea « omnia facilè perpeſſuri, ob quæ Chriſtus eos, qui « ipſius certamen noſtra cauſa ſuſceptum imitantur, « corona donat. Verùm quoniam certamen quoque « legitimum ipſis eſſe oportebat, (lex autem marty« rij hæc eſt, vt nec nos vltrò ad certamen acceda« mus, hac nimirum ratione tum perſecutoribus, tum « imbecillioribus athletis conſulentes: nec, cùm præ« ſentes ſumus, certamen detrectemus; Illud quippe « temerarij ac præcipitis eſt animi, hoc timidi & « ignaui:) in hac quoque re legiſlatorem honore affi« cientes] &c. Pergit eorum ſeceſſionem deſcribere, quam aſtruens, ſimul vt vidiſti prouocationem damnat, & veri martyrij legibus aduerſantem ſtatuit, quod in Concilio quodam Cordubenſi conſtitutum eſſe, refert S. Eulogius lib. 2. memorialis SS. cap. 15.

Facta quædam Sanctorum in contrarium.

13. Videbimur, nonnullos, imo nationem filiorum Dei reprobaſſe, prouocationem perſecutorum damnantes. Innumeri enim SS. Martyres, hoſtes fidei laceſſiuerunt, & ſopitorum (vt ita dicam,) canum auriculas vellentes, non extimuerunt martyrij gloria excidere. Paucos qui nunc occurrunt an-

noto.

noto. Apud Tertullianum, l. ad Scapulam c. 5. omnes cuiuſdam Aſianæ ciuitatis Chriſtiani Arrio Antonino præſidi ſe obtulerunt, morituri pro Chriſto, & aliqui facti ſunt voti compotes. S. Gordium celebrat S. Baſilius luculenta de eo oratione, ſed præſertim ex ſumma fortitudine quam prodidit deſcendens vltrò in arenam, ac è ſolitudine in quam ſeceſſerat fugiens vrbanos tumultus, & ea pietatis interturbamenta, quæ magna & multa vrbes tanquam magnæ naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt; proſiliens in ſtadium, fidem ibi ſuam profeſſus prouocauit in ſe hoſtem. Nam in ſtadio, tunc temporis, turba confertiſſima Ethnicorum, ipſéque cum toto ſatellitio præſes equeſtri ſpectaculo paſcebatur. [Plenum erat ſtadium, (inquit S. Baſilius) & omnis iam turba conſederat, « equeſtre certamen videre intenta. Tunc magnani- « mus ac fortis heros per montis cliuum in theatrum « properans, non populum horruit, non quàm ho- « ſtilibus ſe manibus traderet, penſitauit, ſed corde « intrepido & animo excelſo quaſi quædam continua « ſaxa, aut arbores multas, eos qui circa ſtadium « ſedebant prætercurrens, in medio conſtitit ſtadio, « complens dictum illud, iuſtus vt leo confidenter « agit. Quid plura? Adeò intrepido excelſóque ani- « mo fuit, vt cùm in eminentiore theatri parte ſtaret, « ingenti voce, quam qui audierunt extant adhuc ali- « qui, exclamauerit, & clarè illud Apoſtoli ad Ro- « manos dixerit. Ecce inuentus ſum ab iis qui me « non quærunt: his qui me non interrogabant, pa- « làm apparui. Quibus ſanè verbis ſe in eum veniſſe « locum ſignificauit, minimè coactum, ſed vltrò ſe « ad certamen exhibuiſſe, ſeruatoris exemplum ſecu- «

tum,

" tum, qui cùm per atram noctem minimè videre-
" tur, ſe Iudæis manifeſtauit.'] Et mox poſt deſcri-
" tam eius intrepiditatem coram Præſide. [Tantum
" abeſt, vt intentas horreret pœnas, vt eas vltrò in
" ſe prouocaret, ſuppliciíque moras vehementer
" increparet. Quid, inquit, tardatis? Quid ſtatis? cor-
" ripite corpus, membra fruſtatim cædantur; deni-
" que quodcunque de me ſupplicium volueritis, ſu-
" mite. Nolite mihi beatam ſpem inuidere. Quanto
" enim mihi plus tormentorum acceſſerit, tantò plus
" referam præmiorum.]

14. Apud Euſebium 8. hiſtor. c. 19. tres SS. athletæ, Antonius Presbyter, Zebinas Eleutheropolitanus, & Germanus, excitata dira perſecutione per Maximinum, quam ipſi etiam Gentiles nimiæ crudelitatis & inhumanitatis damnabant, alacres prodierunt in arenam, hoſtem fidei prouocantes.
" Sic enim ait Euſebius. [Diuina ſeruatoris noſtri vir-
" tus, his athletis tantam denuò animi iniecit fiden-
" tiam, & quaſi cœlitùs inſpirauit, vt cùm nemo il-
" los vi impelleret, raperétque ad fidei ſuæ confeſ-
" ſionem, vltrò offerrent ſeſe, & omnes eiuſmodi
" terrores ac minas, ſtrenuè protererent, & tan-
" quam pedibus conculcarent. Idcirco tres ex fideli-
" bus ſimul, vno animorum conſenſu; contra præſi-
" dem immolantem inſiliunt, & alta voce, tali errore
" atque amentia deſiſtere hortantur. Nam non alium
" eſſe Deum, præter eum qui omnium rerum effe-
" ctor, & architectus eſt, aſſerũt. Rogati ergo, quinam
" eſſent, Chriſtianos ſe audacter confitentur. Qua de
" cauſa Firmilianus acriùs & vehementiùs concita-
" tus, abſque vllo alio ſupplicij genere, capite mul-
" ctandos tradidit.] S. Abibus Diaconus Edeſſenus, vt
eſt

eſt in eius Actis quæ exhibet Metaphraſtes 15 Nouembris, mota per licinium perſecutione, alacer aduolauit; & volenti eum dimittere tribuno Theoterone, negauit ſe abſceſſurum, ſed obfirmatè voluit præſidem adire, & apud eum fidei confeſſionem expromere, eámque maximè ob cauſam ditiſſimè tortus eſt, Præſide eam generoſitatem contemptum legum & publicæ poteſtatis interpretato. S.Paphnutius Monachus, non ille cuius apud Caſſianum frequens cum laude mentio, ſed alius ſub Diocletiano martyr, cuius acta ex Metaphraſte exhibuit Surius 28. Aprilis, vltrò ſe iudici ſtitit, non quæſitus. Apud Euſebium 6. hiſtor. c. 34. S. Beſas non diſſimiliter Chriſtianam fidem nemine vrgente profeſſus, ſuppliciorum atrocitatem in caput ſuum deuocauit. Martyres Cordubenſes qui vltro ad prouocandos Mahumetanos accurrerant, ſummis laudibus effert S.Eulogius l.1. memor.Sanctor. & alios præterea profert cap.16. vt S.Sebaſtianum, S.Babylam, S. Eulaliam. Quid igitur his aliíſque permultis faciendum, ſi procuratione hoſtium fidei interdicitur, indéque martyrij gloria non obſcuratur modò, ſed etiam extinguitur?

Pura prorſus & ſancta, demonſtrantur.

15. Hanc difficultatem vt eliderem, non damnaui abſolutè ac ſimpliciter prouocationem, ſed tantùm ſi deſit grauis & proportionata cauſa. Poſſe enim per eam honeſtari coniectionem vitæ in diſcrimen ex prouocatione, dubitare non licet. Eiuſmodi cauſa eſt iuxta S. Eulogium l.1. memor. Sanctor. n.20. periclitans ex ſilentio fides, eiúſque depreſſio

pœſſio conſecutura, ni veritatis teſtes vltrò accurrant, & fidei ſuæ profeſſionem, hoſtibus vel nolentibus ingerant. In quo euentu neceſſarium eſſe vltrò procedere, & hoſtes generoſa confeſſione prouocare, confirmat S. Eulogius eo loco; cum prolatis variis Sanctorum exemplis, tum etiam nonnullis ſcripturis adductis: cuiuſmodi eſt locus ille de Chriſto apud S. Lucam c. 9. *obfirmauit faciem ſuam vt iret in Hieruſalem:* quod de exemplo ſponte properandi ad martyrium interpretatur allegato B. Hieronymo: ex quo etiam illa in hanc rem illuſtria verba profert, quæ in prædicto euentu locum habent. [Non eſt delicata in Deum & ſecura confeſſio; qui in me credit, debet ſuum ſanguinem fundere.] Quaſi diceret, vt Eulogius interpretatur, non eſſe ſemper vmbratili & ſecura fidei confeſſione vtendum; ſed aliquando, etiam ſi ſanguis fundendus ſit, intrepidè ac generosè laceſſendam eſſe perfidiam, vltro aditis propter Deum diſcriminibus mortis: vt factum eſt ab Apoſtolo, quem conſequenter allegat S. Eulogius; Nam prænunciante Agabo, vincula & tribulationes, & precantibus enixè fidelibus, ne aſcenderet Hieroſolymam, ſéque Iudæorum rabiei exponeret, digna Paulo voce reſpondit: *Ego non tantum alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini IESV.* Tandem prolatis variis SS. exemplis qui vltrò prodiderant in certamen, concludit S. Eulogius. [Multi alij ſponte ſe obtulerunt, & coronati ſunt. Et idcircò, vt quidam ſapientium meminit, inter primas dignitates regnorum cœleſtium ſunt ponendi, qui ad paſſionem venerunt non quæſiti: & excellentis voti eſt, inter tormenta proſili

proſilire, vbi nō eſt criminis latuiſſe. Sed in veritate «
crimen eſſe fatendum eſt, latitare, ſi virtus excellētis «
meriti eſt, vltrò procedere; quando fidei noſtræ con- «
feſſio prędicationē exigit, & teſtimonium poſtulat.] «

16. En quam ille duxerit cauſam idoneam, imo «
& neceſſariam, prouocandi aduerſarios, nec tam excipiendi patienter illatum, quàm ex ſe ruendi animosè in martyrium vltrò quæſitum. Quod cum præſtitiſſent SS. Martyres Cordubenſes, Emeterius & Celedonius, quia per Mahumetanam inibi potentiam obſoleſcere Chriſtianitatem videbant, hoc eos elogio exornat ibi ſanctus Eulogius n. 14. præter ſerta perpetuarum laudationum in alios ſimilia auſos, toto operi intermiſtarum. [Cum trade- «
re pro Domino animas anhelarent, tali ſeſe ad «
paſſionem aſtantes hortatu impellunt: Feriat vbi- «
que hoſtem miſſilibus ſuis vibrata confeſſio, & la- «
tentem fidei inimicum, vbicumque fuerit, inqui- «
ramus. O incomparabilis magnanimitas, & forti- «
tudo admiranda, laudanda, atque imitanda San- «
ctorum. Qua etiam ſi torpeat inimicus, ac perſe- «
qui Eccleſiam Dei deſinat, irrumpere tamen late- «
bram eius, & incitare ipſum ad bellum iubemur, «
vt hoſtem frigidum ſtrenuus agonotheta accendat, «
proferat latentem, erigátque ad conferenda certa- «
mina deſidem. Et quanquam effuſo cruore conſter- «
natis membris ſuccumbat, fieret tamen ad ſedem «
patris captum ex hoſte triumphum, ſpiritus belli- «
ger victoriæ laurea potiturus: quia in eo vires mi- «
litis comprobantur egregiæ, quod non requiſitus, «
vltrò ſe obtulerit palæſtræ martyrii, ſancta ſcriptu- «
ra teſtante: qui propria voluntate obtuliſtis vos «
diſcrimini, benedicite Dominum. Si ergo qui zelo «

V tor,

« charitatis noſtræ aduerſariis noſtris fidelis expugna-
« tor, occurreret, arma ſumeret, enſibus deſæui-
« ret, animam ponere contenderet, nequaquam
« eum immunem condignis pateremur donariis,
« eiúſque liberalitatem largo munificandam benefi-
« cio cenſeremus. Quanto potioris gloriæ honore
« ferendi ſunt, qui obtentu capeſſendi gratiam Re-
« gis æterni, vigore aucti iuſtitiæ, ad obitum quoque
« reſiſtentes infenſis, crudeli morte perempti ſunt?]

Quæ in laudem Marci Epiſcopi Arethuſij *athletæ* vt vocat *voluntarij*, ſcripta ſunt à Nazianzeno orat. 3. digniſſima ſunt quæ hìc attexantur. Mi-
« rificè quippe ad rem faciunt. [Cùm populum,
« aduerſum ſe incitatum, nec moderati quicquam
« vel cogitantem vel comminantem cerneret; pri-
« mùm conſciſcendæ fugæ conſilium init: non tam
« ignauia fractus, quàm præcepto illo permotus, quo
« è ciuitate fugere, & perſecutoribus cedere iube-
« mur. Neque enim Chriſtianos quantumuis fortes
« ac ſingulari tolerantia præditos, ſui tantùm ratio-
« nem habere oportet, ſed perſecutoribus quoque
« conſulere, vt ne quantum in ipſis eſt, ad hoſtile
« periculum ex ſeipſis aliquid conferant. At poſt-
« quàm multos ſua cauſa duci atque abſtrahi, multos
« etiam ob perſequentium crudelitatem in animæ
« periculo verſari intellexit, tum verò alios ob cau-
« tionem ſuam periclitantes, negligere minimè ſu-
« ſtinuit. Ac proinde præſtantiſſimum, maximéque
« philoſophicum conſilium capit. Ex fuga enim redit,
« ſeſéque vltrò plebis arbitrio tradit, atque aduerſus
« temporis difficultatem, velut aciem inſtruit.] Subiicit quàm is reditus Arethuſios exacerbarit, interpretantes regreſſum illum non fortitudinis eſſe ſed

contem

contemptus. Itaque conceptam pridem in eum rabiem Chrſtianorum Imperatorum autoritate veluti frœnatam, ruptis per Iuliani defectionem obicibus, omnem in eum exprompſerunt, ſancto athleta, incredibili hilaritate ac robore, ad immaniſſimos cruciatus durante, quamuis ætatis fæces hauriret. Quem voluntarium in arenam deſcenſum, ex cauſis propoſitis ſuſceptum, ſummoperè celebrat Nazianzenus.

17. Dignè planè exornandi ſimiliter ſunt, quotquot tantæ virtutis decora æmulati, ſimili cauſa idonea poſtulante, non extimeſcentes hoſtium fidei immanitatem, vltrò apparuerunt iis qui illos non interrogabant; & iiſdem generoſa fidei profeſſione prouocatis, corporum ſibi exitium accerſiuerunt. Et quamuis plerumque ingens ille prouentus diuinæ gloriæ, ſpicula mortalium lumina & hebetes obtutus effugiat, tamen cum conſtat de Spiritu ſancto ad huiuſmodi facinora impellente, non eſt quod de ea aliáve quapiam idonea cauſa prouocationem honeſtante, ambigatur. Atque ita quia Eccleſia, omnes quos recenſuimus hoſtium fidei prouocatores, agnoſcit pro Sanctis, ac proinde Spiritu ſancto actos in certamine extremo profitetur, dubitandum non eſt, quin legitima prouocandi cauſa interuenerit: cuius defectu, prouocatio in ruinam perſecutoris & Dei offenſam cedens, omnis boni ſterilis, & malorum feraciſſima, *profanum martyrium* non verum & Deo gratum infert, vt loquuntur aliqui apud S. Eulogium lib. illo 1. num. 9. improbantes martyrium eorum [quos nulla violentia præſidalis fidem ſuam nega- « re compulit, nec à cultu ſanctæ piæque religionis «

" amouit: ſed propria ſe voluntate diſcrimini ſe offerentes, ob ſuperbiam ſuam), ita dicebant,) " ſuarum parricidæ effecti erant animarum.] Hoc tamen illos male intorſiſſe in SS. illos martyres de quibus eo opere diſputatur, rectè in conſequẽtibus demonſtrat S. Eulogius, quod impellente Spiritu Sãcto, & ob eam quam ex ipſo retulimus idoneam cauſam, Mahumeti probra coram Saracenis protuliſſent, & compoſitam Mahumetiſmo, Chriſtianæ fidei ſanctitatem frendentibus Dei hoſtibus profeſſi eſſent. Id enim multis terrenam duntaxat pacem in diebus ſuis pro more quærentibus diſplicuiſſe, non diſſimulat Sanctus Pontifex, illa ſe quoque exprobratione tactum referens, quod ſanctos hoſce prouocatores approbaret, tanquam chriſtianè, & dignè Deo, ac fide noſtra operatos: *Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere feciſtis nomen noſtrum coram hoc tyranno, & ſeruis eius, & prebuiſtis eis gladium vt occiderent nos.* Quod ſicut interpellante Moſe exarſerat Pharaonis in Dei populum furor, ita ex quo ſancti illi fidem ſuam vltrò profeſſi, & Mahumetem abominati eſſent, grandis procella ſuper vniuerſum Chriſtianum nomen increuiſſet. Quam ſopitam volens Rex ipſe Cordubenſis, Saracenus, & perſecutor Chriſtianorum Habdarrahgman, conuocatis Cordubam Chriſtianis regni ſui Præſulibus, edici curauit, *illicitum eſſe ad palæſtram profeſſionis diſcurrere.* In quæ verba conceptum fuiſſe ab Epiſcopis decretum, obſeruat S. Eulogius l. 2. c. 15. vt Tyranno vtcunque ſatisfieret, nec veritas læderetur. Reuera enim, in bono ſenſu, id eſt ſecluſa cauſa idonea & peculiari impulſu Spiritus ſancti, illicitum

tum eſt hoſtes fidei ſic prouocare, & vitam fruſtra prodigere.

Profanorum Templorum, ararum, idolorum deiectio, aut deſtructio ferè improbata.

18. In eundem cum prædictis damnatis prouocatoribus ordinem; relati olim in Eccleſia leguntur, idolorum deiectores aut confractores, iiſque affines templorum euerſores, & ararum, ſi eos ob talem cauſam morte mulctari contingeret. Sic enim in Concilio Eliberitato canon his verbis eſt editus. [Non referatur in numerum martyrum, qui in- " uentus frangens idola, ibi occiditur.] Quanquam " autem inconſulta idolorum confractio à quocunque facta, cum turbanda inde eſſet Eccleſia, & malorum ſeges nullo fructu aduocanda, meritò damnaretur: Tamen multo magis damnanda fuit plena rabiei Circumcellionum audacia, in quam intortum fuiſſe Eliberitanum illum canonem demonſtrat Ferdinandus Mendoza l. 3. pro eo Concilio à c. 45. Teſtatur certè S. Auguſtinus ſerm 6. de verb. Apoſt. Circumcelliones concitaſſe Ethnicos in ſuum exitium, frangendo eorum idola, aráſque euertendo, vt per exceptam ea occaſione, nullo iure aut fructu cædem, martyres haberentur. Nec repugnat alibi idem Auguſtinus cum ait de Circumcellionibus. [Quando adhuc cultus fuerat ido- " lorum, ad paganorum celeberrimas ſolemnitates " ingentia turbarum agmina veniebant, non vt ido- " la frangerent, ſed vt interficerentur à cultoribus " idolorum. Nam illud ſi accepta legitima poteſtate " facere vellent, ſi quid eis accidiſſet, poſſent habe- "

" re qualemcunque vmbram nominis martvrum;ſed
" ad hoc ſolùm veniebant, vt integris idolis ipſi pe-
" rimerentur.] Ita Auguſtinus epiſtol. 50. non negans veniſſe plerunque Circumcelliones ad confringenda idola, & captandam inde mortem, ac gloriam ementiti martyrij; ſed rem ex fine penſans, illos cædis ſuæ, non confractionis idolorum reos egit, eo quod in idolorum confractione cladem ſuam quærerent, & ad idolorum confractionem vltra progredi non niterentur, dummodò optata mala morte defungi daretur. Sepoſita verò ea maniaca & rabioſa mortis propriæ captatione in eo opere, tamen inconſulta illa & temeraria idolorum alienorum confractio, nullo iure ſubnixa, fuiſſet improbanda. Et quilibet prudens æſtimator non difficilè perſpexiſſet, Ethnicis tunc rerum potientibus, inſilire in eorum ſimulachra eáque conterere, nihil eſſe aliud quàm ſibi certam mortem aſciſcere, & vniuerſæ Chriſtianæ rei, periculum creare nullo fructu aut commodo, ſiue alieno ſiue proprio. Iure igitur tale ſcandalorum & malorum grauiſſimorum ſeminarium, infertile fuiſſe bonorum martyrij, ſanxit Concilium Eliberitanum, agnouítque locis allegatis S. Auguſtinus.

Quando labis ſit expers.

19. Verùm hîc quoque, temperatio aliqua eſt neceſſaria. Martyr enim reuera eſſet, qui iubente Chriſtiano Principe, iis in locis quæ imperio eius ſunt obnoxia, confringens idola, vel templum aut aram euertens, aliúdve quidpiam profani illius cultus inſtrumentum vaſtans, trucidaretur eo nomine

mine à fidei hoſtibus; quia hic iuſtè operans caderet, in odium fidei cæſus. Nec refragatur D. Auguſtinus epiſtol. illa 50. vbi qualemcunque duntaxat martyrij vmbram in ea morte videtur agnoſcere. Non enim ad extenuandam martyrij illius gloriam locutus eſt eo modo S. Auguſtinus: ſed cum Circumcellionum furorem redargueret, ea laudis parcitate proſecutus eſt factum vtcunque affine materialiter, ſed forma ac modo longè diſpar, quod tunc non intererat diſcutere. Item martyr quoque reuera eſſet, qui trucidaretur ob confractionem vel euerſionem prædictam, ſub Ethnicis, ex peculiari diuina inſpiratione & numinis afflatu patratam. Sic S. Eupſychius quod ſub Iuliano Apoſtata fanum euertiſſet, martyrij gloria celebratur in tabulis Eccleſiaſticis 9. Aprilis, & apud Sozomenum 5. hiſtor. c. 10. & Nicephorum l. 10. c. 10. Alium (ſi tamen alium) ſub eodem Iuliano martyrem ob aram deiectam, & turbatum ſacrificium, memorat S. Ambroſius epiſtol. 29. aliàs 17. quæ eſt ad Theodoſium Imperatorem in cauſa ſuccenſæ Iudæorum Synagogæ. Et quanquam aliqui inde S. Eupſychio patrocinentur, quod ex præſcripto legum Conſtantini magni, atque Conſtantij Imperatorum, templum illud euerterit, ac proinde iuxta D. Auguſtini doctrinam proximè propoſitam, legitima poteſtate fultus diruerit officinam impietatis; ac idcirco cæſus inter martyres ſit numerandus: Tamen quod poſteriores Iuliani leges obſtarent, ſatius eſt ad diuini ſpiritus æſtum ſancto in pectore concitatum confugere. Id quod etiam ſtatuendum eſt circa S. Valentinam virginem Cæſarienſem, apud Euſebium 8. hiſt. cap. 18. & S. Eulaliam

liam a Prudentio celebratam hymno 3. periſteph. aliáſque non paucas ſacras virgines, quæ cum ad idola adducerentur vt venerationem eis impenderent, calcibus illiſis, confracta abiiciebant. Generatim confractores Idolorum SS. martyres, celebrat magnificentiſſimè S. Ephrem in priore SS. martyrum laudatione, eodem modo accipiendus.

20. Erit cui idem ſtatuendum videatur de S. Theodoro, quem Eccleſia 9. Nouembris martyrem agnoſcit: cum tamen eam irrogatæ illi necis cauſam prodat S. Gregorius Nyſſenus in eiuſdem Theodori encomio, quod ignes immiſiſſet in fanum quoddam Amaſenum. Itémque de S. Auda vel Abda, Epiſcopo Perſa, cuius martyrium tabulæ Eccleſiaſticæ conſignant 16. Maij: Nam Theodoretus l. 5. hiſtor. c. 39 cæſum ſcribit S. Audam ob ſubuerſum Pyræum, quod erat apud Perſas ignis templum. Verùm quamuis cauſæ trucidatorum prædictorum ſanctorum, remotæ ac mediatæ, fuerint quæ propoſitæ ſunt, tamen ſi proximas & immediatas cauſas attendamus, non erit quod ad diuini ſpiritus impetum confugiamus, vt ſalua ſit veritas martyrij eorum, quaſi ceciderint ob cauſam alioqui ambiguam, & audaces auſus quos ſola diuini afflatus occupatio honeſtare poſſit. Nam Theodorus quidem idcirco occubuit, quod non admitteret impiam illam incenſi fani expiationem quæ ab Ethnicis indicebatur; nempe fidei Chriſtianæ eiurationem. Audas verò, eam ob cauſam Iſdegerdis in ſe furorem deuocauit, quod dirutum Pyræum nollet ſuis ſumptibus excitare, ſicque idololatriæ velificari reædificato fano. Quod facinus Theodoretus meritò vocat *admirabile ac coronis dignum.*

gnum. Et à S. Ambroſio in laudata ad Theodoſium epiſtola, proponitur tanquam idoneum martyrij Chriſtiani argumětum. Nazianzenus quoque orat. 3. quæ eſt 1. in Iulia. ea ex cauſa paſſum immania Marcum Arethuſium, ſplendidiſſimo ornat elogio.

Quatenus non fugere, ſit prouocare, & culpam contineat; eáve vacet.

21. Tandem in eundem ordinem cum damnatis martyrij prouocatoribus, S. Petrus Chryſologus referre videtur, omnes illos, qui præſcij ſecuturæ (ſi perſtent) comprehenſionis, non dant ſe in fugam priuſquàm ab ingruente aduerſario opprimantur. Sic enim diſſerit ſerm. 151. [Chriſtus fugit vt noſtras fugas in perſecutionibus temperaret. Martyr comprehenſus debet tenere conſtantiam, non comprehenſus debet fugere perſequentem: vt & perſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ſibi tempus non auferat ſupplicandi, dicente Domino: ſi vos perſecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam. Perſecutorem qui prouocat, facit; corrigit qui declinat. Fugere debemus ergo, prouocare non debemus, ſi ſaluari perſecutores noſtros volumus, pro quibus præceptum eſt nos orare. Orate, inquit, pro perſequentibus vos. Orandum eſt, fugiendum eſt, vt & ille qui per ignorantiam furit, ſanetur; & ille qui patitur, de patientia palmam ſubeat, non ſubeat de temeritate diſcrimen. Fratres, ſi Paulùm martyres non fugiſſent, Paulum non feciſſent. Hoc faciendum docuit Chriſtus: hoc nobis reliquit exemplum, vt fugiente Domino, fugere indignum non putet ſeruus.]

Hoc tamen accipiendum eſt cum ea temperatione quam verba illa innuunt, *non ſubeat de temeritate diſcrimen.* Reuera enim velle inconſultè perſtare, & fugam ſemper auerſari, ad temerariam prouocationem vitio vertendam pertinere poteſt. Cœteróqui enim ſicut improbatur Tertullianus iam hæreticus, omnem in perſecutione fugam damnans, (nam Catholicus eam admiſerat l.de patient. c.13.) ita etiam improbantur, qui omnem receſſum à turbine, damnant ignauiæ, alitérue vitio vertunt; ſiue capitibus populorum & animarum præfectis, ſiue reliquis, vt S. Athanaſius in Apologia de fuga ſua latè confirmat. Præfectis tamen animarum, præſertim ſi non ipſi ſoli, & perſonaliter vt ſic dicam impetantur, laudabiliſſimum eſt, perſtare, & vt permanendi neceſſitas eis iniiciatur facilius eſt; hóſque potiſſimum impetit Tertullianus vt paradoxo 20. notauit Pamelius: Eſt item facile vt laudetur perſeuerantia in cœteris, qui cum non ſint perſonæ, quas ſeruari plurimum interſit Reipublicæ, nec nominatim, & quaſi perſonaliter impetantur, bene interim animati, & conſtantiæ in ſe reſponſum habentes à ſpiritu; incendi ſe ac impelli ad glorioſam perſeuerantiam ſentiunt.

22. Qua ratione S. Caius Papa vt in S. Sebaſtiani & ſociorum actis proditur, duos Chriſtianis gradus conſtitutos affirmauit, ea concione quam recrudeſcente perſecutione habuit; vnum martyrij, alterum confeſſionis ſiue receſſionis ob fidei confeſſionem. Sic enim accipiendam eo loco *confeſſionis* vocem, ſcopus Pontificis declarat, & ex orationis contextu, eſt perſpicuum. Ait enim S. Caius.[Dominus noſter IESVS CHRISTVS, præſcius

præſcius fragilitatis humanæ, duos credentium in « ſe gradus conſtituit; confeſſionis ſcilicet & mar- « tyrij: vt qui martyrij pondus ſe non poſſe ferre vi- « derent, confeſſionis gratiam teneant, & conce- « dentes laudem bellaturis Chriſti militibus, & pro « eius nomine pugnaturis, illorum ſolicitè curam « gerant. Pergant itaque qui volunt, vnà cum filiis « noſtris Chromatio, & Tiburtio; & mecum in hac « vrbe, qui voluerint, remaneant.] En *qui voluerint* « *remaneant*. Hoc eſt, quos ritè ſubductis rationibus ſuis, & non fallaciter æſtimato interno cenſu, bene à conſtantia & firmitate, in tanta procella excipienda, conſtitutos eſſe Spiritus ſanctus docuerit, iis perſtare liberum eſt: cœteris liberum eſto ſecedere, & nec iſtis vitio fuga, nec illis perſeuerantia vertatur. Noluere ſanè nonnulli, quibus generoſo incocta honeſto pectora, datam ſecedendi facultatem, apud ſe locum habere: quos inter Tiburtius, licet neophytus, & genere ac opibus clariſſimus, ætate autem iuuenis, quo eſſet fidei vigore teſtatum fecit, ea exclamatione quam conſequenter referunt acta. Pergunt enim. [Hæc & his ſimilia di- « cente Papa Caio; exclamauit Tiburtius (filius hic « erat Chromatij, nuper cum patre factus Chriſtia- « nus,) voce magna dicens: Obſecro te pater & « Epiſcoporum Epiſcope, ne me patiaris terga per- « ſequentibus dare. Mihi enim valdè iucundum eſt « & optabile, pro Deo vero, millies, ſi poſſim, oc- « cidi: Tantùm vt illius vitæ dignitatem apprehen- « dam, quam nullus mihi ſucceſſor eripiat, & cui « nulla tempora finem imponant.] «

23. Similiter S. Antonius vt in eius vita ſcriptum eſt à S. Athanaſio c. 23. quamuis animo iam

martyr,

martyr, tamen *quod ſe tradere vltrò non valeret*, ait S.Athanaſius, id eſt quod per Chriſtianam martyrij legem nefas eſſet perſecutorem prouocare, ſecluſa cauſa extraordinaria & afflatu peculiari Spiritus ſancti; firmitatem animi ſui probabat in ſtabiliendis iis qui comprehenſi erant: & edicente iudice vt monachi omnes vrbe excederent, hæſit ni-
« hilominus. [Et alia die ſtans in quodam eminenti
« loco, candente præcinctus veſte, procedentem
« iudicem ſuo prouocabat aſpectu.] Non voce aut profeſſione inconſulta, ſed *aſpectu* duntaxat & obiectu ſui, neglecta ſeceſſione, quod prouentum non vulgarem diuinæ gloriæ & boni proximorum, ſecuturum præciperet, ſi perſtaret, in magno licet diſcrimine. Itaque martyrij perpeſſio ex ſe ſancta, poteſt interdum ſine labe temerariȩ prouocationis, imo cum laude captari, perſiſtendo: ſiue ob fidem periclitaturam ſi abſcedas, ſiue ob affulgentem ſpem luculentam promouendæ diuinæ gloriæ, ſi perſiſtas.

Quando neceſſarium perſtare.

24. Imo interdum ob has ſimiléſue cauſas, non modò laudabile eſt perſtare, ſed etiam neceſſarium, quamuis mors non dubitetur inferenda, & conſummandum martyrium. Et plerunque quidem martyrium non proponitur vt ex obligatione ſubeundum, ſed tanquam oblatio gratuitæ operæ & voluntariæ: vnde tunc culpa vacat, vel ſubducere ſe martyrio per ſeceſſionem, vel ſi lex affirmatiua indicens opus ob quod inferenda eſt mors, in tanti damni diſcrimine euigeſcat, tali opere abſtinere

nere & martyrium declinare : quamuis poſſet etiam honeſtè captari excipíque martyrium, ob ſpem fructus oſtentatam, quod pertinet ad voluntarium ſacrificium. Aliquando tamen martyrium cadit ſub præceptum; ſiue quia præcepti affirmatiui vigor, non obſtante damni grauiſſimi intentatione, non laxatur : ita enim interdum contingit. Siue quia intentatur mors niſi violetur præceptum negatiuum, cuius firmitas eſt tanta, vt conuelli aut ſicceṅti nequeat per circunſtantiarum mutationem. Tunc ſiquidem, etiam ſi præceptum ſeruanti mors intentetur, parẽdum eſt nihilominùs, & mors oppetenda: nec fas eſt fugiendo, aut (quod Hugo Victorinus epiſtola ad Præſulem Apoſtatam fusè exagitat,) implexè ac vafrè negotiando, ſubducere ſe martyrio, ſi aperta præcepti executio depoſcatur, ſítque ad eam neceſſarium perſtare, nec gradu moueri. Ita rectè de neceſſitate martyrij ſtatuit Turrecremata q. 2. Euangelica ad feſtum S. Barnabæ, & Martinus de Magiſtris q. vltima de martyrio dubio 1. annexo. Specialiter autem de fugæ neceſſitate aut libertate, videndus S. Auguſtinus epiſt. 180. Maior in 4. d.49. q. 25. concluſ.7. Suarez diſp. 14. de fide ſect. 3. à n.8. & Malderus 2. 2.q. 3. art. 2. membro 2. Ipſe quidem Dominus nunc ſecedendo, nunc perſtando, exemplum præbuit & intrepiditatis cum res fert, & prudentis ſubductionis cum eſt operæpretium ad maiorem Dei gloriam. Et ita prouocat ad Chriſtum in hac parte S.Cyprianus l.de lapſis, ſic ſcribens. Dominus " in perſecutione ſecedere & fugere mandauit, atque " vt id fieret, & docuit & fecit. Nam cum corona de " Dei dignatione deſcẽdat, nec poſſit accipi niſi fuerit "

hora

« hora ſumẽdi, quiſquis in Chriſto manẽs interim ce-
« dit, nõ fidem denegat, ſed tempus expectat. Qui au-
« tem cum nõ ſecederet, cecidit, negaturus remanſit.]

Quod autem eiuſmodi ſubductio nihil fortitudini deroget, monſtratum eſt cum de fortitudine, & rectè aſſeritur ab Origene lib 1, contra Celſum, retundente cauillos Epicuræi illius blateronis con-
« tra Chriſtum ſecedentem. *Non eſt ingeneroſum* (ait
« è contra Origenes) *pro tempore* cauiſſe pericula,
« non mortis metu, ſed vt vitæ eſſet vtilis, degendo
« inter homines, & iuuando alios dum tempus op-
« portunum veniat, quo mortem ſubiret homini-
« bus vtilem, qui humanam naturam ſumpſerat.]
« Et non ita multo poſt. [Huic IESV diſcipulorúm-
« que calumnioſæ inſectationi ſimile eſt quod refer-
« tur de Ariſtotele. Is enim cum intellexiſſet parari
« ſibi iudicium, vt impio, propter quædam dogma-
« ta ipſius ſuſpecta impietatis Atheniẽſibus, digreſſus
« Athenis apud Chalcidem ſcholam habuit, ſic ratio-
« nẽ reddens familiaribus: Abeamus Athenis, ne præ-
« beamus Athenienſibus ſecundam occaſionem ſce-
« leris quale priùs perpetrauerunt in Socratem, néue
« iterum per impietatem violent philoſophiam.]

Non eſt difficile in hoc reſponſo Philoſophi recognoſcere germanam cauſam ſuperiùs aſſignatam, cur prouocatio hoſtium fidei, & inconſulta fugæ auerſio, ſiue temeraria perſiſtentia, vitio vertatur.

Nullum ſalutis medium martyri futuro dimittendum; atque adeò neque pœnitentia peccatori.

25. Tertium martyrij obicem adulto excludendum,

dendum, preponebam, prætermiſſionem omnimodam medij abſolutè neceſſarij, etiam ſi innoxiam, & ratione ignorantiæ inuincibilis, ſiue bonæ fidei contrariæ culpa vacantem. Hoc pacto, fructu vacua & veri martyrij prærogatiuis deſtituta, habenda eſſet cædes adulti peccatoris, qui lethiferæ ſibi noxæ conſcius, omnem de ea dolorem ſciens ac volens bona fide miſſum faceret, ratus eam eſſe fructuum martyrij vbertatem, eámque tam heroici operis prærogatiuam, vt nulla pœnitentiæ amaritudine ſit inſpergenda eius ſuauitas. Nec aliter ſtatuendum eſſet de adulto, qui nullius quidem grauis culpæ ſibi conſcius eſſet; reipſa tamen aliquã in pectore abditam & inexpiatam retineret, ac bona fide ob omnimodam perſtantis maculæ ignorationem, omnem de anteacto ſcelere dolorem omitteret. Hi adulti eſſent ad verum martyrium inidonei, nec excepta ad eum modum nece in fidei odium, denominandi eſſent veri martyres. Omnibus enim qui propria voluntate à Deo receſſerunt, pœnitentia aliqua eiúſve votum, eſt medium ad ſalutem abſolutè neceſſarium, ita vt eo ſecluſo pereundum ſit peccatori, non ob violationem alicuius præcepti, quam bona fides excuſare poſſet, ſed ob talem diuinam inſtitutionem, quæ à ſalute peccatorem impœnitentem excludit, quæcunque demum conditiones ex parte eius ſupponãtur: id eſt ſiue aduertat, ſiue inculpabiliter non aduertat.

Poſſet tamen pœnitentia imperfecta ſufficere aliquando.

Dixi autem, hanc tantam neceſſitatem cadere duntaxat in pœnitentiam aliquam vel votum eius,

quia

quia pœnitentia formalis multiplex eſt,nempe contritio & attritio. Et quamuis contritio ſit indubitatius ac certius ſalutis medium, tamen attritionem iunctam martyrio & externæ perpeſſioni mortis, accedente bona fide, æquè exiſtimo ſufficere ad expiandum peccatorem, ac Sacramentum in ſimili ſtatu & pari diſpoſitione ſuſceptum à peccatore; quem fructibus ſacramenti exquiſitiorem cæteróqui diſpoſitionem exigentis, non cariturum, probabiliſſima ſententia fert cui ſuo loco ſubſcripſimus. Parem enim eſſe, martyrij hac in parte, & Sacramenti efficaciam, atque adeò vtrique ſuppoſita bona fide, idem diſpoſitionis aliàs diminutæ rudimentum ſufficere poſſe, ex infra dicendis perſpicuum euadet. Itaque quamuis peccator qui negata Confeſſarij copia, perfectam contritionem (quæ confeſſioni in eo euentu ſufficienda eſt,) concipere nollet, habendus eſſet ad martyrium indiſpoſitus per ſe loquendo; poſſet tamen martyrij decore & fructibus gaudere, ſi bona fide perſuaderetur,ſe peccatorum quæ confiteri non poſſit, perfectam contritionem aut elicuiſſe, aut non teneri elicere, ſed poſſe attritione cognita eſſe contentum. Quia ratione bonæ fidei qua ducéretur, exiſtimans ſe ad hoc tantùm teneri, non violaret præceptum de adhibenda contritione perfecta, cum Confeſſionis facultas non ſuppetit. Aliunde verò qualiſcúnque dolor quem adhibet,martyrio adiunctus, poteſt ad conciliationem gratiæ valere, vt oſtendi ex proportione ad Sacramentum viuorum: V. G. Euchariſtiam in ſimili ſtatu & pari diſpoſitione ſuſceptam à peccatore. Et poteſt dolor ille martyrio concomitans, neceſsitati medij qua peccator ad pœniten-

dum adigitur, ſatisfacere. Quare non malè agere-tur cum tali peccatore, nec fructibus martyrij excluderetur, vt rectè cenſuit Soto in 4. d. 15. q. 2. art. 1. dub. 2. ad 2. Leſſ. 3. de virt. c. 1. n. 45. Suar. t. 3. 3. p. d. 29. ſ. 3.

26. Contrarium habet Canus relect. de pœnit. p. 3. quatenus affirmat, martyrium debere eſſe à charitate. Idem tradit Banñes 22. q. 24. art. 6. dub. 5. ad 7. vbi contendit hanc eſſe expreſſam D. Thomæ ſententiam 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2. vbi ait, quod martyrium niſi à charitate exiſtat, non valet ad culpæ mortalis remiſsionem. Et 3. p. q. 66. art. 12. ad 2. ait, quod effuſio ſanguinis, non habet rationem baptiſmi, ſi ſit ſine charitate. Confirmatur ex 1. Cor. 13. vbi Apoſtolus diſertè conteſtatur, ſine charitate, ne viuicomburium quidem pro Deo exceptum, eſſe fructuoſum. At charitas non remittit mortale peccatum, niſi interueniat pluſquàm attritio, vt ait D. Thomas 3. p. q. 84. art. 5. ad 2. Ergo neque martyrium. Addit Banñes rationem, quia ex oppoſita ſententia, ſequeretur aliquem ad mortem vſque labe mortali oblitum, ſaluari, etiam abſque purgatorio. Petrus enim peccator, ſi cum ſola attritione martyrium ſubeat, erit in malo ſtatu quamdiu vita durabit, & tamen ſaluus erit, nec quaſi per ignem.

Verùm hæc me de ſententia non dimouent. Et inprimis D. Thomas primo loco prolato, tantùm ait, martyrium ſine charitate nihil valere: quod eſt longè diuerſum ab eo quod ex S. Doctore referebatur, & inferebatur. Verè enim dicitur, martyrium nihil valere ſine charitate, quamuis id valeat tantùm de charitate habituali, ſubſequente gra-

tiam per martyrium collatam. Quo eodem modo accipiendus eſt locus adductus ex Apoſtolo. In alio autem teſtimonio quod ex D. Thoma opponebatur, conſiderandus eſt ſcopus S. Doctoris; qui erat conferre baptiſmum flaminis, cum baptiſmo ſanguinis: Affirmat autem baptiſmum ſanguinis eſſe perfectiorem, quia includit baptiſmum flaminis, & non viceuerſa. Hæc autem quamuis ſonare videantur, quod martyrium ſemper adiunctum habeat perfectum actum charitatis, tamen ſufficienter veritatem retinent, dummodò vt plurimùm verum ſit, includi in martyrio charitatem actualem imperantem; quamuis extra martyrium, charitas perfecta quæ eſt baptiſmus flaminis, nunquam includat effuſionem ſanguinis. Id enim ſufficit ad præponendum baptiſmum ſanguinis, baptiſmo flaminis: quia præcellentia maior ſufficienter deſumitur ex iis quæ vt plurimum ac ferè ſemper accidunt: etiamſi ſpectando baptiſmum ſanguinis, prout abſolutè poteſt elici abſque baptiſmo flaminis, ſeu charitate perfecta antecedente, quod rarò videtur contingere, deficeret argumentum illud præcellentiæ baptiſmi ſanguinis ſupra baptiſmum flaminis, ob huius in illo incluſionem, & non viceuerſa. Quod ſi D. Thomas non accipiatur eo modo quo diximus, collidetur planè cum ſeipſo: quandoquidem alibi tam diſertè agnoſcit, martyrium purgare à peccato quocunque, & eſſe gratiæ fertile ſupra meritum operantis, vt videre eſt in 4.d.4.q.3. art. 3. quæſtiunc. 2. & 3. & d. 16. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 3. & 3. p. q. 87. art. 1. ad 2. quæ planè pugnant cum neceſſaria illa charitatis perfectæ anteceſsione ad martyrium. Ratio denique à Banne adhibita

hibita,eſt manifeſtè nulla iuxta ſententiam infra ponendam de tempore quo datur gratia martyrij: Dicemus enim gratiam martyrij, dari aliquo breui tempore ante mortem: atque ita falſum eſt, iuxta nos hominem ad mortem vſque peccato mortali ſordentem ſaluari, & quidem ſine Purgatorio. Quid quod vt aduerſarius etiam falſus eſt, ea ratio, dato etiam quod gratia martyrij daretur in ſola morte, eſſet tamen inanis, quandoquidem innocentes antea non expiati, ſalui facti ſunt per martyrium, & iuxta ſuppoſitionem prædictam, fuerunt in peccato vſque ad mortem.

Itémque pœnitentia æquiualens.

27. Ratum ergo ſit pœnitentiam quidem martyri futuro eſſe neceſſariam ſi ſit peccator, ſufficere tamen imperfectam; ſiue attritionem, cum is eſt ſtatus rerum quem propoſuimus. Quin etiam admittebam martyrium forè peccatori fructuoſum, ſi is nulla concepta formali pœnitentia, eius tamen voto non careret: quo nomine intelligitur alia ipſius hominis operatio quæ meritò iudicari poſſit fœta actu formalis pœnitentiæ: Nempe plena & perfecta Dei dilectio, quæ dici poteſt pœnitentia æquiualens: quandoquidem huiuſmodi actus ſuppoſita peccatoris bona fide, cenſetur poſſe pœnitentiæ cuiuſuis formalis defectum ſupplere extra martyrium. Multo ergo magis idem poterit in pari ſtatu, accedente martyrio: ac proinde peccator qui ſic affectus trucidaretur in odium fidei, eſſet verè martyr: Quòd negabam affirmari poſſe de peccatore, mortē in odium fidei illatam excipiente, ſi nul-

lam prorſus ſiue formalem ſiue æquiualentem pœnitentiam, ſupra mortis perpeſſionem adhiberet, quia deſtitueretur abſolutè neceſſario medio ſalutis, quod nulla bona fides ſupplere poteſt.

Qui peccatorem prorſus pœnitentiæ exſortem, fructuum martyrij participem voluerint.

Non me latet, graues recentiores liberiùs hac in parte philoſophatos. Nam Sotus lib. 2. de nat: & grat. c. 16. (aliter tamen ſentiens in 4. d. 15. q. 2. art. 1. ad 2.) & Vega lib. 6. in Trid. c. 36. & alij quos refert & latè impugnat Canus relect. de pœnit. p. 3. peccatorem in procinctu excipiendæ pro Chriſto mortis conſtitutum, exoluunt omni cura recogitandi peccata, & dolorem de eis concipiendi; & quamuis non ignoret ſe peccatum graue inexpiatum habere, quod poſſit, per confeſſionem, aut ea negata per contritionem eluere, aiunt tamen heroicum actum acceptandæ pro Chriſto mortis, abundè illi eſſe ad peccatorum abſterſionem & gratiæ conciliationem. Alij verò ſaltem cum graue peccatum omnino latet, & interuenit bona fides excuſans à præcepti violatione, ſalutem adulto peccatori ſpondent acceſſu mortis pro Chriſto, quamuis excludatur quæuis à peccato inuincibiliter latente retroceſſio, per formalem aut æquiualentem pœnitentiam explicatam. Ita Suarez t. 3. 3. p. d. 29. ſ. 3. concluſ. 3. Henriq. l. 2. c. 36. n. 2. Bonac. q. 1, de baptiſm. p. 1. n. 9. Inſuper alij in eo euentu contenti ſunt ea martyrij acceptatione, quæ ſit virtualiter dolor de peccato, cuiuſmodi aiunt eſſe eam, qua peccator ita afficitur, vt ſi peccata occurrerent,

rent, ea deteſtaretur. Sic Leſſius lib. de fortitud. c. 1. num. 50. Tandem alij eam pœnitentiam in tali euentu ſufficere cenſuerunt, quæ intacto prorſus peccato latente, attingat aliud aliquod peccatum: ſed ob particularem eius fœditatem, & ob motiuum quod ad peccatum latens non porrigatur.

Reiiciuntur.

28. Nullum tamen horum placet. Nam qui peccatorem, conſpicuo vel abdito peccato ſordentem, propter bonam fidem, liberant neceſſitate cuiuſuis pœnitentiæ, apertè elidunt neceſſitatem medij, ex cuius inſtitutione, pœnitentia eſt peccatori ad ſalutem neceſſaria inſupplebiliter. Si enim pœnitentia, neque in ſe neque in actu aliquo vicario interuenit, quomodò eſt medium neceſſarium ad ſalutem? Neque enim bona fides neceſſitatem medij ſupplere poteſt, quamuis vſum ſuum habeat ad laxandam neceſſitatem præcepti, quam nunc non attendimus. Æquè inane eſt, quod addebatur de duplici acceptatione. Nulla quippe acceptatio, præcisè ex eo quod ſit acceptatio, aliud eſt quàm acceptatio: ac proinde perperam dicitur aliquam acceptationem eſſe virtualem peccatorum deteſtationem. Quod ſi acceptatio non ſumatur eſt mortis inferendæ volitio, (qua vna ratione fungitur acceptationis munere,) ſed vt volitio mortis concepta ex motiuo perfectæ charitatis, aut contritionis, ſic mutatur controuerſiæ ſtatus, tollitúrque obex martyrij in quo verſamur, quia adhibetur medium ad ſalutem neceſſarium. Poſtremum placitum, eodem modo euertitur quo primum. Æquè enim ex-

cindit neceſsitatem medij quæ peccatorem premere ſupponitur ad pœnitentiam adhibendam, qua à bono finito quod malè concupiſcens à Dęo exerrauerat, ſaniori mente ſuſcepta, auertatur, & regrediatur ad D E V M. At quamuis poſito receſſu ab vno peccato contracto, poteſt perſtare adhæſio ad aliud, cum motiuum receſſus eſt peculiare illi vni à quo receditur. Tunc ergo, reſpectu alterius maculæ ſuperſtitis, perinde res ſe habet, ac ſi nulla fuiſſet adhibita pœnitentia: atque adeò vel pœnitentia non eſt peccatori medium ad ſalutem neceſſarium, vel neganda eſt peccatori ſalus in eo euentu.

29. Itaque ſtatuendum eſt, vt adultus peccator poſſit vero martyrio defungi, excludendum ei eſſe obicem in quo verſamur: hoc eſt, reueniendum illi eſſe ad D E V M, deteſtando peccatum commiſſum, ſéque ab eo auertendo: vel receſſu formali, in omnia aut ſingula peccata cadente, vel receſſu virtuali, quo perfectus in D E V M amor fœtus eſt, & per accidens poteſt ſufficere abſque formali pœnitentia, iuxta probabile placitum alibi ſtabilitum. Horum alterutrum ſi deſit, quanticunque cruciatus pro Chriſto irrogati, & mors patientiſsimè excepta, ad martyrium ſatis non erunt. Quanquam nulla ratione dubitandum eſt, quin is qui per actum adeò ſuperantem naturæ fines, vitæ amore conculcato, ad mortem pro Chriſto ſe accingit, & tanto diuinæ erga ſe beneficentiæ munere fruitur, cœleſti impulſu ad concipiendum de peccatis idoneum dolorem percellatur. Ideóque Eccleſia, dummodò conſtet, Catholicum hominem, morte pro Chriſto irrogata eſſe conſummatum, nón ſolet eſ-

ſe

ſe ſollicita de ſtatu eius anteriore, & an concepto peccatorum dolore è vita exceſſerit. Re tamen ad eum quem diximus ſtatum deducta, & metaphyſicè agendo, ſtatuendum foret vt fecimus.

CAPVT VI.

De pretioſiſſimis martyrij fructibus in via, & in patria: hoc eſt de gratia, & ſubita gloria veris martyribus conſtituta.

1. Mortem, paſſis de quibus hactenus irrogatam, iis adhibitis quæ præſcripſimus, verus martyrij titulus, eiuſque fructus conſequuntur. Fructus illos, poſſumus in duos ordines tribuere: aliqui enim ad gratiam, alij ad gloriam pertinent; priores in via, poſteriores in patria conceduntur. Vtri autem ordini inferenda ſit, plena reatus fortè præiacentis abſterſio, quàm certum eſt martyri conferri, (vt inſinuaui, gloriam eius vocans *ſubitam*, quia nullus eam reatus flammis expiatricibus abſtergendus remoratur;) ad rem præſentem parum refert; & mox diſcutietur. Alios præterea effectus non agnoſco. Hallucinatus enim eſt Aureolus in 4. d.4.q.2.artic.1.qui cenſuit, imprimendum vi martyrij characterem, ſi martyr nondum baptizatus obiret. Fundamentum eſt, quia martyrium eſt baptiſmus ſanguinis: debet ergo, ſicut alios baptiſmi aquæ effectus, ita & characterem ſupplere. Verùm vt rectè notat Durandus in 4.d.4.q.8.num.11. martyrium non dicitur baptiſmus, quod omnes bap-

tiſmi effectus conferat, eúmve quoad omnia ſuppleat, ſed ex eo tantùm quod peccati maculam & reatum extergat, vt facit baptiſmus: alioqui contritio quæ æque dicitur baptiſmus, deberet catechumenum nondum expiatum, & cum ſola contritione obeuntem, charactere conſignare, quod eſt contra communem ſenſum, qui fert, characteris impreſſionem, ſacramenti ſolius propriam eſſe, non ſupplementorum eius quoad gratiam, atque adeò neque martyrij. Rectè itaque Guido Briánſonis in 4. q. 4. concluſ. 3. document. 1. litera N. & Soto 2. de natura & gratia cap. 16. affirmant, ſi homo nondum Eccleſiæ per baptiſmum illatus martyrio afficeretur, móxque diuina vi reuocaretur ad vitam, baptizandum omnino fore; quod non liceret, ſi per martyrium character fuiſſet impreſſus. Eo igitur ſpurio martyrij effectu dimiſſo, in prioribus qui legitimi ſunt, hæreamus.

In martyrio, confertur ſanctitas & plena reatus abſterſio.

2. Gratiam ſanctificantem conferri in martyrio, ac proinde & peccatum originis in infante martyre obliterari, & omnia planè peccata, in adulto ad modum ſupra propoſitum diſpoſito, extergi, clara videtur Patrum ſententia. Agnoſcunt enim, martyrium vice baptiſmi fungi poſſe; & qui martyr exceſſerit, illico certum gloriæ ac æternæ ſalutis habendum, nec nocere martyribus quæcunque peccata præterita: Quæ omnia valent ob gratiam in martyrio collatam, qua omnis peccati rubigo quoad maculam eraditur, vniuerſúſque reatus fortè

ſuper

ſuperſtes, aboletur per diuinam condonationem, ac indulgentiam verè plenariam, collationi gratiæ adiunctam: ſiue martyr diu cruciatus ac tortus ſit, ſiue breui fuerit conſummatus: contra friuolam & planè falſam diſtinctionem nonnullorum, qui vt refert & latè refellit S. Eulogius in Apologetico, aiebant, martyribus breui conſummatis, ſola anteriora peccata remitti, reliquas verò martyrij prærogatiuas iis tantùm obuenire, qui longiore martyrio eſſent perfuncti. Quaſi verò promiſſiones Chriſti quibus prærogatiuarum illarum collatio nititur, arctentur ad longam carnificinam, nec ad quamcunque vitæ pro Chriſto abiectionem, porrigantur. Hoc igitur commento exploſo, tria illa quæ apud Patres rata eſſe diximus, excutiamus.

Suffragia Patrum, quibus martyrium eſt baptiſmus quidam.

3. Inprimis, poſſe martyrium fungi vice baptiſmi, & eſſe baptiſmum quendam, tradit S. Baſilius orat. in SS. 40. martyres, agens de carcerario adaucto. Aſtipulantúrque acta S. Agnetis apud Ambroſium ſerm. 90. cum de B. Emerentiana, itémque Clemens Romanus l. 5. conſtit. c. item 5. cùm de martyre catechumeno, pro quo fide iubet aureis illis verbis. [Qui martyrio habitus eſt dignus, is « lætitiam animo percipiat quod tantam coronam « adeptus ſit, & quod propter confeſſionem, ex hac « vita exeat. Et ſi catechumenus ſit, recedat ad Deum « lætus. Cruciatus enim quo eſt propter Deum affe- « ctus, erit ei verior baptiſmus, quod is quidem expe- « rientia ipſa mortis commoritur Chriſto; reliqui «

« verò myſtica repræſentatione.] S. Hieronimus in
« Pſal. 115. [Verè magnæ fœlicitatis eſt ire ad Domi-
« num, vt non habeat conſcientiam inquinatam.
« Quicunque ſanctus moritur ſua morte, licet ſit
« ſanctus qui miſericordias operatus ſit, fecerit ſigna,
« dæmones eiecerit, non vadit ad Dominum ſecurus;
« horreſcit eius conſcientia quando videt Dominum.
« Martyr autem ſi & poſt baptiſmum peccauerit,
« tamen ſecundo baptiſmate martyrij ablutus, ſecu-
« rus vadit ad Dominum.]

Non diſſimiliter S. Auguſtinus l. 13. ciuit. c. 7.
« verbis illis. [Quicunque, etiam non percepto re-
« generationis lauacro, pro Chriſti confeſſione mo-
« riuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata,
« quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis.
« Qui enim dixit; niſi quis renatus fuerit ex aqua &
« ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum;
« alia ſententia iſtos fecit exceptos; vbi non minùs
« generaliter dixit: Qui me confeſſus fuerit coram
« hominibus, confitebor & ego eum coram patre
« meo qui in cœlis eſt. Et alio loco: qui perdiderit
« animam ſuam propter me, inueniet eam. Hinc
« eſt quod ſcriptum eſt: precioſa in conſpectu domi-
« ni mors ſanctorum eius. Quid enim precioſius
« quàm mors, per quam fit, vt etiam delicta omnia
« dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur?]
Adhæſit de more Auguſtino Proſper epigram. 87.

[Si mundo moritur diuino fonte renaſcens,
Fitque nouus vita, qui ſepelitur aqua.
Fraudati non ſunt ſacro baptiſmate Chriſti,
Fons quibus, ipſa ſui ſanguinis vnda fuit.
Et quicquid ſacri fert myſtica forma lauacri,
Id totum impleuit gloria martyrij.]

4. S. Pa

4. S.Patiens, aut vt alij malunt, S. Paulinus, in martyrio S. Geneſij, luculenter idem tradit; imo ſupra quàm expoſcimus, affirmare videri poterit, niſi temperatio debita accedat. Ait enim de S. Geneſio adhuc catechumeno.[Diuerſa latendi loca, vt exitus docet, non infirmitate ſpiritus, ſed carnis trepidatione, mutauit. Atque interim, licet ſuperfluò, de præſumptæ fidei confirmatione ſolicitus, quoniam nondum erat ex aqua & ſpiritu ſancto renatus, per fidos internuncios, à Catholicæ religionis antiſtite donum baptiſmatis poſtulauit. Sed ille vel temporis anguſtiis impeditus, vel iuuenili ætati diffidens, ardentia vota diſtulit; ac fideliter indicauit, quòd plenam conſummationem etiam huius muneris, daret prompta pro Chriſto cruoris effuſio. Et hæc quidem cunctatio ſacerdotis, diuino, vt æſtimo, prompta nutu, atque iudicio, procurata diſpoſitáque eſt: vt circa eius ſolemnem conſecrationem, officia humana ceſſarent, cui vnius baptiſmatis duplex gratia, ex vtroque ſcilicet Chriſti latere, & aqua & ſanguis, parabatur.]

Quod dixit, S. Geneſium, ſuperfluò baptiſmum aquæ petiiſſe, non ita accipiendum eſt, quaſi catechumenus nondum baptiſmo expiatus, liber ſit ad non ſuſcipiendum baptiſmum aquæ, ſi eius reipſa ſuſcipiendi facultas ſuppetat. Hoc enim falsò aſſeretur; quandoquidem mortis pro Chriſto perpeſſio vt ſupra monſtrauimus, non exoluit hominem aliis diuinis legibus tunc vrgentibus, quarum vna quoad Catechumenum eſt ſuſceptio baptiſmi aquæ, ſi per circunſtantias liceat. Id quod etiam ſupra confirmatum eſt exemplo SS. Martyrum Nicomedienſium, qui ſubitò intercepti, móxque omnes

concre

concremandi, catechumenos quos ſecum habebant, quamuis futuros paſſionis ſocios, collato confeſtim baptiſmi ſacramento, initiarunt. Aliter ergo accipienda eſt illa Baptiſmi in Geneſio ſuperfluitas. Nempe ita vt ſenſus ſit, Geneſium quamuis abſque ſua culpa Baptiſmo aquæ non expiatum, quod tamen idoneis illis diſpoſitionibus quas in adulti martyrio requiſiuimus, non deſtitueretur, per paſſionem tanquam per Baptiſmum ſanguinis, gratiam quam Baptiſmus collaturus fuiſſet adepturum, non ita eguiſſe petitione Baptiſmi, quin poſſet abſque eo reipſa per impotentiam ſuſcepto, ſaluus effici: vt proinde Baptiſmi ſuſceptio, potuerit in eo ſuperflua videri, quatenus aliunde ſupplendus erat eius effectus, tametſi ſi Baptiſmi ſuſcipiendi copia non defuiſſet, omiſſum ab eo Baptiſmum aquæ, nullo modo oportuiſſet.

5. Quod verò vnius baptiſmatis duplicem gratiam, fluentibus ey vno Chriſti latere, ſanguine & aqua, præſignatam, dixit idem autor, pereleganter quoque in hanc rem vſurpatum eſt à Tertulliano lib. de Baptiſ. c. 16. & à Ruffino in Symbolum, inter exponendum crucifixionem Chriſti; ſed omnino bene à Cyrillo Hieroſolimitano catech. 3. verbis illis: [Si quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos martyres, qui vel ſine aqua regno cœleſti potiuntur. Redimens enim terram Saluator, per crucem, & in latere vulneratus, ſanguinem & aquam emiſit. Vt alij quidem pacis tempore in aqua baptizarentur; alij verò tempore perſecutionis, in propriis ſanguinibus baptizarentur. Quòd verò etiam is rectè Baptiſmus vocetur, vide ſaluatoris teſtimonium, qui dicit: Poteſtis bibere

bere calicem, quem ego bibam, & Baptiſmo, «
quo ego baptizor, baptizari?] Rurſus catecheſi «
13.poſt propoſitas alias cauſas fuſi ex eodem Chri-
ſti latere ſanguinis cum aqua; [Aſſignarunt enar- «
ratores patres noſtri, & aliam quoque eius rei «
cauſam. Cùm enim duplex ſit Baptiſmi ſalutaris «
virtus, vt eſt in Euangeliis; vna quidem, quæ ba- «
ptizatis donatur per aquam; altera verò ſancto- «
rum martyrum in perſecutionibus, per proprium «
ſanguinem: exiuit de altari ſalutari ſanguis & aqua, «
propter eam quæ eſſet futura Chriſti confeſſio- «
nem, & in Baptiſmo; & in temporibus martyrij «
confirmans gratiam.] «

6. Sed ea duplicis baptiſmi ex Chriſti latere fluentis expreſſione dimiſſa, pauca adhuc teſtimonia in rem propoſitam proferamus. Reperti locus ex l.7. de diuin offic. c.5. planè inſignis eſt, & adſcriptione digniſſimus. [Multi perſecutionis articulo præoccupati, ſine aquæ baptiſmo ſuppliciis affecti, pro Chriſto conſummati ſunt. Quid ergo? Nunquid hi baptizati ſunt? Imò tanto maiorem gratiam præ illis, qui in pace Eccleſiæ moriuntur, aſſecuti ſunt, quanto grauiori diſpendio morti, & Sanguini Chriſti communicauerunt? Nam in baptiſmo communi, tantùm ſimilitudo mortis eſt, ſicut ait Apoſtolus: Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. In martyrio autem ipſa mors. Quòd ſi martyrium Baptiſmus non eſſet, nunquam Dominus de paſſione ſua dixiſſet, quod iam ſuprà commemoratum eſt: baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque, dum perficiatur? Verùm exceptis his quos eiuſmodi articulus non intercipit,

« tercipit, nulli Spiritus ſanctus extra fontem occur-
« rit, totámque remiſſionem peccatorum intra
« aquas continet, nec vltrà extendit.] Addo & Origenem tract. 12. in Matthæum, vbi & veritatem propoſitam tradit diſertiſſimè, & rationem appellationis in qua verſamur, confert cum alia martyrij appellatione, quam aliò ipſe trahit. Vocatur enim martyrium, & baptiſmus, & calix. Vtra-
« que ergo appellatio quo pertineat ſic aperit. [Quæ-
« rere oportet in loco quid eſt calix, & quid eſt ba-
« ptiſmum. Quaſi diſtent enim ab inuicem, ſic
« vtrumque eſt nominatum. Multi enim vtrumque
« dicunt ad paſſionem martyrij pertinere: non atten-
« dentes quoniam niſi duos & diuerſos intellectus
« oſtenderet calix & baptiſmum, nunquam vtrum-
« que nominaretur. Nos autem & iſtam quidem tra-
« ditionem non reprobamus, alteram auté ſtatuimus:
« quoniam calix quidem ipſa paſſio intelligitur eſſe
« dolorum. Quod confirmatur non ſolùm exemplo
« quod dicit: pater ſi poſſibile eſt transfer calicem
« hũc à me: quia cum doloribus bibitur ab eo qui ſuſ-
« cepit certamen martyrij, donec biberit eum, ſuſti-
« nẽs in tentatione martyrij vniuerſa quæ inferuntur.
« Sed etiam eo quòd in alio loco dicitur. Quid retri-
« buam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?
« Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini in-
« uocabo. Vota mea Domino reddam in conſpectu
« omnis populi eius: Pretioſa in conſpectu Domini
« mors Sanctorum eius. Nihil enim dignum reddere
« poſſumus Deo pro omnibus bonis quæ fecit in no-
« bis, niſi vt calicem ſalutarem promptè accipia-
« mus, & nomen Domini inuocemus, vt poſſimus
« magnanimiter bibere eum: in quo bibendo vota

noſtra

noſtra reddimus Domino in conſpectu omnis po- "
puli eius. Manifeſtè autem oſtendit in his, quo- "
niam calix martyrium eſt, ex eo quod ſtatim pro- "
pter bibitum calicem addidit, ſic: Pretioſa in con- "
ſpectu Domini, mors Sanctorum eius. Intellectu "
autem omne martyrium duplex eſt, quorum vnum "
vocatur calix ſalutaris, reliquum autem baptiſma. "
Et hoc quidem, quo quis perfert dolores, calix "
eſt; quem bibit omnis qui ſuſtinet omnia ſibi illa- "
ta, nec reiicit, nec euomit aliquid eorum. Quod "
autem quis in paſſione remiſſionem accipit pecca- "
torum, baptiſmum eſt. Si enim baptiſmum indul- "
gentiam peccatorum promittit, ſicut accepimus "
de baptiſmo aquæ & ſpiritus; remiſſionem autem "
accipit peccatorum, & qui martyrij ſuſcipit ba- "
ptiſmum: ſine dubio ipſum martyrium rationabi- "
liter baptiſmum appellatur. Quoniam autem re- "
miſſio fit peccatorum omni martyrium ſuſtinenti, "
manifeſtum eſt ex eo quod ait: omnis qui confeſ- "
ſus fuerit in me coram hominibus, & ego confite- "
bor in illo coram patre meo qui eſt in cœlis. Confi- "
tetur ergo coram patre ſuo Saluator omnem homi- "
nem qui confeſſus fuerit eum coram hominibus, "
etſi fuit ante confeſſionem aliqua habens peccata. "
Si enim eos qui aliqua habentes peccata confeſſi "
ſunt, non confitetur & Chriſtus coram patre ſuo; "
iam non erit verum quod dixit: omnis qui me con- "
feſſus fuerit, &c. Aliâs autem peccatorem neſcio "
ſi confitetur Chriſtus coram patre ſuo. Confeſſio "
enim filij, eſt gloriantis in conſpectu paterno, ſuper "
eo quem confitetur, quaſi digno confeſſione Chri- "
ſti ad Patrem.] Vocem *calicis* martyrio aptatam in "
Scripturis, quam vides ab Origene aliorſum fle-

xam,

xam, quàm quo pertinere dixit vocem *baptiſmi* martyrio tributam; S.Maximus homil.1. de S.Cypriano, ita interpretatus eſt, vt eundem ſenſum faciat quem appellatio baptiſmi. Verba eius ſunt.
" [Rectè calix martyrio comparatur, quia ſicut calix
" cùm bibitur, omnis humor noxius vini calore de-
" coquitur; ita & martyrij poculum cum hauritur,
" omnes peccatoris fæces paſſionis gloria temperan-
" tur. Vinum ergo quoddam ſalutare martyrij eſt;
" quod cordi lætitiam præſtat, calorem fidei, animæ
" puritatem.] Myſticè eaſdem voces exponit & ad tribulationis ac mortificationis martyrium aptat alter S. Maximus centur.1. ex variis c.98. 99.100. & centur.2. c.1.

7. Religio ſit miſſum facere illuſtrem locum S. Cypriani in epiſt. ad Iubaianum quæ eſt 73. à n.71. vbi & hanc veritatem perſpicuè tradit & difficultatem quæ ex Chriſti verbis moueri in contrarium poterat, rectè elidit. Sic igitur ait poſt adductum generale Chriſti edictum de baptiſmo *niſi quis re-*
" *natus*, &c. vt habetur Ioan. 3. [Quidam quaſi
" euacuare poſſint humana argumenratione, prædi-
" cationis Euangelicæ veritatem, catechumenos no-
" bis opponunt, ſiquis ex his antequam in Eccleſia
" baptizetur, in confeſſione nominis apprehenſus
" fuerit & occiſus, an ſpem ſalutis & præmium con-
" feſſionis amittat, eo quod ex aqua priùs non ſit
" renatus. Sciant igitur huiuſmodi homines ſuffraga-
" tores & fautores hæreticorum, catechumenos il-
" los primò integram fidem & Eccleſiæ vnitatem te-
" nere, & ad debellandum diabolum de diuinis ca-
" ſtris cum plena & ſyncera Dei Patris, & Chriſti,
" & Spiritus ſancti cognitione procedere: Deinde

nec

nec priuari baptiſmi Sacramento: vtpotè qui baptizentur glorioſiſſimo & maximo ſanguinis baptiſmo, de quo & Dominus dicebat, habere ſe aliud baptiſma, quo deberet baptizari. Sanguine autem ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos conſummari, & diuinæ pollicitationis gratiam conſequi; declarat in Euangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipſa paſſione credentem & confitentem loquitur, & quod ſecum futurus ſit in paradiſo, pollicetur.] Significat latronem Chriſto confixum & hora vndecima conuerſum, martyrio exceſſiſſe. Quo eodem modo loquuntur nonnulli alij Patres, adducti & expenſi in tractatione noſtra de S. Latrone cap. 11. vbi plenìus quomodo hæc Cypriani verba à D. Auguſtino variis locis ibidem ſignatis approbata, ſint ad verum ſenſum trahenda, negato, (vt verè negandum eſt,) martyrio S. Latronis. Tandem martyrium eſſe baptiſmum quendam, & idcirco poſſe martyrem, negata baptiſmi copia, ſaluum eſſe, oppetita ob Chriſtum morte, latè confirmat Petrus Cluniacenſis epiſt. contra Petrobuſianos, & idem tradit S. Bernardus epiſt. 77. quæ eſt ad Hugonem Victorinum.

Vtrius baptiſmi gratia vberior.

8. Eſt itaque martyrium baptiſmus quidam: quod ſicut Baptiſmus animam baptizati à peccati ſordibus emundat, & omnem reatum in adulto præiacentem ex peccatis actualibus, perfectè abſtergit; ſic etiam martyrium. Imo vberiorem gratiam ſanctificantem, concedi per martyrium, quàm per baptiſmum aquæ, eadem ratio qua martyrium gratiam conferre confirmant Scholaſtici, apertè conficit.

ficit.Sic enim argumentantur, vt probent baptiſmo ſanguinis conferri gratiam. Non minus operatur Chriſti paſſio ad ſalutem eius qui Chriſto paſſo cõformatur ſecundùm realem perpeſſionem paſſionis, quàm is qui Chriſto tãtùm conformatur quoad typicam perpeſſionẽ.Atqui martyr Chriſto paſſo cõformatur quoad realem paſſionis ſuſceptionem:qui verò baptizatur non conformatur Chriſto niſi in adumbratione quadam & typo ſacramẽti,quo Chriſto intra aquas commoritur & cõſepelitur, vt Apoſtolus ſæpè loquitur. Ergo martyrium non minùs conducit ad ſalutem martyris baptiſmo non tincti, quàm baptiſmus aquæ ad ſalutem eius cui admouetur. Hanc rationem adhibet ad rem propoſitam Durandus in 4. d. 4.q. 8.n. *6*. eáque paſſim vtuntur Scholaſtici, & in ſuperioribus relatą eſt ex Clemẽte Romàno,atque Ruperto.Non eſt autem obſcurum, quomodò ea ipſa ratio rectè applicata confirmet etiam maiorem gratiam tribui per martyrium quàm per baptiſmum aquæ.Nam vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis. Sicut ergo martyrium & baptiſmus aquæ, quia ſunt expreſſiones mortis Chriſti, acceperunt vt in eis conferretur gratia ; ita martyrium quia eſt luculentior expreſſio, maioris gratiæ ferax eſſe, eſt conſentaneum. Et ita agnoſcit ſupra Durandus num. 10. & 14. Sed ratione ductus quæ ad rem non facit. Eam enim maiorem gratiæ vbertatem in martyrio quàm in baptiſmo aquæ,ex eo probat,quod DEVS non deficiat in neceſſariis: vberior autem gratia ſit neceſſaria ad actum difficiliorem , cuiuſmodi perſpicuè eſt martyrij exceptio præ baptiſmi ſuſceptione.Hanc rationem aio eſſe extra rem,quia à gratia

tia ſanctificante de qua agimus, ſalit ad gratiam actualem, quæ ſola prærequiritur ad operandum, & vberior maiórque affundi debet pro difficiliore actu.

9. Itaque ſiſtendum eſt in ratione propoſita, qua non incongruè ſtabilitur quod S. Cyprianus epiſto. 73. quæ eſt ad Iubaianum num. 68. tradit: nempe vim potiorem agnoſcendam eſſe baptiſmi ſanguinis, quàm baptiſmi aquæ. Et magnificentiùs in præfatione ad librum de exhortat.martyrij.[Nos " qui Domino permittente primum baptiſma cre- " dentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præ- " paremus, inſinuantes & docentes, hoc eſſe baptiſ- " ma in gratia maius,in poteſtate ſublimius,in honore " pretioſius. Baptiſma in quo angeli baptizant; bap- " tiſma in quo Deus,& Chriſtus eius, exultant; bap- " tiſma poſt quod nemo iam peccat; baptiſma quod " fidei noſtræ incrementa conſummat; baptiſma " quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copu- " lat. In aquæ baptiſmo accipitur peccatorum re- " miſſa;in ſanguinis, corona virtutum. Amplectenda " res eſt, & optanda, & omnibus poſtulationum no- " ſtrarum precibus expetenda,vt qui ſerui Dei ſumus " ſimus & amici.] Firmat hic locus Barthij coniectu- " ram,aduerſariorum libro 45.cap.21.notantis,martyres,ſigillatim dictos,*amicos Dei*, in quam ſententiam laudat Eucherium homil.de S. Romano, & Martiali adſcriptarum epiſtolarum loca quædam. Nempe per baptiſmum aquæ facti domeſtici Dei, ac ſerui, in eius familiam tranſcribimur:per baptiſmum verò ſanguinis, multo ſumus apud DEVM gratioſiores, ita vt etiam amici nominemur & ſimus. Itaque eadem opera, & baptiſmi nomen ac

prærogatiuas quoad gratiæ infuſionem, & reatus abſterſionem in vtroque, confirmatas dedimus, & veluti ſuperpondium quoddam, adiecimus, quo vberiorem eſſe martyrij quàm baptiſmi gratiam monſtratum eſt. Æquè autem in paruulis, ac in adultis, vberiorem eſſe martyrij quàm baptiſmi gratiam, ſuadetur ex vniuerſalibus Patrum locutionibus de maiore martyrij quàm baptiſmi fructu. Vt propterea non placeat quod Gabriel in 4.d.4. q. 2. *Litera* l. in dubium reuocat, an prædictum gratiæ ſuperpondium, paruulis ex martyrio accedat, ſupra id quod ex baptiſmo aquæ eſſent accepturi.

Martyrium ſtatim à morte cœlo infert; confertur igitur in eo gratia & plena nitela.

10. Quod ſecundo loco affirmabam, nempe martyrem à piacularibus flammis planè ſecurum, cœlo inferri illico à morte, inſinuatur à S. Irenæo l. 1. c. 2. agnoſcente aliquos ex perſeuerantia dilectionis cum Deo, à primo è vita exceſſu, cœlo inferri, quod in martyres maximè cadere, non videtur dubium, cum nemo maiorem habeat charitatem, quàm qui pro amico animam ponit. Clariùs idem docuit Tertulianus lib. de reſurr. carnis c. 43. cum dixit [Nemo peregrinatus à corpore, ſtatim immoratur penes Dominum niſi ex martyrij prærogatiua, ſcilicet paradiſo non inferis deuerſurus. Et idcirco lib. de patient. c. 13. martyrium vocat, ſecundam intinctionem, ipſum diuinæ ſedis aſcenſum.] Nam quamuis aliorum SS. animas ſtatim à morte cœlo inferri, negare videatur Tertullianus, ſed etiamſi culpæ macula & reatu liberas, ſolùm in

Abrahæ

Abrahæ ſinum induci dicat; vt videre eſt apud Pamelium parado. 9. Tamen animas martyrum admitti in cœlum illico à morte, aliis mundi finem in ſinu Abrahæ præſtolantibus, diſertè habet lib. de anima c. 55. Item in calce Apologetici, inde laudat martyrium, quod omnia huic operi delicta donentur, quod totam Dei gratiam redimat, quod omnem veniam ab eo, compenſatione ſanguinis ſui, homo expediat per martyrium. Quod perinde eſſe videtur, ac ſi martyrem illico à morte, ad cœlum deduci, diceret. ſic enim verè tota Dei gratia redimitur, & tota venia expeditur.

Sed magnificè, vt omnia alia ad martyrium ſpectantia, ita hoc quoque non poſtremum inter martyrij decora, expreſſit S. Cyprianus lib. de laude martyrij verbis illis, quæ vt alia pleraque ex eo imitatus eſt Lucifer Calarita. lib. quod moriẽdum ſit pro Dei filio. *Sanguini noſtro patet cœlum; ſanguini, gehennæ cedit habitaculum.* Eundem ſenſum faciunt illa ex eiuſdem libri principio. [Conſiderare vtique « debetis quantæ ſit gloriæ, vitæ quamlibet macu- « lam, & ſordes polluti corporis, & longa vitiorum « tabe concreta contagia, tantóque temporis tractu « mundi crimen exceptum, vnius ictus remediis ex- « piare: quo & augeri merces, & crimen poſſit exclu- « di. Vnde omnis conſummatio & ſtatus vitæ, in mar- « tyrio eſt collocatus. Hoc fundamentum vitæ & « fidei; hoc præſidium ſalutis; hoc vinculum libertatis « & honoris. Et quamuis ſint & alia per quæ adipiſci « lux poſſit, tamen ad proximitatem muneris repro- « miſſi; pœnis meliùs patrocinantibus peruenitur.] « Alium perlegantem locum ex præfatione libri de exhortat. martyrij, non ita multo ante retuli, vbi

diſertè profitetur, martyrem è mundo recedentem, ſtatim Deo copulari. Explicatiſſimè epiſto. 52. quæ
« eſt ad Antonianum num. 59. [Aliud eſt ad veniam
« ſtare, aliud ad gloriam peruenire, Aliud miſſum in
« carcerem, non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum
« quadrantem; aliud ſtatim fidei & virtutis accipere
« mercedem. Aliud pro peccatis longo dolore cru-
« ciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata
« omnia paſſione purgaſſe: Aliud denique pendere
« in die iudicij ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à
« Domino coronari.] Omnino eam martyris expurgationem plenam, & ſubitam gloriam, ferunt illa S. Baſilij in pſal. 115. ad illud, *pretioſa in conſpectu Do-*
« *mini,* [lapilli quidam, floridis interſperſi, & ſublu-
« centes coloribus, nominari ſolent pretioſi ab iſtis
« diuitiarum helluonibus; Re autem vera, pretioſa
« eſt mors ſanctorum eius, cum videlicet anima per
« vitæ iſtius curriculum expurgata ab omni eluuiè &
« inquinamento carnis, emancipata & libertati red-
« dita, nullam in ſe retinens maculam aut rugam,
« duris pro pietate agonibus iam exantlatis probata,
« inſignita corona iuſtitiæ, perque hæc omnia admi-
« rabili decore virtutis interlucens, Domino, ſuo at-
« que omnium iudici ſe præſentarit, lapide omni pre-
« tioſo longè rutilantior, Dei munere eam indepta
« claritatem.] At ea ad iudicem præſentatio priuata, fit in ipſo mortis puncto.

Idem colligitur, ex eo quod nulla peccata martyri noceant.

11. Non nocere martyri, (quod tertio loco addebam,) anteriora quæcunque peccata, tradit Antoninus

toninus Epiſcopus in protreptr. ad Arcadium pro fide exulem,in fine. (Habetur t.5.Bibl.Colon.p.3.) Præiuerat Tertullianus locis ex eo paulo ante notatis,quibus martyrio donari omnia delicta, omnémque quæ per illud veniam expediri dixit,eſſéque martyrium, intinctionem ſecundam. At baptizati peccata omnia, ita merguntur, vt ei vltra nocere nequeant quod repetens l.de patient.c. 13. vocat inſuper martyrium,*ipſum diuinæ ſedis aſcenſum.* Quia illico à martyrio, Deus aditur. Ad eundem ſenſum, accommodandum eſt egregium martyrij elogium, quod ei pangunt idem Tertullianus in ſcorpiaco c. 5. & qui ex Tertulliano apertè profecit Lucifer Calarit.l.quod moriendum ſit pro Dei filio.Inde enim martyrium celebrant hi Patres, quod ſit velut quædam Dei medicina, qua Deus hominem ſuis vlceribus ac morbis perfectè eximit, ſed adhibito paſſionis cauterio, gladio, potionibus amariſſimis.Itaque cum Gnoſticus martyrij oſor,Deum crudelitatis in ſuos inſimularet, quos martyriis demeti ſineret. [Eſt planè quaſi ſæuitia, (inquit Tertullianus,) medicina de ſcalpello, déque cauterio « de ſinapis incendio: non tamen ſecari, inuri, & « extendi, morderíque idcirco malum, quia dolores « vtiles adfert. Nec quia tantum modò contriſtat,re- « cuſabitur, ſed quia neceſſariò contriſtat, adhibebi- « tur. Horrorem operis, fructus excuſat. Vlulans de- « nique ille, & gemens & mugiens inter manus me- « dici, poſtmodum eaſdem mercede cumulabit, & « artifices optimas prædicabit, & ſæuas iam negabit. « Et ſi martyria deſæuiunt, ſed in ſalutem. Licebit & « Deo in vitam æternam per ignes & gladios & acerba quæque curare. Sed medicum quoque mirabe- «

" ris etiam in illo, quod fermè pares adhibet quali-
" tates medelarum, aduerſus qualitates querelarum,
" quum quaſi de peruerſo auxiliatur, per ea ſubue-
" niens per quæ laboratur. Nam & calores caloribus
" ampliùs onerando compeſcit, & ardores ſiti potiùs
" macerando reſtinguit, & fellis exceſſus amaris qui-
" búſque potionibus colligit, & ſanguinis fluxus de-
" fuſa inſuper venula reuocat. Deum verò (& quidem
" zelotem) culpandum exiſtimabis, ſi voluit certaſſe
" cum cauſa, & iniuriæ æmulando prodeſſe, mor-
" tem morte diſſoluere, occiſionem occiſione diſper-
" gere, tormentis tormenta diſcutere, ſupplicia ſup-
" pliciis euaporare. Vitam auferendo conferre, car-
" nem lædendo iuuare, animam eripiendo ſeruare.
" Peruerſitas quam putas, ratio eſt; quod ſæuitiam
" exiſtimas, gratia eſt.] Vides perfectam vulnerum ſpiritualium martyris obductionem, per exceptionem mortis pro Chriſto. Quare martyrium, tanquam nouacula, vt Auguſtinus quoque eſt interpretatus, in pſalm. 51. & ſerm. 6. de verb. dom. ſola ſuperflua capillorum, vel putredines vlcerum tollit; & perfectæ ſanitatis beneficio impenſo, ne vltra nocere queant, efficit.

12. Hanc ob cauſam Clemens Alexandrinus 4. ſtrom. c. 5. reprehendit Heracleonem Valentinianum, qui dixiſſe videbatur confeſſionem vocis à martyre coram iudicibus, fidei hoſtibus editam, inanem eſſe, niſi confeſſio, per vitæ confeſſionem Chriſtiano dignam, anteceſſiſſet. Negat Clemens, eum ſatis perpexiſſe, id falſitatis redargui ex pleríſque antea impiis, & ſubitò per martyrium Deo ac-
" ceptis. [Quod etſi non actione aliqua & vita con-
" feſſi ſunt Chriſtum coram hominibus, eo tamen

quod

quod voce confiteantur in iudiciis, & vſque ad « mortem cruciati non negent, ex affectione credi- « diſſe cernuntur. Confitens autem affectio, & ma- « ximè quæ ne morte quidem mutatur, omnia vitia, « quæ gignebantur per cupiditatem corporis, omni- « no reſcindit. Eſt enim, (vt ſemel dicam, repentè « accumulata per actionem pœnitentia, & vera in « Chriſtum confeſſio, voce teſtificante.] Nec ſanè « negari poteſt, plerunque martyrij gratiam, hominibus illuc vſque oblæſæ, nec adeò exquiſitæ virtutis fuiſſe conceſſam, quales aliquos ſibi notos fuiſſe, teſtatur S. Epiphan. hæreſi 70. Imo auctor libri de ſingularit. clerico. apud Cyprianum num. 117. pleróſque multis flagitiis coopertos, per martyrium coronatos, & ſubitò honeſtatos fatetur. « [Sæpius & mœchi (inquit,) & ſanguinarij, & ebrio- « ſi, & omnium ſcelerum rei, reperta pugnæ occa- « ſione conuerſi, meruerunt ad martyrij veniam per- « uenire. Ideò enim martyrium, appellatur tam co- « rona, quàm baptiſma; quia baptiſat pariter & co- « ronat.] S. item Hieronymus epiſtol. 65. agens de « Pamphylo martyre, Origenis laudatore, ait id ab « eo factum, (ſi verè factum,) priuſquam martyr eſ- ſet. [Et quomodò inquies, martyrio dignus fuit? « Scilicet vt martyrio deleret errorem, vt vnam cul- « pam ſanguinis ſui effuſione purgaret. Quanti in to- « to orbe martyres, antequam cæderentur, variis « ſubiacuere peccatis?] «

Verùm inquit S. Eulogius in Apolog. SS. Martyrum Cordubenſium, [etſi culpis obnoxij ma- « neant, & ex qualibet ſorde vitiorum infecti ad mar- « tyrium veniant, nihil impedit, cum omnibus mar- « tyriali trophæo deletis, ad Chriſtum coronandi ac- «

 cedant.]

« cedant.] Pulchrè in documentis ad SS. Virgines « carcere concluſas. [Qui ſectando iuſtitiam,pro iu- « ſtitia mori eligit, celerem inſtantibus bellis defe- « ctum imponit, æternúmque indubius ad regnum « aſcendit. Sit qualis vult & ex quibuſlibet vitiorum « laqueis ſeu peccatorum ſordibus venerit, etiam ſi « illotus baptiſmate ad martyrium conuolauerit, ni- « hilominus coronatur.]

Infertur non eſſe pro martyre orandum, aut ſacrificandum.

13. Ex hactenus conſtitutis, perſpicuè ſequitur, non eſſe pro martyre orandum, vt rectè tradidit S. Auguſtinus ſerm. 17. de verb. Apoſt. verbis illis. « [Perfectio in hac vita nonnulla eſt, ad quam ſancti « martyres peruenerunt. Ideóque habet Eccleſiaſtica « diſciplina quod fideles nouerunt, cùm martyres eo « loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipſis ore- « tur, pro cæteris autem commemoratis defunctis « oretur. Iniuria eſt enim martyris, pro martyre ora- « re, cuius nos debemus orationibus commendari: « certauit enim contra peccatum vſque ad ſangui- « nem.] Idem ſerm. 107. de diuer. c.2. [Vnde mar- « tyres magni, vnde excelſi, vnde cæteris homini- « bus multò florentiùs coronati? Vnde quod norunt « fideles, diſtincti à defunctis loco ſuo martyres re- « citantur, nec pro eis oratur, ſed eorum orationibus « Eccleſia commendatur? Vnde hoc niſi quia mors « quam pro Dominica confeſſione elegerunt ſuſci- « pere, quàm Chriſtum negare, vtique amara eſt?] Vſurpauit hoc de martyre ſuffragiorum incapace, Innocentius 3. cap. *cum Martha* de celebr. Miſſa.

Sed

Sed quod hoc quaſi effatum, *Iniuriam facit martyrij qui orat pro martyre*, ex Scriptura petitum dicit; non eſt accipiendum de illorum verborum cortice: (Nullibi enim in Scriptura comparent voces illæ:) ſed accipiendum eſt de ſenſu quo voces illæ grauidantur, qui verè continetur iis ſcripturis quibus martyrij priuilegia aſtruuntur. Quo ferè modo plerique, allegatum ex ſcripturis interpretantur illud Chriſti Ioan.7.*Sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent.* Quorum verborum cortex in nulla Scriptura reperitur.

Prior nodus ex Patrum locis in contrarium.

14. Hoc tamen conſectarium, non vnius autoritatis machina, & firmæ rationis impetu quati videtur. Nam imprimis erit qui cenſeat S. Cyprianum, laudum martyrij cæteróqui prodigum; orationem pro martyribus iam cæſis approbaſſe, cum ſcribat epiſtol. 34. num. 11. [Veri & ſpirituales « Dei milites; dum Diabolum Chriſti confeſſione « proſternunt, palmas à Domino & coronas illuſtri « paſſione meruerunt. Sacrificia pro eis ſemper, vt « meminiſtis, offerimus, quoties martyrum paſſio- « nes, & dies anniuerſaria commemoratione cele- « bramus.] S. item Chryſoſtomus hom. 21. in Acta, « ſacrificium Miſſæ pro martyribus offerri, in hunc modum docet. [Quid dicis? In manibus eſt hoſtia, « & omnia propoſita, ſunt benè ordinata; ad ſunt « angeli, adſunt archangeli, adeſt filius Dei, cum « tanto horrore aſtant omnes, aſtant illi clamantes « omnibus ſilentibus, & putas temerè hæc fieri? Igi- « tur & alia temerè, & quæ pro Eccleſia, & quæ «

pro

« pro ſacerdotibus offeruntur, & quæ pro plenitudi-
« ne ac vniuerſalitate? Abſit. Sed omnia cum fide ſunt.
« Quid tibi videtur, quod pro martyribus offertur?
Tandem Clemens Romanus 6.conſtit. cap.vltimo
« [Conuenite in cœmeteriis ad legendum ſacros li-
« bros, & canendum Pſalmos pro mortuis martyri-
« bus, & Sanctis omnibus, qui ſunt à ſæculo defun-
« cti; ac pro fratribus veſtris, qui in Domino mor-
« tui ſunt; & Euchariſtiam Deo acceptam antity-
« pon, id eſt, Sacramentum regalis Corporis Chri-
« ſti, offerte in Eccleſiis veſtris, & in cœmeteriis,
« atque etiam cùm excedunt è vita proſequimini
« cantu Pſalmorum, ſi fuerint fideles; pretioſa enim
« in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.]

Explicantur.

15. Cæterum longè alia prædictis Patribus mens fuit. Quod enim ex S.Cypriani epiſtola 37. apertè habetur, hæc apud eum oblatio ſacrificiorum pro martyribus, aliud non fuit quàm martyrum commemoratio ſuper ſacrificium; vt pluribus cum Rhenano expendit Pamelius ad librum Tertulliani ad martyr. n.22. Idipſum duntaxat voluit S. Chryſoſtomus loco allegato, vbi egregiè tradit quàm ſit SS. martyribus honorificum, nominari ſuper ſacrificium, & ſatis innuit ſic accipiendum eſſe quod dixit de oblatione pro martyribus. Ait
« enim. [Licet martyres ſint, etiam pro martyribus
« offertur. Magnus honor nominari Domino præſen-
« te dum mors illa celebratur, & horrendum ſacrifi-
« cium, & ineffabilia ſacramenta. Sicut enim ſeden-
« te rege quæcunque quis voluerit perficit; vbi au-
tem

tem ſurrexerit, quæcunque dicit, fruſtra dicit: ita « & tunc quandiu propoſita fuerint myſteria, omni- « bus honor maximus in memoria haberi. Vnde « enim annunciatur tunc ſacramentum horrendum, « quod pro mundo dedit ſeipſum Deus, cum illo mi- « raculo tempeſtiuè memor eſt ille eorum qui pec- « carunt. Sicut enim quando regum trophæa ſtatuun- « tur, tunc celebrantur quidem & quicunque victo- « riæ ſocij fuerunt; dimittuntur autem qui ſunt in « vinculis per illud tempus; vbi autem tranſierit hoc « tempus, qui nihil aſſecutus eſt, nihil obtinet, ita ſanè « & hic.] Subdit & alteram cauſam illius, martyrum « memoriæ in ſacrificij oblatione. Nempe vt conte-ſtemur Chriſtum viuere, deuicta & per eius mortem mortua morte, quæ cauſa longè alia eſt à fructu martyribus quæſito per ſacrificium, aut preces noſtras. Quod æquè dicendum eſt de alia eiuſdem memoriæ cauſa, adducta à S. Cyrillo catech. 5. myſtago. dicente vſurpari eam martyrum commemorationem in Miſſa. *Vt Deus orationibus illorum & deprecationibus, ſuſcipiat preces noſtras.* Ac etiam de ea quam proponit Simeon Theſſalo. c. *de miſſa fidelium*; nempe quod Sancti in ſacrificio memorentur, vt conteſtemur noſtram cum eis ſocietatem. Itaque cum hæ cauſæ ſint alieniſſimæ ab ea quæ inter obiiciendum aſſumitur, & tamen primo loco adhibenda fuiſſet ſi verè locum haberet, fatendum eſt nullum fructum martyribus parari, ex eorum memoria in incruento ſacrificio, & quibuſuis noſtris precibus. Et diſertè ita tradit Eugenius IV. in Bulla Canonizationis S. Nicolai Tolentinatis *initio*, & iam olim S. Auguſt. tract. 84. in Ioan. vbi ſic loquitur de martyribus. [Ideò ad «

ipſam

« ipſam menſam, non ſic eos commemoramus, « quemadmodùm alios qui in pace requieſcunt, vt « etiam pro eis oremus, ſed magis vt orent ipſi pro « nobis, vt eorum veſtigiis adhæreamus, quia im- « pleuerunt ipſi charitatem, qua Dominus dixit non « poſſe eſſe maiorem.]

16. Non deſunt tamen aliquales fructus extrin-ſeci, quos dicere liceat SS.martyribus per oratio-nem noſtram aut ſacrificij oblationem præſtari. Ce-dit enim in aliquod eorum bonum, quod Deum rogemus vt eos honorari in dies magis, ac illuſtra-ri velit. Qua interpretatione Innoc. 3. cap. *cum Martha* de celebr. Miſſa. molliri vult petitiones quaſdam ſacris collectis inſertas, quibus Deum rogamus, vt velit oblationem ſancto prodeſſe. Ap-probátque hanc ſententiam Bellarm. l. 2. de purgat. c. 18. & Suarez lib. 1. de orat. c. 14. à num. 4. Nec etiam iiſdem martyribus inutile eſt, quod per ſa-crificium agamus Deo gratias propter beneficia il-lis conceſſa, & quadantenus iuuemus illos in diſ-ſoluendis nominibus quibus Deo pro tot donis in-diſſolubiliter aſtringuntur. Ita nodum propoſitum extricant Carolus Bouius ad l. 8. conſtit. Clemen. c. 18. & Simeon Theſſalon. l. de myſterio Miſſæ c. 45. ac Cabaſilas in expoſitione liturgiæ c. 48. Eſt etiam qui exiſtimet orationes & ſacrificia noſtra poſſe SS. martyribus prodeſſe, ad accelerandam reſurrectionis gloriam. Ita Henriquez l. 9. c. 14. n. 2. Nec Innocentius III. reprobat quorundam ſententiam quam refert, quod acceſſio quædam ad SS. gloriam facienda fit, donec finiantur lux & tenebræ: proindéque non improbaretur qui dice-ret eam gloriæ acceſſionem SS. martyribus per

orationes

orationes noſtras & ſacrificia poſtulari: præſertímque ſi id acciperet de augmento illo gloriæ accidentalis quod enaſci diceret ex fructu mortalium, proficientium exemplo SS. martyrum, & illuſtres eorum actus imitatione exprimentium. Ex tam multiplici interpretatione, quam prolatis contra veritatem propoſitam teſtimoniis dedimus, liquet nihil ei ab autoritate incommodari.

Nodus alter ex ratione, extricatur.

17. Sed neque à ratione, quæ admoueri aduerſus eandem videtur poſſe, ex eo quod nihil vetet martyrem è vita excedere cum affectu ad veniale peccatum; ac proinde reatum aliquem hinc exportare fidelium ſuffragiis obliterandum. Certè S. Ambroſius non obſcurè id inſinuat epiſt. 27. agens de Epiſcopo qui Iudæorum ſynagogam incenderat, & à Theodoſio ad excitationem ſynagogæ de ſua pecunia, adigebatur. Vrget ergo imperatorem S. Ambroſius; videat etiam atque etiam, ne cogat Epiſcopum mentiri leuiter, & ſibi falsò impingere factum, ob quod ſi morte plectatur, martyr euadat. Vbi apertè ſupponitur ab Ambroſio, eiuſmodi Epiſcopum poſſe martyrium ſubire, contracta, nec ante mortem expiata, leuis mendacij labe. Præterea non videtur dubium, quin leuicula aliqua culpa ex vſu ſaltem ſemipleno libertatis, ſufficiente ad tenuem maculam, poſſit obrepere homini dum ad martyrium abripitur, & perſtare in eo ad inſtans vſque excedentis à corpore animæ: ſi nimirum prætermittatur quiuis bonus actus, cum perſeuerantia illius culpæ incompoſſibilitatem habens.

bens. Igitur reatus ex huiuſmodi culparum minutiis reſiduus in martyre, poterit viuorum ſuffragiis, præſertímque incruenti ſacrificij applicatione eradi.

His rationibus nego conuelli ſententiam propoſitam, qua ſuffragiorum fructus vllus exiſtere à nobis in martyres negatur. Et non video quidem, quàm commodè negari poſſit, ea leuis culpæ per martyrem admiſſæ, exportatio ex hac vita in euentibus propoſitis. Perperam tamen inde concluditur, martyrem bonorum noſtrorum egere, & poſſe per orationes ac ſuffragia noſtra, ſemoueri remoras, quas reatus ex labeculis illis exportatus martyris beatitudini iniiceret. Quod enim de cuiuſcunque iuſti leuibus culpis hinc exportatis paſſim traditur quoad maculam; nempe eam in exceſſu è vita confeſtim tolli interueniente flagrantiſſimo actu charitatis in quem anima abiecto carnis oſtreo propenſiſſimè fertur; ſuperſtitem autem durare ſolum reatum, ignibus expurgatoriis conſumendum: hoc ipſum de macula ſimul & vniuerſo reatu ei reſpondente, dicendum eſt in re propoſita. Nimirum in exceſſu è vita, omnem hanc minutiarum peccati rubiginem, incenſiſſimo charitatis camino in anima martyris nunc flagrante, excoqui omnino; Deo per condonationem extrinſecam martyri ſuo citra quodcunque eius meritum, (quippe iam extra viam poſiti,) noſtráque ſuffragia id concedente, per priuilegium martyrio annexum. Quod videri poſſit expreſſum à Saluiano
" l. 3. cum de martyribus ait. [Ad cœleſtis regiæ ia-
" nuam, gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes,
" ſcalas ſibi quodammodò de equuleis cataſtíſque
fece

fecerunt.] Non igitur egent ſuffragiorum noſtro- «
rum ſcandulis.

Martyrium eſſe gratiæ ferax ſupra opus operantis, qui negarint.

18. Supereſt exponendus modus quo datur gratia, quam conferri martyri diximus, & modus item quo confertur reatus fortè præiacentis abſterſio, qua martyrem çumulari oſtenſum eſt: Tempus item collationis beneficiorum illorum, non eſt exploratum. Quare de vtroque illo puncto agendum ſequitur. Et quoad modum quidem quo gratia confertur martyri, non pauci negarunt quicquam gratiæ martyri adulto conferri ſupra id quod emercatur vi diſpoſitionum quatenus meritoriarum, ita vt nihil accipiat ex opere quaſi operato, ſed tantùm ex opere operantis. Ita Sotus in 4.d.3.q.vnica, concl.4. Martinus Ledeſma 1. p. quarti q. 7. artic. 11. dub. 4. Bannes 22.q. 24. artic. 6. dub. 5. ad 7. Vaſq. 3. p.d. 153.c. 3. quibus non obſcurè fauet Petrus Cluniac. epiſto. contra Petrobuſianos, ſæpè inculcans, martyrem ſalutem ſuam in martyrio conſequi per fidem quam adhibet; vtique viuam, hoc eſt per eximium illum charitatis actum, ex quo ceruicem gladio metendam pro Deo obiicit. Quo eodem modo loquitur Petri æqualis S. Bernardus epiſto. 77, & apertè ad modum prædictum interpretatur fidem ex qua ſalus martyri accidit. Ait enim præter cætera. [Etſi martyrium vicem baptiſmi implere poſſe conceditur, non planè hoc facit «
pœna, ſed ipſa fides. Nam abſque ipſa, quid eſt «
martyrium, niſi pœna?] Fidem autem ait eſſe, «

perfectam cordis conuerſionem ad DEVM, vniuerſis præceptis ſeruandis intentam. Annuere videtur Tertullianus c. 6. Scorpiaci. Nam præfatus *nihil iam martyribus imputari poſſe quibus in lauacro* (nimirum cruento,ſiue baptiſmo ſanguinis,) *vita ipſa deponitur*; ſubdit : *ſic dilectio operit multitudinem peccatorum.* Quæ verba ſonare videntur, fructum gratiæ & remiſſionis peccatorum,ac reatus abſterſionem, debere ad opus operantis, ad martyris inquam dilectionem reuocari. Et ſanè actus humilitatis eſt apud Deum longè potior,primíſque honoribus dignior quàm martyrium vt S.Chryſoſtomus homil. de petit. filiorum Zebed. quæ eſt 33. tomi primi Græc. infert ex Chriſti reſponſo ad fratres ſupremum ſibi locum interpoſitu matris depoſcentes,ſéque ea ex cauſa promptos exhibentes ad bibendum martyrij calicem. Repoſuit enim nihilominus Chriſtus quamuis bibituri eſſent calicem,locum tamẽ regni ſupremum,à Patre humilibus non aliis fuiſſe addictum. Quod eſt dicere, ait S. Chryſoſtomus,plus humilitati quam martyrio deberi.

Contrarium placet.

19. Hæc ſententia mihi non probatur nec probata ſanè eſt Sancto Thomæ in 4. d. 4. q. 3. art. 3. ad. 1. & tota q. 4. quem ſecuti ſunt Bellarm. l. de baptiſ. c. 6. Henriq. l. de baptiſ. c. 36. Leſſ. l. de fortitud. c. 1. à n. 45. Valent. t. 3. d. 8. q. 2. p. 2. Suares t. 3. 3. p. d. 29. ſ. 2. aliique non pauci cum quibus planè ſentio,per martyrium,aliquam gratiæ menſuram ſupra eam quæ operi operantis rependitur,ſiue ſupra meritum diſpoſitionum, conferri. In quam

quam rem vrgeri inprimis ſolet exemplum infanti in, qui non ſunt capaces operis operantis, & tamen gratiam in martyrio recipiunt, cum poſſint per illud ſalutem conſequi, vt ſupra eſt demonſtratum. Inde ergo perſpicuum videtur aliquem gratiæ fructum, martyrio adultorum reſpondere, ſupra opus operantis, cum vel iam iuſti ſunt, vel ex actu admodum perfecto, & aliàs gratiæ conciliatiuo, martyrium ſubeunt. Neque enim adiunctio operis operantis in adulto, hebetare poteſt vim quam ex ſe habet martyrium, vt ex infantibus eſt perſpicuum. Hanc rationem non aliter conuellit Sotus, quàm admittendo quod de infantibus aſſumitur, negãdo autem quod de adultis infertur. Hæc tamen eſt aperta argumenti eluſio. Si enim ea eſt martyrij efficacia erga infantes, quidni par ſit erga adultos, qui longè perfectiùs Deo atteſtantur? Omnia item Scripturæ loca quæ ad priuilegium de quo agimus, martyribus infantibus arrogandum, proferri poſſunt, æquè pro adultis militant, aut etiam in eos clariùs cadunt; & denſa æquè ac luculenta ſuppetunt Patrum teſtimonia, quibus hæc martyrij prærogatiua firmatur, indiſtinctè, & quoad omnes martyrium ſubeuntes. Itaque adultorum & infantum martyrum analogia, videtur explorata: & quandoquidem aduerſarij negare nec audent nec poſſunt, quin infantibus martyribus gratia ſanctificans per martyrium tribuatur: neceſſe etiam eſt vt concedant, martyri adulto concedi gratiam per martyrium; hoc eſt ſupra id quod diſpoſitiones liberæ, ab eo ad martyrium adhibitæ ferũt. Quia verò de gratia infantibus per martyrium conceſſa non eſt controuerſia, idem ſeorſim euincamus de gratia adultis

martyribus per ipſummet martyrium ritè obitum concedenda.

20. Imprimis Patres quos ſupra longo agmine adduximus, martyrium baptiſmo non æquant modò, ſed & præferunt, quoad vim conferendi ſalutem primam. At hoc falſò aſſereretur, ſi adultus peccator non poſſet vi ſolius martyrij recipere gratiam, niſi ex parte hominis diſpoſitio accommodata pròliciendæ gratiæ adhiberetur. Conſtat enim baptiſmum adulti non exigere niſi imperfectam illam pœnitentiam actualium peccatorum ante admiſſorum, quæ ad gratiam ex opere operantis inferendam, eſſet inidonea. Igitur ſi martyrium, vt Patres ſupra adducti confirmant, plus aliquid virium à Deo hac in parte accepit quàm ſacramentum baptiſmi, neceſſe eſt fateamur, adultos per martyrium accipere portionem gratiæ aliquam, ſupra menſuram quæ operi operantis reſpondere poteſt; quæ menſura nulla eſt ſi diſpoſitio per martyrem illhuc vſque peccatorem adhibita, talis ſit bona fide, vt ad conciliandam ex ſe gratiam ſit inepta. V.G. ſi ſit tantùm attritio, & martyr peccator bona fide cenſeat ſe ob martyrium exolui neceſſitate vlterioris ac perfectioris conuerſionis adhibendæ, vel inuincibiliter putet eſſe contritionem perfectam quæ reuera non eſt niſi attritio.

Potiri etiam videmur Eccleſiæ ſuffragio. Nam Eccleſiæ ſenſus planè fert, aboleri in martyrio vniuerſum reatum peccatorum ante admiſſorum, quantacunque demum eſſent, & quantumlibet lenis miniméque acerba mors irrogetur. Idcirco enim Eccleſia interdicit oratione & oblatione ſacrificij pro compertis martyribus. Conſtat autem huiuſmodi

iuſmodi plenariam indulgentiam à ſupremo Pontifice conceſſam, non rependi martyris perpeſſionibus, quæ ſæpè etiam adiuncta morte, non æquarent reatum tot tantorúmque peccatorum. Non rarò namque, ad martyrium rapti ſubitò ſunt nonnulli omnibus flagitiis cooperti, quibus ſatis remiſsè diſpoſitis, demeſſa vno ictu ceruix, nequaquam ſufficeret ad expiationem, & tanti reatus quanto obſtringuntur expunctionem. Pleriſque ſanè longè auctiore charitate in Deum, & aduerſus leuiora peccata admiſſa animatis, nec pauciora perpeſſis, reatus aliquæ reliquiæ poſt mortem ſuperſunt, quia martyres non excelſerunt. Non enim Purgatorij expertes euadunt iuſti omnes, qui patienter conflictati ſunt cum diuturno morbo, cuius acerbitas multorum martyrum dolores ſuperaret. [Dabo „ tibi multos, (ait Lucifer Calaritanus lib. quod mo- „ riendum ſit pro Dei filio,) qui in lectulis crudeliùs „ pereant, quos interior aliqua ſuppuratio inflauit, „ & neruorum ſecum luctantium dolore contraxit.] „ Et tamen vt præmittebam, non omnibus eo modo morientibus, Purgatorij indemnitas præſtatur. Igitur vt D. Thomas rectè intulit, neceſſe eſt fateamur Eccleſiam à Spiritu ſancto doctam, perſpexiſſe, eam reatus abolitionem martyri indultam, non reſpondere operi operantis, ſed eſſe priuilegium martyrio repenſum ſupra quamcunque diſpoſitionum martyris exigentiam.

Quod ſi remiſſio pœnæ debitæ, confertur martyri per martyrium, quanto magis remiſſio culpæ, quam conſtat oportere priùs ſuccidi & exareſcere; cum ſit radix ex qua reatus progerminat; nec vllæ ſcripturæ, vel vlla Patrum teſtimonia emundatio-

nem reatus confirment, quibus non multo magis ſtabiliatur culpæ ablatio? Nam ſcripturæ quidem quibus martyrij prærogatiuæ firmari poſſunt & ſolent, illæ ſunt præcipuæ præter alias minutiores à S. Cypriano accumulatas l. de exhortatione martyrij. Matth. 10. & 16. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Marci 8. & Lucæ. 9. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eam.* Matth. 10. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo.* Hæc loca, conſtat æquè in gratiæ collationem ac in reatus abſterſionem cadere; Imo principaliùs ſonare emundationem à peccato, & gratiæ infuſionem. Eodem modo vrgeri poſſunt loca Patrum, quibus apertè traditur ſalutem & peccata omnia per martyrium donari, qualia quàm plurima in ſuperioribus protulimus.

Pauci verò illi Patres quos initio huius puncti pro contraria ſententia adduximus, ita accipi benignè poſſunt, vt non dicant, fidem viuam vel conuerſionem aut dilectionem quam martyr martyrio adiungit, eſſe ſolam cauſam fructuum martyrij; ſed tantùm dicant, ex eo quoque capite aliquid gratiæ ex opere operantis conuehi martyri, & illud ipſum opus operantis ex ſe gratiæ fertile, aptare hominem vt ex eius perpeſſione aliud gratiæ ſuperpondium extundatur, quod diſpoſitioni illi non reſpondeat vt cauſæ, ſed ad eam vt ad meram diſpoſitionem conſequatur: ſicut etiam conſequi poſſet ad aliam leuiorem diſpoſitionem, gratiæ ex ſe ſterilem, ſi bona fide à martyre peccatore adhiberetur. Quæ omnia perſpicua erunt, attendenti ad Sacramentorum nouæ legis & martyrij proportionem.

S.De

S.Denique Chryſoſtomus, longè abeſt à deneganda martyrio prærogatiua conferendæ gratiæ vltra meritum martyris. Tantùm quippe negat, martyrium abſque humilitate, ſufficere ad conſequendos in regno Dei primos honores; ídque acutè infert ex Chriſti Domini ad duos fratres reſponſo. Aliud autem eſt, martyrium humilitate deſtitutum non ſufficere ad ſummam gloriam: aliud, non poſſe per martyrium, gratiam conferri vltra menſuram patientis merito debitam. Poteſt enim alicuius perfectionis excluſio, & oppoſiti defectus immiſſio, plus obeſſe, quàm prodeſſet perfectionis illius nuda poſitio. Sic minimum peccatum mortale, prorſus excludit à gloria & mediocri & ſumma; quamuis actus virtutis ei peccato contrarius, non is neceſſariò ſit, cui ſumma gloria ſit reponenda. Cæterum quicunque tandem ſtatuendus ſit humilitatis fructus, hoc nihil ad rem præſentem refert. Quia gratiæ collatio vltra meritum operantis, non deſumitur ex operationis nobilitate: quaſi ſi actio aliqua annexam habet eam prærogatiuam, neceſſe ſit eandem concedere actioni nobiliori, aut maiore merito præditæ. Hoc enim falſum eſſe, patet ex attritione, quæ longè ignobilior eſt amore Dei ſuper omnia: Et tamen attritio in ſacramento pœnitentiæ, eſt ferax gratiæ ſupra meritum operantis, quod non habet dilectio perfecta. Igitur ad prærogatiuam illam de qua agimus, actioni alicui aut perpeſſioni vendicandam, attendenda duntaxat eſt Chriſti voluntas, qui gratiam nexuit cum actione aut paſſione aliqua. De eà autem Chriſti voluntate pro martyrio, conſtat ex Scripturis propoſitis.

Quantitas gratiæ, martyrio reſpondens ſupra eam quæ operi operanti reſpondet.

22. Itaque ratum eſto, martyrium cuiuis martyri, atque adeò non infanti tantùm, ſed etiam adulto debitè diſpoſito, primam gratiam ſanctificantem conferre; eiúſve, ſi iam in homine præiacebat, augmentum aliquod conciliare, vltra menſuram diſpoſitioni & actibus martyris debitam. Quæ porrò & qualis ſit ea gratiæ menſura martyrio repenſa, ſtatuere definitè non poſſumus. Eſſe tamen admodum inſignem, eſt extra dubium. Sanctus certè Auguſtinus l. de ſancta virginit. c. 45. agens de fructu quinquageno, ſexageno, atque centeno, quibus gradibus Chriſtus Dominus gratiarum portiones diſtinxit; ſummam, hoc eſt centenam menſuram, martyri à quibuſdam anterioribus ſacris tractatoribus, adſcriptam docet.

Illud item ex proportione ad Sacramenta conſtitui generatim poteſt, pro meliori diſpoſitione paſſi, eiúſque per meliores actus meliori aptatione, vberiorem martyri gratiam tribui, non tantùm ex opere operantis, ſed etiam vi ſolius martyrij, quod æquè ac Sacramenta agit per modum cauſæ naturalis: ac proinde poſita meliori diſpoſitione ſubiecti, plus agit, vt circa Sacramentorum cauſalitatem tractatum eſt; & ex ibi dictis, (quæ hîc æquè locum habent,) vt ratum pono. Quare adultus martyr, maiorem gratiam ex martyrio ferè ſemper percipit quàm infans: Quod hic nulla actuali diſpoſitione ad martyrij fructus aptetur, ſicut adultus. Quem tamen non ſemper, ſed ferè ſemper, paruulo

lo antepono hac in parte, quia aliquando adultus quoque nulla actuali diſpoſitione interueniente martyrium ſubit. Vt cum præmiſſa iampridem acceptatione, dormiens obtruncatur in odium fidei. Nulla enim ibi actualis diſpoſitio adhibetur. Aliquando item, habitualis diſpoſitio infantis, ſita in gratia ante parta per baptiſmum, poteſt cenſeri melior & dignior actuali diſpoſitione per adultum adhibita. Vt ſi adultus peccator inuincibiliter ſubeat martyrium cum ſola attritione. Talis námque diſpoſitio actualis, non æquat habitualem diſpoſitionem paruuli antea baptizati, qui ab hoſte fidei interficitur, & propter digniorem illam diſpoſitionem, vberiori gratia ex martyrio potiri debet. Extra hos infrequentes euentus, ſicut adultus qui ſui compos ad mortem rapitur, pretioſiſſimis diſpoſitionibus actualibus ad martyrij fructus aptatur, ita eoſdem legit vberiores, vt affirmabam. Portio igitur gratiæ per martyrium obtingens paruulis, per ſe loquendo ac cæteris paribus, minima eſt; & quoad omnes paruulos æqualis. Nam ſi martyrem infantem ante baptizatum, atque adeò habitualiter diſpoſitum, cum non baptizato ſolam non repugnantiam ad gratiam afferente, componas; non ſtatues omnia paria: ideóque mirum non erit, inæqualem gratiã paruulis ex martyrio obuenire. Gratia verò adultis ex martyrio parta, quamuis per ſe loquendo, id eſt ſecluſis infrequentibus euentibus paulo ante tactis, ſit maior quàm gratia paruulis martyribus repenſa, tamen pro meliori diſpoſitione per martyrem adultum adhibita, auctior efficitur. Vnde quo pertingat gratiæ quantitas ſiue in paruulis ſiue in adultis martyribus, definire certò

non poſſumus : quia in paruulis menſura illa quæ vt plurimum vbique æqualis eſt, quamuis ſit ſtata, ſoli tamen Deo eſt comperta. In adultis autem tanta eſt diſpoſitionum inæqualitas, vt neceſſe omnino ſit quantitatem fructuum martyrij, reſpectu eorum, multo nobis eſſe incertiorem. Quare in præſentia ſatis eſt, ſi illud fixum habeatur, ex martyrio inſignem fructum gratiæ percipi, diſtinctum ab eo qui bonæ diſpoſitioni actuali rependitur tanquam præmium eius, prout actio quædam eſt præmio & laude digna.

Conferátne martyrium gratiam ex opere operato; lis de nomine.

23. An verò modus hic gratiam aduocandi, quem liquet non eſſe ex opere operantis, dicendus ſit ex opere operato, lis eſt de vocibus. Affinis certè eſt ei modo gratiam conferendi, quem in Sacramentis vocamus ex opere operato : id eſt ex vi ipſius actionis ſacramentalis à Deo inſtitutæ, & per miniſtrum operatæ ſiue exercitæ : ita vt eo ipſo quod actio illa operatur, (paſſiuè, vt apud Apoſtolum, *fides quæ per dilectionem operatur*, id eſt *exercetur*, Græcè ἐνεργυμένη :) eo ipſo inquam quod talis operatio elicitur, fiat per eam gratia : etiamſi ea actio ſpectetur ratione ſui tantùm, neglecto operantis vel recipientis ſtatu proportionato, iuſtam proportionem habente cum effectu qui procreatur; non tamen excluſis diſpoſitionibus ſubiecti ratione vtentis, quæ interueniunt vt remotiones obicis, & paſſi aptationes. Similiter ergo martyrium, meritò videri poſſet ex opere operato conferre gratiam,

quia quamuis non ſit Sacramentum, vt contra Maiorem id inſinuantem in 4. d. 4. q. 3. ſub finem, latè probat Soto in 4. d. 3. q. vnica art. 11. concl. 4. tamen infert aliquam gratiæ quantitatem, vltra menſuram actui ad illud diſponenti rependendam, ac plerunque etiam nullatenus debitam. In eo tamen diſcrepat martyrium à Sacramento, in hac vi gratiam cauſandi citra opus ſubiecti, quòd ſacramentum actio ſancta eſt, Chriſti meritis veluti fœta, & ad gratiæ ſignificationem diuinitus deputata. At martyrium eſt aliquid abominandum, cum grauiſſimam iniuſtitiam in proximum, & tetram numinis violationem contineat. Vt idcirco Ægidius quodl. 2. q. 15. ex Hugone contendat Eccleſiam in qua martyr cæſus eſt, eſſe reconciliandam tanquam pollutam. Imo quod iidem negant, locus quoque cædis immediatus, expiandus eſt. Non enim propter aſperſionem ſanguinis innoxij & ſancti quæ Eccleſiam polluere admittitur, locus ipſe qui atrocitatem iniuriæ in ſanctum admiſſæ excepit, negandus eſt inquinari: quamuis veriſſimum ſit, eidem loco venerationem peculiarem eſſe exhibendam, non ratione actionis in illo patratæ, quæ expiationem depoſcit, ſed ratione virtutum heroicarum, quas martyr ibidem elicuit patiendo, & ratione contactus, ac inſperſionis ſacri ſanguinis. An ergo propter materialem illam & concomitantem diſcrepantiam, ſacramenti & martyrij, in eodem modo cauſandi gratiam, vtrunque dicendum non ſit cauſare gratiam ex opere operato, lis eſt de vocibus, circa quas tricari non libet.

Quando

Quando conferatur martyri gratia, & reatus abſterſio, aliorum placita.

24. Iam quoad tempus collatæ martyri gratiæ, & abſterſionis reatus fortè præiacentis, de quo agendum conſequenter receperam; reiiciendus imprimis eſt Salas 1.2.tract.2.d.2.n.14. affirmans effectus illos conferri martyri, tantùm poſt obitum. At hoc quoad gratiam, eſt planè alienum à ſtatu comprehenſoris. Nam ex quo arbor cecidit, ibi ſtat vbi cadens inuenitur. Id eſt, nulla in hominis ſanctitate mutatio efficitur poſt mortem, ſed eam ſolùm gratiam retinet, quam hinc exportat: & idcirco ſemper in eodem ſtatu permanet, niſi ſi occaſione reatus alicuius abſtergendi, neceſſaria ſit breuis remora in ignibus emendatoriis. Quoad abſterſionem verò reatus, quamuis poſſet martyri poſt obitum concedi; Tamen æquum fuit illam ſimul cum gratia tribui: quandoquidem & gratia, & condonatio reatus, rependuntur generoſæ illi mortis contemptioni, quam martyr ſuperſtes prodit.

Ea igitur opinione abiecta, viſum eſt non paucis, prædictos effectus tunc conferri martyri, cum primùm deuenit ad ſtatum in quo vi eorum quæ paſſus eſt, indeclinabiliter morti ſubiacet. Ita Vega lib.6. in Trident. c.37. & l.9 c.43. Suarez t.3.3. p.d.29.ſ.3.*ſub finem*, & Leſſius l.3.de virtut.n.59. Sed neque hoc placet. Sic enim frequenter, effectus propoſiti longè ante mortem conferrentur. Nam vulnera lethalia, aut propinatio veneni lethiferi & immedicabilis, multis plerunque menſibus morti præcurrunt: quo tempore interlabente,

facilè poſſet contingere, vt martyr gratia excideret, ac proinde damnaretur. Multos enim pro Chriſto grauiſſima paſſos, poſteà fœdiſſimè lapſos S. Cyprianus epiſt. 7. admodùm flebiliter deplorat. Et Cappadocem illum Apoſtatam, cui carcerarius Sebaſtenus ſuffectus eſt, poſt lethalia vulnera defeciſſe à fide, mox conſecutus infauſtus obitus monſtrauit. At hominem verè ac plenè martyrio perfunctum, eóque titulo gratia martyrij iam potientem, tot Chriſti promiſſiones ſecurum faciunt beatitudinis, vt dixerit Maior in 4.d.49.q.24. à placito dubitante de talis hominis æterna ſalute, æquè recedendum eſſe, *ac recedimus repentè, inopinatò pede prementes colubrum.* Deinde tempus illud cenſeri debet maximè idoneum ad collationem effectuum prædictorum, quòd quàm maximè accedit ad vitæ finem: Nam tempus conſequens exceſſum martyris è vita, iam excluſum eſt tanquam diſſentaneum à diuinis legibus circa gratiæ conceſſionem. Initium verò martyrij, quamuis morte certò ſecutura, non eſt accommodatum expromptioni diuinæ huius largitatis, ne merces tribuatur per ſolutionem nimiùm anticipatam, & quo tempore ob ſuperſtitem libertatis vſum, adhuc poteſt reſilire, & impendentem mortem auerſari. Quærendum ergo eſt tempus aut momentum aliquod, quo homo & adhuc ſit viator, ideóque nouæ gratiæ capax, & minimum abſit à morte, quæ vltimò martyrium conſummat: ita vt ad eam videri poſſit deuẽtum, eo quod homo ita ſit affectus, vt nequeat vltra reſilire, & martyrium voluntate defugere. At nihil horum cadit in tempus quo lethale vulnus homini infligitur, ſed plerúnque multò poſteriùs.

Quid

Quid probabilius videatur.

25. Longè itaque commodius videtur, tempus illud adſcribere collationi prædictorum martyrij effectuum, quo ví vulnerum illatorum eo deuenitur, vt exciſa temperie quæ ad vſum ſenſuum internorum neceſſaria eſt, vsúque libertatis iam intercluſo, homo obſtipus planè iaceat, videatúrque præmortuus: quod contingit per tempus aliquod ante mortem, ſaltem breuiſſimum & imperceptibile. Sicut enim anima rationalis quoad omnes gradus ſuos ſimul inducta, expromit primùm functiones gradui imperfectiori reſpondentes, ſícque pro meliori in dies aptatione materiæ, progreditur ad gradus altioris operationis, quod ex nutritione quæ partialis quædam generatio eſt, videtur perſpicuum: Ita in receſſu animæ rationalis à corpore, ob contrariam cauſam proportionalem, contrarium accidit. Hoc eſt quamuís anima rationalis quoad omnes gradus ſuos ſubſtantialiter ſpectatos, ſimul ac ſemel ab vna aliqua corporis parte abiungatur, tamen priuſquàm functiones vitæ omnes, in ea parte ceſſet elicere, inepta primùm euadit ad operationes ſublimiores, (nempe rationales,) ibi formandas; tum ad deſpicatiores ſiue ſenſitiuas, tandémque ad vegetatiuas, atque adeò ad omnes. Tametſi aliquando perexiguum víxque perceptibile interuallum decurrit, inter abiectionem aptitudinis ad altiores functiones, & aptitudinis ad viliores, vt deprehenditur in iis qui differentes ſubitò exanimantur, aut quibus ceruix præpropero ictu demetitur. Hoc igitur tempus,

pus, quo homo vi inflictorum vulnerum,& abactæ temperiei neceſſariæ ad rationis ac libertatis vſum, humanæ vitæ quaſi præmoritur; aio eſſe tempus illud, quo homo breui ante mortem, iam ſui impos, non vltra de mutatione periclitatur, ob libertatis vertiginem interclvſo rationis vſu prohibitam. In illius inquam temporis primo momento, quo verum eſt hominem tunc primùm incipere eſſe ſui impotem; vel ſi datur inſtans vltimum quo eſt ſui compos, (iuxta varias philoſophicas ſententias quas hîc non moror,) immediatè poſt illud momentum, atque adeò extrinſecè in eo momento, incipit gratiæ infuſio & reatus abſterſio. Id quod locum etiam habiturum exiſtimo circa eum, qui ad prædictum iam deductus ſtatum, eximeretur à morte per miraculum, quicquid è contra ſtatuat Maior in 4.d.49. q.24. Neque enim veriſimile duco, diuinam largitatem, propter temporalem benignitatem, & aliquorum dierum vlteriorem vſuram,quàm ſupra naturæ ordinem vult concedere, parcam eſſe velle meliorum chariſmatum, quibus pugilem ſuum exornatura fuiſſet, ſi curſum naturæ ſiuiſſet ſibi, nec miraculo inhibendam vulnerum efficientiam decreuiſſet. Probabiliſſimum item cenſeo,benignam Dei manum affuturam,ne qui iam Cœlum propè prehẽdens, inde diuinitùs reductus eſt,ab ea ſpe auertatur:& curaturam vt dilata fœlicitate tandem aliquando potiatur.

Catharini argumentum pro certitudine gratiæ, ex dictis diſiicitur.

26. Porrò ex conſtitutis de tempore quo gratia confertur

confertur martyri, euertitur longa & frequens apud Catharinum argumentatio pro certitudine gratiæ iuſtorum, ex eo ducta, quod martyres certò agnoſcant ſe gratia Dei ſanctificante potiri: vnde idem de cœteris iuſtis colligi videtur, cum loca quæ aduerſus gratiæ certitudinem in communibus iuſtis vrgentur, ſint vniuerſalia, ac proinde æquè circa martyres valitura, ſi reuera valerent circa alios. Ità habet Catharinus diſceptatione 1. contra Sotum, & latè in aſſertione 12. articuli de certitudine gratiæ. Sed rectè Catharino obſtitit Sotus, cùm aliis locis quæ Catharinus diſceptatione illa 1. annotauit, tum l. 3. de nat. & gratia, in ipſa meta libri. Obſtitit item Vega lib. 9. in Trident. c. 43. Præter communia verò argumenta quibus omnium viatorum incerta ſors & gratia ſtabilitur, illud occurrit in hac materia peculiare & proprium, quod peti dicebam ex tempore quo gratia martyri confertur. Hanc enim gratiam, Catharinus martyri certam & indubitatam eſſe contendit, quod ex diuina promiſſione infallibili debeatur morienti pro cauſa fidei. Atqui tempus quo gratia ex ea promiſſione martyri rependitur, tale eſt, vt per illud martyr rationis vſu non potiatur, & vt ita dicam, non niſi vitæ fœces hauriat: hoc eſt idoneus tantùm perſtet, deſpicatiſſimis vitalibus functionibus exercendis: quoad functiones autem intellectus ac voluntatis, perinde ſe habeat ac truncus aut ſtipes. Tunc ergo martyr, non poteſt de gratia vi martyrij accepta certum iudicium efformare. In tempore autē anteriore, cum martyr adhuc eſt ſui compos, nondum adeſt gratia martyrio repēſa, nec quod rependenda ſit, poteſt certò ſtatui: quia fortaſſis

tanſis deerit perſeuerantia, quæ in quibuſdam mollito animi robore deficit poſt lethalia vulnera, vt in illo Cappadoce qui cum Sanctis vndequadraginta martyribus fuiſſet annumeratus, & cum eis paſſus diriſſima, in portu naufragauit. Itaque concidit vniuerſa illa Catharini ſubſtructio, ad firmandam gratiæ certitudinem in communibus iuſtis, ex ea certitudine gratiæ qua potiri martyres contendebat. Quanquam ſi ſermo eſſet de ſola morali certitudine, actualem formidinem, præſertimquè anxietatem excludente, vt ſanè ferunt nonnulla quæ Catharinus diſceptatione illa 1. pag. 22. ex Vega refert & approbat, non refragarer. Nihil quippe eſt quod obſtet, quominus martyr ante moraliter conſummatum martyrium, & acceptam ex opere quaſi operato gratiam, certitudine morali, de ſua gratia ac etiam de ſalute æterna, perſuadeatur. Idque vnum confirmant quæcunque à Catharino proferuntur; ac præſertim illa tanta alacritas, & ſancta in tormentis expetendis & calcanda morte generoſitas.

Gloria martyris in cœlo multiplex.

27. Gratiam finalem, & plenam reatus pœnæ abſterſionem, pretioſiſſimos fructus martyrij in via de quibus hactenus, excipit confeſtim gloria quæ duplex in martyre diſtinguenda eſt; nempe eſſentialis, & accidentalis. Accidentalem hìc intelligo, ſtabile adiunctum gloriæ primariæ, quod non raptim diffluat, vt quædam tranſitoria gaudia per modum accidentis communis aduenientia, quale Chriſtus ex peccatoris conuerſione

concipi in cœlo teſtatur; ſed perenne perſtet,ac ex ſublimis alicuius actionis vel paſſionis prerogatiua debeatur, & in quibuſdam ſubiectis velut proprietas beatitudinem primariam aſſectetur. Hanc beatitudinis primariæ acceſſionem, tribus hominum generibus vendicant, pro numero operum heroicorum & victoriarum ab eis reportatarum de hoſtibus inaſpectabilibus & eorundem partiariis cum quibus eſt nobis hîc colluctatio. Nempe Martyribus, Virginibus, Doctoribus, quorum primi de fidei hoſtibus, alteri de carne, poſtremi de errore & ignorantia triumpharunt. Paſſim aureola vocatur, denominatione ducta à coronula ex auro quæ erat ſupremus arcæ limbus, ſuperſtabátque alteri coronæ item ex auro quæ quod grandior eſſet, ſimpliciter dicebatur corona aurea, vt habetur Exodi 25. Inde enim quod Ribera obſeruauit l.2.de templo c. 3. n. 5. veteres ſcholaſtici, gloriam eſſentialem ſimpliciter dixere *auream*; eam verò acceſſionem de qua agimus,vocarunt *aureolam*. Vtramque circa martyrem attingo.

Eſſentialis aliqua, gratiæ per merita partæ reſpondet.

28. *Aurea* nomine, vniuerſa gloria eſſentialis SS. martyrum intelligitur: nempe & quæ meritis rependenda eſt, & quæ ſpeciali titulo ſupra ſortem meritis debitam tribuetur. Prior eſt extra controuerſiam. Nec dubium eſt quin ſit futura eximia,pro tot támque luculentis martyrum meritis. Eſt de hac gloria locus illuſtris apud Auguſtinum in pſal. 67. ad illud *Principes Iuda* &c. Prolata enim priore illius

lius verſiculi expoſitione ab hoc loco aliena, ſecundam in hæc verba ſubiicit. [Plus me delectat quod ex iſtorum nominum interpretatione clareſcit. Hebræa quippe ſunt nomina; quorum Iuda confeſſio interpretari dicitur: Zabulon habitaculum fortitudinis: Nephtalim dilatatio mea. Quæ omnia veriſſimos nobis inſinuant principes Eccleſiarum, dignos ducatu, dignos imitatione, dignos honoribus. Martyres namque in Eccleſiis locum ſummum tenent, atque apice ſanctæ dignitatis excellunt. Iam verò in martyrio, primò confeſſio eſt, & pro illa quicquid acciderit tolerandi, ſequens aſſumitur fortitudo: Deinde poſt omnia tolerata, finitis anguſtiis, latitudo conſequitur in præmio.]

Eodem retulerim illud Prudentij hymno 1. periſteph.

[*Nil ſuis bonus negauit*
Chriſtus vnquam teſtibus;
Teſtibus quos nec catena,
Dira nec mors terruit.
Vnicum Deum fateri,
Sanguinis diſpendio.
Sanguinis ſed tale damnum
Lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum eſt;
Hoc probis dignum viris.
Membra morbis exedenda
Texta venis languidis.
Hoſtiæ donare ferro,
Morte & hoſtem vincere.
Pulchra res ictum ſub enſe
Perſecutoris pati.
Nobilis per vulnus amplum

Porta iuſtis panditur.
Lota mens in fonte rubro
ſede cordis exilit,
Nec rudem crudi laboris
Ante viam duxerant,
Milites quos ad perenne
Cingulum Chriſtus vocat.
Sueta virtus bello & armis
Militat ſacrariis.]

Pergit labores eorum caſtrenſes, cum laboribus in ſpirituali militia exantlatis, componere: atque adeò agit de eorum meritis martyrio anterioribus, & gloria eis reſpondente, ad quam per nobilem illam meritorum portam pertigerint.

Aliqua, gratiæ debitæ martyrio vltra opus operantis.

29. Præter hanc gloriam eſſentialem meritis repenſam, alia in martyribus agnoſcenda eſt, item eſſentialis, ſed diuerſo titulo debita. Cum enim gloria ſit fructus gratiæ veluti ſeminis, & gratia ſanctificans debeatur martyri ex opere operato martyrij, ſupra menſuram operibus martyris tanquam cauſis meritoriis rependendam, vt ſupra demonſtratum eſt; perſpicuè infertur, vltrà gloriam eſſentialem meritis martyris aſſignandam in præmium, aliam gloriæ eſſentialis portionem, martyri obuenturam, quæ gratiæ illi ex opere operato datæ reſpondeat.

Videri poſſet hanc ſpecialem martyrum gloriam ſignaſſe S. Cyprianus l. de laude martyrij, exhibens primùm, communem beatorum omnium gloriam illo

illo picturatæ dictionis vere. [Quibus inquiſitus fuit ſemper D E V S, aut notus, nunquam excidit Chriſti locus: vbi iacet gratia, vbi virentibus campis terra luxurians alumno ſe induit gramine, & redolente paſcitur flore; vbi altum nemora tolluntur in verticem:& vbi arbor denſiore coma veſtit,quidquid curuantibus ramis ſcena deiacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris: nec vt in autumno arua requiſcant, aut vt iterum vere nouo tellus fœcunda parturiat. Vnius coniuncta ſunt temporis: vnius poma feruntur æſtatis. Quippe cùm nec menſibus ſuis tunc luna deſeruiat, nec per horarum Sol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies læta, ſedes tenet placida,vbi fons ſcaturiens medius, ſinu aluei prorumpentis emergit, & rauco per interualla circuitu, ſinuoſis flexibus labitur, vt in ora naſcentium ſibi fluminum diuidatur.] Hæc, florulenta de more amœnitate dictionis Cyprianus de communi beatorum quorumcunque ſede, ac gloria. Tum ſubdit. [Hinc ergo magna laus martyrum, hinc nobilis corona victorum,quibus maiora his repromiſſa ſunt, quibus auctiora ſunt præmia.] Videri inquam his poſtremis verbis poſſet S. Cyprianus,tradidiſſe ſpeciale gloriæ auctarium pro martyribus, cum in prioribus verbis prolatis, communem omnibus beatis gloriam expreſſiſſet.

Facilè tamen poſſunt poſtrema illa S. Cypriani verba aliter accipi; nempe ita vt non contineant comparationem gloriæ martyrum cum gloria reliquorum beatorum, quæ dicatur auctior cæteris paribus, ac poſitis iiſdem martyris & non martyris operibus meritoriis; ſed contineant tantùm com-

parationem gloriæ, prout deſcriptæ verbis priore loco allegatis, cum gloria qualis reipſa erit. Vt ſenſus ſit; multa dixiſſe videor, ſed non aſſequuntur, mea ſiue verba, ſiue cogitata, futuram gloriæ illius perfectionem, eximiámque dignitatem. Multo reipſa erunt præclariora quæ Deus martyribus reponet, quàm qualia deſcripſi. Sic acceptus locus ille S. Cypriani, (vt ſanè accipi poteſt, aut etiam debet,) nihil continet quod ſententiæ poſitæ ſuffragetur. Quam proinde ſatis eſt confirmatam dediſſe optima ratione, ducta ex ſeminio gratiæ, facto vi martyrij prout ex priuilegio potitur vi gratiæ cauſatiua, diſtincta ab ea quam martyris merita obtinent, prout bonæ ſunt & meritoriæ actiones. Inde enim liquidò ſequitur, ea gloriæ ſpecialis repenſio, ſpeciali gratiæ neceſſariò reſpondens.

Aurea martyrum, ex vtraque illa gloria.

30. Ex vtraque porro gloria eſſentiali, vel veriùs vnius & eiuſdem, diuerſis titulis reſpondente duplici portione, exiſtit corona illa aurea, qua martyrem à Deo coronari de communi ſcholaſticorum loquendi vſu præmiſimus. Imo effici ipſummet Deum martyrum coronam, quod non ſemel apud Patres legimus, Scriptura non obſcurè inſinuat, vocans gloriam eſſentialem beatorum martyrum, *coronam vitæ.* De SS. enim martyribus accipit Ioachimus Abbas illud Apocal. 2. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Verba Ioachimi « ſunt elegantiſſima. [Corona vitæ promittitur, quia « ij qui donant vitam Deo cum triumpho pretioſæ « mortis, perueniunt ad veram vitam: quoniam vt

cam

eam ſeruare poſſent in regno, eam in exilio perdi- "
derunt, iuxta illud Ioannis 12. Qui amat animam "
ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc "
mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.] Perſpicua "
eſt Dei noſtri munificentia planè diuina, quando iis
qui fragilem & luteam vitam in eius gratiam prodegerunt, ſubſtantialem & increatam vitam, ſeipſum inquam, in mercedem magnam nimis, liberaliſſimè donat. Vt poſſit iam martyr verus Chriſti miles, multo potiore iure de Deo ſuo profiteri, quod ille martyrij mimus, de falſo numine. De Deo inquam ſuo Mithræ miles, [qui cum initiatur, (ait "
Tertullianus l. de corona militis c. 15.) in ſpelæo, in "
caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gla- "
dio ſibi oblatam, quaſi mimum martyrij, dehinc "
capiti ſuo accommodatam, monetur obuia manu "
capite depellere, & in humerum ſi fortè transferre, "
dicens, mithram eſſe coronam ſuam. Atque exinde "
nunquam coronatur: Id quod in ſignum habet, ad "
probationem ſui, ſicubi tentatus fuerit de ſacra- "
mento: ſtatímque creditur Mithræ miles, ſi deiece- "
rit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit.] Multo "
inquam potiori iure miles Chriſti, coronam ſuam in Deo ſuo eſſe, imo Deum ſuum eſſe, poſſit profiteri, quæ ab eodemmet Agonotheta Deo viuo, poſt omnem imbonitatem rependitur, vt idem ad martyres præclarè diſſerit. c. 3.

Accidentalis gloria martyrum ſtabilis, ſiue aureola.

31. Gloriæ eſſentialis corollarium, erit aureola, ſiue ſpeciale illud decus SS. Martyrum quod ſupra

 attigi,

attigi, nec eſt omiſſum à S. Cypriano l. de laude « martyrij, vt illa eius verba docent. [Beneficiorum « diuinorum, vltra rerum ordinem tanta eſt merces, « quantum in dicendo humana mediocritas vix « poſſit implere. Sanguini noſtro patet cœlum; ſan- « guini, gehennæ cedit habitaculum. Et inferiorum « omnium gloria pulchrior ſanguinis titulus, & inte- « grior corona ſignatur. Sic quotiens de hoſte trium- « phalibus ſpoliis onuſtus miles ingreditur, vulneri- « bus ſuis gaudet. Sic quotiens tempeſtatibus diu « nauta fatigatus, littora tuta contigerit, fœlicitatem « ſuam de perpeſſo periculo ducit. Eſt enim profectò, « niſi fallor, labor lætus, per quem ſecuritas inue- « nitur.] Et non ita multo poſt. [Adhuc accedunt ad « gloriæ cumulum ornamenta virtutum: Ait enim: « Fulgebunt iuſti, tanquam ſcintillæ in arundineto « diſcurrentes: iudicabunt nationes, & dominabun- « tur populis. Magna eſt enim, fratres chariſſimi, cla- « ritas, vitam ſalutis æternæ honeſtate paſſionis orna- « re.] Expreſſit apertè hunc Cypriani locum Lucifer Calaritanus l. quod moriendum ſit pro Dei filio. Iuſtos porrò in loco allegato ex Sap. 3. intelligi martyres, notauit etiam in eum locum S. Bonauentura, rationem reddens illius appellationis, quod martyres damnum ſuum negligant propter Deum, quæ eſt ſumma iuſtitia: quippe conſona ſummo illi iuri, quod penes DEVM eſt in omnia. Præiuiſſe videtur S. Eulogius Alexandrinus lib. 5. contra Nouatianos apud Photium Cod. 280. vbi illud Pſal. 30. *muta fiant labia doloſa quæ loquuntur aduerſus iuſtum.* exponit de Nouatianis blaterantibus contra Chriſti martyres, quos iuſtorum appellatione ait expreſſos. Nec incommodè in præmij de quo agimus deſignationem,

tionem, acceperit quis varias Scripturas de peculiari martyrum præmio, quas cōgeſſit Tertullianus in Scorpia. c.12.cum cum ait.[Victori cuique promittit nunc arborem vitæ,& mortis veniam ſecundæ:nunc latens manna cum calculo candido, & nomine ignoto: nunc ferreæ virgæ poteſtatem, & ſtellæ matutinæ claritatem; nunc albam veſtiri,nec deleri de libro vitæ, & columnam fieri in Dei templo,in nomine Dei & Domini, & Hieruſalem cœleſtis inſcriptam; nunc reſidere cum Domino in throno eius,quod aliquando Zebedæi filiis negabatur. Quinam iſti tam beati victores, niſi propriè martyres?Illorum etenim victoriæ, quorum & pugnæ:eorum verò pugnæ,quorum & ſanguis.]

32. Sunt qui eodem referant ſpecialia illa martyrum gaudia, quæ illis pro anteriore mœrore reponenda, toties conteſtatur Spiritus ſanctus. Nam Turrecremata q.2.Euangel.ad feſtum S. Vincentij, pro ſe adducens S.Thomam & Eſpencæus in 2. ad Timoth.digreſſ.23.vbi latè de aureola agit, martyrum aureolam cenſent eſſe ſingulare illud gaudium quo potientur ob partam victoriam, & inconcuſſam in cruciatibus firmitatem. Ego tamen aliter de aureola ſentio. Nam gaudium de huiuſmodi conſtantia & victoria, erit appendix ita connexa cum beatitudine inde comparata, vt non ſit habiturum rationem præmij ſpecialis, quale eſt aureola, quæ proinde aliter exponenda eſt: vno ſcilicet duorum modorum quos à diuerſis initos video.Prior eſt, vt aureola explicetur per æſtimationem moralem abſque phyſicæ vllius formæ impreſſione, eo modo quo dignitas & Iuriſdictio, perſeuerare & ſpecialiter honeſtare intelligitur, eum, qui ad munus

aliquod delectus eſt, vel grande aliquod & illuſtre opus exercuit. Quæ videtur admodum probabilis ſententia quoad animam martyris. Poſterior eſt, vt aureola explicetur per impreſſionem formæ phyſicæ, eo modo quo fides, docet conſignari Chriſti milites, in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine. Vel etiam eo modo quo in humanis, torquis à Principe tributus, eſt nota certorum meritorum, gloriæque ac dignitatis eis repoſitæ. Similem enim phyſicam notam, cuius ſignificatio neminem beatum latebit, Doctores non ignobiles, arbitrantur martyribus, æquè ac virginibus, & Doctoribus communicandam, ad internotionem illuſtrium operum, & autorum à quibus prodierint. Et idcirco aureolam virginum appellari nomen, Iſaiæ 56. obſeruauit S. Auguſtinus lib. de ſancta virginitat. cap. 25. Quia verò aureola reſpondet operibus idcirco ſicut paruuli immaturè obeuntes non habent aureolam virginitatis, quia integritas carnis in eis non fuit illuſtre opus, & ex virtute, vt rectè ſtatuit Viguerius c. 14. §. 3. v. 1. ita martyribus innocentibus, quia eorum martyrium non eſt niſi obiectiuè martyrium, nec eſt opus virtutis, non rependetur aureola, vt notat Pelbartus in roſario 4. ſent. V. Aureola §. 6.

32. Vt vt verò res ſe habeat, quoad martyris animam, eiuſque ſpirituales facultates, & ſiue per moralem ſolam æſtimationem, ſiue per phyſicæ formæ impreſſionem, ſpeciale martyrij decus ei reponendum explicemus, quoad corpora tamen martyrum, multo magis propendeo in ſententiam Carthuſiani in 4. d. 49. q. 8. quæ fert, corpora martyrum poſt reſurrectionem, peculiari aliquo decore & inſigni externo

terno colluſtranda : eáſque præſertim partes in quas graſſatus fuerit Tyranni furor, micaturas ſupra pyropos, & quaſuis gemmas, extra dubium pono: & idem ſatis apertè docet S.Auguſtinus 22. Ciuit. c.20.verbis illis. [Neſcio quo modo ſic afficimur amore martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt: & fortaſsè videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit;& quædam quamuis in corpore,non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit: Nec ideò tamen ſi aliqua martyribus amputata & ablata ſunt membra, ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum, quibus dictum eſt; capillus capitis veſtri non peribit, Sed ſi hoc decebit in illo nouo ſæculo, vt indicia glorioſorum vulnerũ in illa immortali carne cernantur, vbi membra, vt præciderentur, percuſſa vel ſecta, ibi cicatrices, ſed tamen eiuſdem membris redditis non perditis, apparebũt. Quamuis itaque omnia quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt, non ſunt tamen deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia.] Pulchrè ſerm. 103.de diuer. c.5.agens de gloria corporum. [Angelis æquabitur reſurgentium multitudo fidelium, in qua glorioſiſſima, martyres præcipua ſui honoris luce fulgebunt, ipſáque corpora in quibus indigna tormenta perpeſſi ſunt, eis digna in ornamenta vertentur.] Rurſúſque ſerm. 116. in fine. [Martyres corpora ipſa ſua habebunt magna ornamenta, in quibus paſſi ſunt magna tormenta.]

Quinetiam ita reſtituendas eſſe partes principales abſciſſas, vt tamen cum duntaxat foratæ ſunt, maneat hiatus & vacuitas ex perfoſſione vel vulneratione,

neratione, non improbabile argumentum ducitur ex Chriſti vulneribus in quibus verè perſtare foramina & fixuras, communis ſententia fert, latè ſtabilita a Suare t.2. 3.p.d.53. ſ.2. Qui contrarium quoad martyres tribuit Dominico Soto in 4. d.44. q.vnica art. 3. Sed reuera Sotus, non ſatis aperit ſe in ea eſſe ſententia. Tantùm enim ait reddenda martyribus mẽbra præciſa, V.G. caput aut brachia, & eo loco quo gladius membrum truncans immiſſus fuerit, micaturum inſignem ſplendorem. An verò vacuitas aliqua in vulnerum loco ſit futura, non diſcutit Soto. Futuram autem, dico eſſe non improbabile, argumento ducto ex Chriſti vulneribus. Quanquam Euthymius Lucæ 24. ait nullum Sanctorum præter Chriſtum, poſt reſurrectionem habiturum in corpore vulnerum cicatrices, id eſt vulnera perfoſſa, qualia in Chriſto perſtiterunt. Sed nihil profert ad perſuadendum, peculiare Chriſto eſſe oportere, vt in eius ſacro corpore rediuiuo, vulnerum hiatus permaneant. Nec videtur dubitandum, quin proportione debita ſemper ſeruata, Chriſti Domini & eorum qui ſimilitudini mortis eius eius ſunt complantati, par ſit ratio, quoad ſtatum corporis & animæ decora: vt propterea non placeant qui Chriſto martyrum primicério aureolam martyrij ãbrogant. Quamuis rectè Richardus quodl. 1. art. 1.q. 6. admoneat, Chriſtum in modo accipiendi aureolam martyrij ab aliis martyribus diſcrepare, quod alij martyres iaciant coronas ſuas ante thronum agni; hoc eſt à Chriſto ſaltem moraliter & meritoriè ſua illa ornamenta accipiant, adhibita confeſſione eorum coram patre, hoc eſt luculento præconio in cœtu totius

totius cœleſtis aulæ vt S. Chryſoſtomus interpretatur, magnificentiam commendationis illius meritò extollens: Chriſtus autem non ab alio exornetur, quàm à ſeipſo prout Deo.

Martyres ad certamen animati, vtriuſque gloriæ propoſitæ, obiectu.

34. Vtriuſque propoſitæ æternæ gloriæ oſtentatione, martyres deſignatos ad conſtantiam & cruciatuum deſpectionem inuitare, familiare ac propè perpetuum eſt Patribus, qui turbidis Eccleſiæ temporibus & ferueutibus perſecutionibus ſcripſerunt. Præter cœteros, S. Cyprianus in hoc argumento exultat, cum alibi non ſemel, tum optimè l. de exhortat. martyrij c. 12. vbi longam confirmationem gloriæ martyribus repoſitæ, obſignat hac clauſula. [Quis ergo non omnibus viribus elaboret, ad tantam claritatem peruenire, vt amicus Dei fiat, vt cùm Chriſto ſtatim gaudeat? vt poſt tormenta & ſupplicia terrena, præmia diuina percipiat? Si militibus ſæcularibus glorioſum eſt, vt hoſte deuictò redeant in patriam triumphantes; quanto potior & maior eſt gloria, victo diabolo ad paradiſum triumphantem redire, & vnde Adam peccator eiectus eſt, illuc proſtrato eo qui ante deiecerat, trophæa victricia reportare? Offerre Deo acceptiſſimum munus, incorruptam fidem, & virtutem mentis incolumem, laudem deuotionis illuſtrem? Comitari eum, cùm venire cœperit, vindictam de inimicis recepturus; lateri eius aſſiſtere, cùm ſederit iudicaturus? cohæredem Chriſti fieri? Angelis adæquari? cum Patriarchis, cum Apoſto-

lis,

« lis, cum Prophetis, cœleſtis regni poſſeſſione læ-
« tari? Has cogitationes quæ perſecutio poteſt vin-
« cere, quæ poſſunt tormenta ſuperare? Durat for-
« tis & ſtabilis religioſis meditationibus fundata
« mens; & aduerſus omnes Diaboli terrores & mi-
« nas mundi, animus immobilis perſtat, quem fu-
« turorum fides certa & ſolida corroborat. Claudun-
« tur oculi in perſecutionibus terræ, ſed patet cœlum:
« Minatur Antichriſtus, ſed Chriſtus tuetur: mors
« infertur, ſed immortalitas ſequitur: occiſo mun-
« dus eripitur, ſed reſtituto paradiſus exhibetur: vi-
« ta temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur.
« Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas, exire
« hinc lætum, exire inter preſſuras & anguſtias glo-
« rioſum, claudere in momento oculos, quibus ho-
« mines videbantur & mundus, & aperire eoſdem
« ſtatim, vt Deus videatur & Chriſtus? Tam felici-
« ter migrandi, quanta velocitas? Terris repentè
« ſubtraheris, vt in regnis cœleſtibus reponaris.]

35. Hoc item incentiuo SS. Martyres in tot ærumnis & cruciatibus, ſeipſos ad conſtantiam & generoſam mortem animabant. Res eſt vbiuis obuia. Sed inſigne eſt exemplum S. Gordij, quem Baſilius oſtentatis à Præſide horrendis ſuppliciis ni
« à fide deficeret, inducit ſic reſpondentem. [Corri-
« pite corpus, membra fruſtratim cædantur. Denique
« quodcunque de me ſupplicium volueritis, ſumite.
« Nolite mihi beatam ſpem inuidere. Quanto enim
« mihi plus tormentorum acceſſerit, tanto plus refe-
« ram præmiorum. Res enim in hac vita aduerſæ,
« nobis apud Deum perpetuam pariunt voluptatem.
« Si vulnera mille ac cicatrices patimur, in reſurre-
« ctione ſplendido induemur amictu. Pro contume-
lia,

lia, atque ignominia, palmas atque coronas aſſe- «
quemur. Pro vinculis & carcere, per ampla paradiſi «
ſpatia læti vagabimur. Pro accuſatione demum, at- «
que iniqua cōdemnatione, gloriam ex Deo & An- «
gelis referemus. Minæ veſtræ, ſemina mihi ſunt di-
uina, vnde immortalitaté, perpetuáque gaudia me-
tam.] Illuſtre item præter cæteros eſt, exemplum
SS. Confeſſorum & martyrum deſignatorum, quos
Hunerici crudelitas in Africa immaniter vexauit.
Quatuor millia, inſupérque nongenti ſexaginta ſex,
è clero Africano, pręter laicos, captiui tenebantur fi-
dei cauſa. Sanctus hic exercitus, quāta in ea captiui-
tate pateretur, & quo munimine pectus roboraret, «
ex his paucis verbis Victoris Vticenſis teſtis oculati «
l. 2. perſecut. Vandal. audire licet. [Grauiter affli- «
guntur, iactantur Confeſſores Chriſti ſuperinui- «
cem anguſtia coarctante vnus ſuper alium vt agmi- «
na locuſtarum, & vt propriè dicatur, vt grana pre- «
tioſiſſima frumentorum. In qua conſtipatione, ſe- «
cedendi ad naturale officium, nulla ratio ſinebat «
loci, ſed ſtercora & vrinam vrgente neceſſitate ibi- «
dem faciebant, vt ille tunc fœtor & hórror, vni- «
uerſa pœnarum genera ſuperaret. Ad quos ali- «
quando dantes ingenria munera Mauris, dormien- «
tibus Vandalis, vix clàm admiſſi ſumus intrare. Qui «
introeuntes veluti in gurgite luti, vſque ad genua «
cœpimus mergi, illud tunc Hieremiæ videntes fuiſ- «
ſe completum, qui nutriti ſunt in croceis, amplexati «
sūt ſtercora ſua. Quid multa? præcepti ſunt vndique «
perſtrepentibus Mauris, ad iter vbi deſtinati ſunt «
præparari. Exeuntes itaque die Dominica linita ha- «
bentes ſtercoribus veſtimenta, facies ſimul & capi- «
ta, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hym- «

num cum exultatione Domino decantantes , hæc eſt gloria omnibus ſanctis eius.]Quod erat dicere, ſe libenter pædorem illum ac putorem , vel potiùs mephitim teterrimã , ſuſtinere;quod probè noſſent illac iri ad aſtra, illhac inceſſiſſe anteriores omnes martyres,& Chriſtum ipſum. Eum callem per hoc leue ac momentaneum tribulationis noſtræ , ad æterna & immenſa gloriæ pondera fœliciſſimè obtinenda deducere.Itaque procul eſſe oportere mœrorem omnem , ab iis quos poſt tantulam turbationem , tanta apud Deum gloria maneat; Quibus qnod de S. Stephano Arator Diaconus iam olim cecinit,

[gloria pœna eſt,
Et cadere eſt ortus , iugulíſque parentibus, auum
Naſcitur, æterna complectens munera vitæ.]

PARS TERTIA.

Sítne aliquod præterea martyrium preſſè dictum Siue vtri ex duobus martyriis hactenus expoſitis , latè inquam an preſſè dicto, accenſenda ſit mors , in aditione diſcriminis ad proximum ex charitate ſubleuandum oppetita,concludıtúrque eſſe preſſè dicto adiungendam.

1. HV c ſpectauit omnis anterior de martyrio tractatio, vt in argumento propoſui. Ex principiis enim quæ in duabus partibus prioribus ſũt iacta,eruendum

dum erit, quid in præſenti controuerſia ſit ſtatuendum, ſi priùs ipſum controuerſiæ ſtatum, & qui, ac quorſum in diuerſa abierint, expoſuero.

CAPVT I.

Status controuerſiæ de martyrio in cauſa propoſita. Statuitur eſſe ſaltem latè dictum. Non eſſe preſſè acceptum, quæ ſuadere videantur.

PErceptis illis quæ hactenus de duplici martyrio ſunt tradita, liquidò conſtabit, non poſſe hoc loco eſſe dubium de martyrio latè accepto. Multo enim potiore iure, ambitu illius coercẽda eſt aditio hæc voluntaria sũmi diſcriminis, & mortis in eo oppetitio, quàm pleráque alia, minoris vt ita dicam impenſæ longéque leuiora, ac etiam infructuoſiora opera, quibus martyrij laxiùs ſumpti nomen à grauiſſimis Patribus adſcriptum vidimus parte 1. Itaque hoc ratum & fixum eſto. Sed difficultas eſt de martyrio preſsè accepto, quod proximè parte 2. in vulgari & indubitato exemplo deſcripſimus: & vidimus conſummari voluntaria & honeſta mortis perpeſſione, ad veritatis reuelatæ teſtificationem firmandam: vnde gratiæ ſanctificantis infuſio, ſupra menſuram operi operantis rependendam exiſtit: itémque ſpecialis gloriæ eſſentialis, gratiæ ſanctificanti ſpeciali, reſpondentis, ac aureolæ communicatio. Hanc enim martyrij preſsè accepti notionem, non cadere in opus de quo agimus, multa ſunt quæ euincere videntur.

Mortem ex proximi charitate oppetitam, non eſſe martyrium, argumenta ab auctoritate.

2. In primis vt iuxta D. Auguſtini ſententiam rationi aperiat auctoritas ianuam, nemo Theologus Scholaſticus ante hoc tempus, inter tam multos qui de martyrio diſſeruerunt; ſiue exponentes ſupernaturalem virtutem fortitudinis, ſiue baptiſmum, eámque analogiam cum martyrio ex qua ducta fuit appellatio baptiſmi ſanguinis; nemo item moralium Theologorum, ſiue ſummiſtarum, quorum de martyrio ſententiæ proſtant; SS. denique Patrum nemo, aliud verè ac propriè dictum martyrium agnouit, quàm quod proximè expoſuimus parte 2. nempe quod ab alio irrogatur in fidei odium: ſiue fidem ſpectemus vt cognoſcentem, quæ eſt eius functio primaria, ſiue vt operantem: A qua martyrij notione, & ratione, mors quæ ex aditione voluntaria propoſiti diſcriminis incurritur, abeſt quàm longiſſimè. Hoc porrò argumentandi genus, tametſi quia à ſilentio duntaxat Scriptorum dicitur, non ſit plerunque magnæ efficacitatis; tamen in materia tam multorum tantorúmque ſtudiis ac ſcriptis protrita, non poterit non mouere prudentem æſtimatorem; qui exploratam habuerit, Scriptorum, præſertim recentiorum diligentiam. Hæc enim, cum modos omnes quibus ſubiri ab aliquo poteſt martyrium, tam accuratè digeſſerit, nuſquam tamen iſtius meminit: haud dubiè quia nec agnouit.

Fortiùs etiam ac validiùs ſententiam propoſitam quatit, quod diſertè aliqui, opus de quo contro-

uerſia

uerſia mouetur attingentes, tametſi à charitate plurimùm commendant, ab hoc tamen martyrij decore non laudant, quod tamen minimè omnium dimittendum fuiſſet, aliis eius prærogatiuis tam ſtudioſè digeſtis: vt videre eſt apud Ioannem Briaërt quodlib. 3. *ſub finem* & apud Gabrielem Biel in q. de fuga per peſtis tempus, concluſ. 9. (habetur inter Gabrielis ſermones, poſt ſermonem Domin. 24. poſt Pentec.) itémque apud Claudium Eſpencæum l. 3. digreſſionum cap. 19. Apertiùs Gabriel Vaſques 3. p. d. 153. cap. 3. conceptis verbis docet [ſi quis ex charitate ſe offerat morti, vt liberet à « morte aliquem, vel ab ægritudine, non erit mar- « tyr, quamuis ex charitate moriatur, ſed debet pati « propter Chriſtum à Tyranno.] «

3. Quid quod S. Cyprianus l. de mortalit. quo pauefactos, lue in omnes æquè graſſante, fidelium quorundam eneruium molles animos firmat; cum inter alia quibus nonnulli meticuloſitati ſuæ in eo diſcrimine abblandiebantur, illud eſſet, quod martyrij ſpem præripi ſibi ea morte viderent; S. Antiſtes non eò recurrit quod fuiſſet expeditiſſimum, maximam martyrij ſegetem per tempus peſtis præberi, opitulando ex charitate, iis qui ſubuentione egerent, vt ſemper egent in huiuſmodi calamitatibus quàm plurimi: ſed reſpondet, martyrij decus quod homini Deo decernente obtingit, æternæ prouidentiæ ſcitis permittendum eſſe, & quodcunque illa tulerint, patienter & æquanimiter eſſe excipiendum. [Fortaſſe (inquit) aliquis opponet & dicat, hoc « me ergo in præſenti mortalitate contriſtat, quod « quod qui paratus ad confeſſionem fueram, & ad « tolerantiam paſſionis toto me corde & plena vir- «

« tute deuoueram, martyrio meo priuor, dum mor-
« te præuenior.]

Hoc ſegnitiei, & iuſto auctioris erga vitam amoris munimentum, ita diſiicit S. Cyprianus.
« [Primo loco, non eſt in tua poteſtate, ſed in Dei
« dignatione martyrium: nec potes te dicere perdi-
« diſſe, quod neſcis an merearis accipere. Tunc dein-
« de Deus ſcrutator renis & cordis, & occultorum
« contemplator & cognitor, videt te, & laudat, &
« comprobat: & qui perſpicit apud te paratam fuiſſe
« virtutem, reddet pro virtute mercedem. Nunquid
« Cain, cum Deo munus offerret, iam peremerat fra-
« trem? Et tamen parricidium mente conceptum,
« Deus prouidus ante damnauit. Vt illic cogitatio ma-
« la, & pernicioſa conceptio, Deo prouidente pro-
« ſpecta eſt; ita & in Dei ſeruis, apud quos confeſſio
« cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus
« ad bonum deditus Deo iudice coronatur. Aliud eſt
« enim martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſ-
« ſe martyriū.] Et poſt nonnulla quibus hoc illuſtrat,
» addit. *Meminiſſe debemus*, voluntatem nos, non no-
» ſtram, ſed Dei facere debere; ſecundùm quod nos
» Dominus quotidie iuſſit orare. Quod monitum diffusè ac potenter vrget. At liquet, reſponſionem hanc vniuerſam, ad difficultatem motam, tametſi idonea ſit; tamen præ illa alia quæ duci poteſt ex ſententia quam excutimus, vix quadrare. Ideóque hac prætermiſſa, proferendam omnino à S. Cypriano fuiſſe illam aliam, ſi eam niti veritate exiſtimaſſet.

4. Idem S. Cyprianus, graſſantis perſtilentiæ cõmodum ingens, ad meticuloſorum guſtum, profert immunitatem à martyriis, quibus infirmi plerique concutie-

concutiebantur. Itaque eos qui diuinam in ſuos benignitatē conceſſo illo molliore exceſſus genere nō agnoſcebant, acriter his verbis caſtigat. [Improuidi & ingrati ſumus, fratres dilectiſſimi, ad diuina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoſcimus. Excedunt ecce in pace tuta, cum gloria ſua virgines, venientis Antichriſti minas, & corruptelas, & lupanaria non timentes. Pueri periculum lubricæ ætatis euadunt, ad continentiæ atque innocentiæ præmium, feliciter perueniunt. Tormenta iam non timet delicata matrona, metum perſecutionis & manus, cruciatúſque carnificis, moriendi celeritate lucrata.] Hîc quis non videt plurimum momenti acceſſurum ad S. Cypriani ratiocinationem, ſi adderet, huiuſmodi tranquillum exceſſum, & incruentum ad cœlos abitum, non idcirco obſoleſcere apud eos oportere, quod ſit etiam verum abſque Tyranno martyrium, cui emercando, generoſa calamitatis aditio viam ſternat? Nihil huiuſmodi vrget S. Cyprianus: ſed mollitiei infirmorum attemperans orationem, ait in lucro eos ponere debere, quod hoc diuino flagello correpti, immunes futuri ſint à cruciatibus pro fide inferendis, quorum pleróſque, tantus non metus modò, ſed & horror percellebat, vt nullum ſatis remotum latibulum, nullum receſſum ſatis celerem arbitrarentur.

Tandem recenſens idem S. Pater, fructus, quibus diuina charitas de ſpinis vuas & de tribulis ficus colligens, peſtilentiæ immiſſione fœcundatum agrum Eccleſiæ conueſtit, multos magnóſque recenſet: cæterùm omnes ab eo quem excutimus fructu alieniſſimos. Adſcribo hanc quoque ex ſcriptore ornatiſſimo plagulam, quod & ad inſtitutum

maximè faciat, & videam quæ nuper hîc experi-
méto ac ſenſu noſtro diſcere licuit, perbellè expreſ-
« ſa tanto ante. [Pauore mortalitatis & temporis, ac-
« cenduntur tepidi, conſtringuntur remiſſi, exci-
« tantur ignaui: deſertores compelluntur, vt redeant:
« gentiles coguntur, vt credant. Verus fidelium po-
« pulus ad quietem vocatur; ad aciem recens & co-
« pioſus exercitus robore fortiore colligitur: pugna-
« turus ſine metu mortis, cum prælium venerit, qui
« ad militiam tempore mortalitatis accedit. Quid de-
« inde illud fratres dilectiſſimi, quale eſt, quàm per-
« tinens, quàm neceſſarium, quod peſtis iſta & lues,
« quæ horribilis & feralis videtur, explorat iuſtitiam
« ſingulorum; & mentes humani generis examinat?
« An infirmis ſeruiant ſani; an propinqui cognatos
« piè diligant; an miſereantur ſeruorum languentium
« domini; an deprecantes ægros non deſerant medi-
« ci; an feroces violentiam ſuam comprimant; an ra-
« paces, auaritiæ furentis, inſatiabilem ſemper ardo-
« rem, vel metu mortis extinguant; an ceruicem fle-
« ctant ſuperbi; an audaciam leniant improbi; an pe-
« reuntibus charis, vel ſic aliquid diuites largiantur,
« & donent, ſine hærede morituri. Vt nihil aliud mor-
« talitas iſta contulerit, hoc Chriſtianis & Dei ſeruis
« plurimum præſtitit, quod martyrium cœpimus li-
« benter appetere, dum mortem diſcimus non time-
« re. Exercitia ſunt nobis iſta, non funera, dant ani-
« mo fortitudinis gloriam, contemptu mortis præpa-
« rant ad coronam.] Expendenda præſertim in rem
noſtram hæc clauſula, qua S. Cyprianus ſummum
peſtilentiæ decus ſtatuit, quòd hominem rebus ter-
renis auulſum, & imminentis in horas ſingulas
mortis horrorem, dedoctum, martyrio cruento ap-
tet:

tet: non quod etiam martyrem faciat, ſi tempore vſus benè, calamitatem alienam in heroicæ charitatis exercitium vertat.

Eiuſdem partis negantis, rationes.

5. Accedunt rationum firmamenta, quæ videri iure poſſint ineluctabilia. Primum eſto, debere martyrium alienæ violentię opus eſſe, nec cuiuſcunque, ſed illatæ in odium fidei, aut veritatis reuelatæ, vt fert conſtans doctrina Scholaſticorum, firmata abundè parte 2. Et apertè S. Optatus l. 3. temerarium eſſe ait, martyrem exiſtimare, eum qui extra bellum Chriſtianum ceciderit. Bellum autem Chriſtianum interpretatur, perſecutionem à Tyranno fidei hoſte. At me etiam tacente, nemo non perſpicit, eos qui voluntariè diſcrimini ad proximum ex charitate ſubleuandum ſe committunt, ſi pio illi operi immoriantur, aliena vi non cadere: & multo minùs in veritatis alicuius reuelatæ odium ſubire mortem. Non eſt igitur in morte, opus illud, (ſanctum cæteróqui ac pium) conſequente, prærogatiua martyrij.

Deinde iuxta principia quibus neceſſe eſt niti ſententiam quam excutimus, fatendum erit mortem in cuiuſcunque boni operis exercitatione obitam, ad martyrium ſufficere. V. G. religioſus qui ex præfecti ſui præſcripto, ſuſcipit iter aliquod, benè gnarus imminentis in eo itinere periculi vitæ, ſiue ab æſtu, aliiſque incommodis tempeſtatis ad iter capeſſendum inidoneæ, ſiue à feris, vel ſerpentibus, ſiue ab aliqua eiuſmodi cauſa naturali, aut etiam à cauſa libera, puta prædone, nihil tamen niſi de auferendo cum vita viatico, ſi quod viator habet, cō-

gitante; dummodò prudenter daret ſe itineri, & mandati executio temeritate vacans & prudens eſſet, deberet inter martyres numerari, ſi contingeret in ea obedientiæ executione mortem occumbere. At hoc pacto innumeri ſtatuendi eſſent martyres, præter eos quos hactenus Eccleſiæ ſenſus martyrij dignitate exornatos agnouit. Idem eſſet de aliis pleriſque exemplis paſſim obuiis ſtatuendum. V G. de eo qui conſpicatus hominem intra aquas periclitari de vita, ac fortaſſis etiam de animæ ſalute ſi inexpiatus excederet, ſciens demittit ſe in aquas, vt certo ſuo periculo eximat hominem, corpore alioqui & animo periturum. Qui enim in eo charitatis opere vitam poneret abſorptus aquis, iuxta principia ſententiæ in quam inquirimus, habendus eſſet martyr, contra quàm ferat communis omnium exiſtimatio, atque recepta doctrina.

6. Non debeo miſſum facere exemplũ in hac ipſa materia peſte contactorum, quod rem ſub oculos ponit quàm apertiſſimè. Benè multi lucellum aliquod captantes, in proximorum peſte laborantium ſubſidium locare operam ſolent, pretio conſtituto. Hos Ioannes Briaert quodlib. 3. *circa vltimam partem ſecundæ propoſitionis*, maximæ ſtultitiæ, & grauis peccati damnat, allegato Hieronymo cap. *vide* 1. q. 1. eo quod vitam, rem vtique omnium humanarum pretioſiſſimam, pro pecuniola prodigant. Tamen certum eſt, citra noxam imo cum laude & merito, poſſe aliquem in illam ægrorum ſubuentionem locare operam, & frui cupere pretio conſtituto, in quod principaliùs non intendat, ſed duntaxat tanquam in iuſtum periculoſi operis ſtipendium. Non enim propterea vitam poſtponit pecu-

niæ,

niæ, ſed ſubuentioni proximi, iuſto illo ſtipendio compenſatæ:Itémque vitam ſuam lautiùs poſtmodum & commodius exigendā,præponit vitæ,quam nunc per rei familiaris anguſtias miſerè tenuitérque traducit. In qua vitæ propriæ, & charitatis proximo impenſæ; vel eiuſdem vitæ, miſeræ primùm, tum lautè ac commodè exigendæ contentione,nihil eſt præpoſterum,quódque ſtultitiæ, vel grauis peccati damnatum oportuerit per ſe loquendo. Hieronymus autem ineptè allegatur, cum tantùm damnet eos qui ad captandam gloriam inanem, & populi rumuſculos,mortē oppetunt:quos negat, etiāſi in bona alioqui cauſa ſic mortē oppetant, eſſe verè martyres,quod quid ad rem præſentem? Cum igitur hæc ægrorum ſubuentio, ex locata ad id opera, poſſit ſanctè & prudenter ſuſcipi, admittendum conſequenter eſſet, quoquot huiuſmodi miniſterio immoriuntur,eſſe ſtrictè ac propriè martyres.Quod quis non videt ridiculum eſſe,adeóque ab Eccleſiæ ſenſu abhorrens, vt ne impugnari quidem debeat?

7. Saltem verò iuxta principia ſententiæ quam examinamus, non erit neganda martyrij laurea,iis qui ne ſe polluerent, mori maluerunt. Quibuſdam enim morbis opportunum eſſe vſum Veneris, nonnulli Medici tradiderunt apud S. Ambroſium epiſt. 66. quibus recentiores nonnulli adhæſerunt vt Cagnatus. 1. variar. cap. 1. & Septalius ſect. 4. probl. q. 17. Et quamuis id rectè explodat Scaliger exercit. 269. & alij quos profero in tractatione de Temperantia, num. 170.tamen certum eſt, nonnullis viſum eſſe quod dixi: imo cenſuiſſe, ex obfirmata Veneris auerſatione, poſſe aliquando mortem ingruere. Qua in ſententia manifeſtè fue-

runt qui valetudinem curabant Thomæ Archiepiſcopi Eboracenſis in Anglia, æqualis S. Anſelmi. Refert enim Rogerius in Annalibus Anglicanis, medicos de eius morbo conſultos negaſſe niſi vſu Veneris curari poſſe. Quod deuotæ Dei caſtitatis excidiũ execratus Præſul, reſpondit: [Væ ægritudini cui talis competit medicina.] Notum & illud Politiani de Michaële Verino iuuene Hiſpano.

Sola Venus potuit lento ſuccurrere morbo,
Ne ſe pollueret, maluit ille mori.

De Iacobo Roſſa Cardinali & Archiepiſcopo Vlyſſiponẽſi è regio ſanguine Luſitano, ſcribit Alphonſus Ciaconus in opere de geſtis Pontificum, eum anno 1419. Florentiæ mortuum, quod ſpondentibus ſalutem Medicis ſi coitu vteretur, auſcultare contra Deum, renuiſſet. Denique Guido Montiſfortis, vt eſt apud Fazellum in Sicula hiſtor. dec. poſter. l. 9. ne in captiuitate, adulterio commacularetur, morbo extingui maluit, quem Veneris vſu leuandum, aiebant Medici. Eius ergo ſententiæ quiſquã, Sacerdotio aut religioſa profeſſione illigatus, vel caſtitatis illibatæ Chriſti præconiis celebratæ, amore flagrans, ſi neceſſarium ad mortem deuitandam remedium aſpernetur, indéque gliſcat morbus & mors conſequatur, martyribus erit annumerandus. Mortem quippe oppetit, ob virtutem cuius ſplendor æquè reuelatus eſt, ac charitatis in proximum. Nemo tamen non videt, alium fuiſſe hactenus Doctorum ſenſum, & Eccleſiæ perſuaſionem.

8. Alia ratio aduerſus ſententiam propoſitam, ex eo ducenda eſt, quod contrapugnatio, gloriam martyrij non obſcuret modò, ſed etiam prorſus euertat. Atqui quotquot ſubuentionem proximorum cum

vitæ

vitæ periculo arripiunt charitate ducti, & reipſa contra nituntur,& niti obſtringuntur. V. G. qui lue contactos iuuant, tenentur quibus poſſunt alexipharmacis & antidotis ſe à lue indemnes præſtare, & mortem à ſe, quanto ſtudio licet, auertere. Non ſunt igitur veri martyres, quos velut agnos coram tondente ſe ſtare, & mortem patientiſſimè excipere,excluſa contrapugnatione ac reniſu neceſſe eſt,vt parte 2.monſtrauimus.Quid quod vel ipſe vocis cortex,excindere nouitium hoc placitum videtur? Martyr enim à teſtificando dicitur. At qui inter Chriſtianos & in alta Eccleſiæ pace, mortem in charitatis exercitatione oppetit, nulli per Chriſtum reuelatæ veritati teſtimonium præbet. Vel ex ipſo igitur nomine liquere poteſt, martyrem non eſſe,quem atteſtari Chriſto debere,vocis cortex, & extima notio docet.

Denique ſenſus communis videtur planè ferre non eſſe martyres, qui in miniſterio hoc charitatis animam ponunt.Conſtat enim,ſuffragia precum & ſacrificiorum, aliis Catholicè obeuntibus impendi ſolita,his quoque exhiberi; non vulgo tantùm, aut apud rudes duntaxat, ſed etiam apud peritos; quos tamen non poteſt latere, illud pronunciatum, ex Auguſtino ſupra tractatum,& ab Innocentio adductum,tanquam erutum è Scripturis; nempe quoad ſenſum, tametſi non quoad verborum corticem; [Iniuriam facit martyri qui orat pro martyre.] liquere igitur videtur eos non agnoſci martyres propriè & preſsè;quales eſſe oportet eos qui ſuffragiorum noſtrorum exhibitione, non ſunt per ſuperſtites adiuuandi,quia illico à morte pro Deo oppetita,puri planè ac nitentes,inferuntur cœlo, ignibus

emenda-

emendatoriis nequaquam aditis, cum omnis in eis peccati rubigo, exceptione mortis exactè ſit deterſa.

CAPVT II.

Contraria & vera ſententia quæ aditionem voluntariam periculi ad proximi ſalutem curandam, morte conſecuta, preſſè dicti martyrij decore exornat, Patrum autoritate communitur.

1. IN contrariam ſententiā, quæ opus de quo agimus veri martyrij titulo honeſtat, lubens eo. Vt autem ſolidè ac diſtinctè confirmetur, ordiendum eſt à Patrum ſuffragio: cui probationi, ſenſum Eccleſiæ, quæ columna eſt ac firmamentum veritatis, ſubnectum: aliámque inſuper probationem, quæ ex mutis ſanctorum vocibus, hoc eſt ex eorum in hoc genere illuſtribus factis, & generoſa diſcriminum aditione ducitur. Non enim minùs auidè ac ſtrenuè in hanc arenam deſcenderunt, nec minùs certi diuinæ mercedis, huic veritatis reuelatæ teſtimonio rependendæ, quàm ſi in cauſa fidei ſanguinem profuſuri, in Tyranni alicuius conſpectum veniſſent. Tandem rationes ex Scripturæ locis depromptas proponam, ex quibus facili negotio enodabo, quæ in contrarium ſunt adducta.

Suffragium Clementis Alexandrini.

2. In prima acie quæ Patres complectitur, agmen ducet Clemens Alexandrinus, ſcriptor omnium

um conſenſu vt antiquiſſimus, ita & doctiſſimus. Is libro 4. ſtroma. quem propè totum martyrio impendit, cum de grauitate ſceleris quo fides abnegatur, & generoſæ confeſſionis nobilitate, veriq́ue pro fide martyrij gloria diſputaſſet, ſubdit. [Fidelis dictus eſt, & ſeruus, & amicus. Quare ſi quis ſe ipſum diligit, diligit dominum, & confitetur ſalutem, vt ſuam ſeruet animam. Atqui ſi vel pro proximo moriaris, propter charitatem, exiſtimes ſeruatorem noſtrum eſſe propinquum. Deus enim appropinquans dictus eſt, is qui ſeruat, & qui ſeruatur, mortem eligens propter vitam, & propter te ipſum potius quàm propter illum patiens. Et nunquid propterea dictus eſt frater, qui paſſus propter ſuam in Deum dilectionem, paſſus propter propriam ſalutem, & qui rurſus moritur propter propriam ſalutem, ſuſtinet propter dilectionem domini? Etenim ipſe cum eſſet vita propter nos pati voluit, vt eius paſſione viueremus.] Apertè Clemens, martyrum numero accenſet eum, qui propter charitatem proximo impenſam, mortem obit, quem Seruatoris Chriſti, imaginem quandam eſſe vult: quod quanquam ſeruatus eſt, vtique à Chriſto, vtcunque tamen proportionale beneficium ei impendit, cuius per charitatem fit ſeruator, tanto ſuo lucro, & diuinæ remunerationis immenſitate, vt propter ſeipſum potiùs, quàm propter proximum paſſus dici poſſe videatur. Quod eſt de hac ipſe re intra naturalis amicitiæ fines ſpectata, iudicium Philoſophi 9. Ethic. c. 8. Addit Clemens, hunc propterea *fratrem* communi illius temporis Chriſtianorum appellatione nominandum, quod Chriſti frater verè ſit, cuius profuſam in nos charitatem, mors ex charitate

tate pro nobis oppetita facit teſtatam. Sed hanc Chriſti,& huiuſmodi ſeruatorum analogiam, infra in vtriuſque preſsè dicti martyrij contentione,diligentius ac diſtinctiùs proſequar. Nunc quod Clemens tradit,hoc arripio;eadem nimirum ſorte cum martyribus pro fide cæſis.cenſeri ab eo illos qui ex proximi charitate mortem oppetunt.

Item S. Dyonisij Alexandrini, atque Ruffini.

3. Fuit in eadem ſententia S.Dionyſius Alexandrinus in epiſtola Paſchali,cuius fragmentum extat apud Euſebium l.7. c. 17. aliàs 20.Deſcripta enim immani lue quæ orbem Romanum depaſta eſt, in Chriſtiani ſanguinis immaniter effuſi vltionem, extollit flagrantiſſimam multorum cuiuſuis ordinis fidelium in ægris iuuandis charitatem, quam
" plurimum ab omnibus collaudatam teſtatur: [adeò
" vt (inquit) iſtud mortis genus quod propter incre-
" dibilem pietatem & robuſtam fidem ſuſcipiebatur,
" nihil à martyrij ſplendore abeſſe videretur.] Ita habet Chriſtophorſoni interpretatio, Græcum Euſebij contextum fideliter reddens,in quo ſic habetur. *Ὡς καὶ τοῦ θανάτου τοῦτο τὸ εἶδος διὰ πολλὴν εὐσέβειαν, καὶ πίστιν ἰσχυρὰν γινόμενον, μηδὲν ἀποδεῖν μαρτυρίου δοκεῖν.* Nihil planè diſtare viſa eſt, promis illis Eccleſiæ temporibus hæc mors, à ſplendore vulgaris martyrij quod in cauſa fidei ſubitur. Qui tunc communis in Eccleſia, Dyoniſij quoque viri doctiſſimi & ſanctiſſimi ſenſus fuit, quando illum non refert modò, ſed etiam in confirmationem præconij quod ibi ſanctis illis pugilibus pangit adductum voluit.

Poſſum Ruffinum quoque huic ſententiæ aſtipulatum dicere. Nam in hiſtoriæ Euſebij interpretatione, longè aliter Dyoniſium expreſſit, paraphraſtem de more, & interpolatorem agens, non interpretem. Quanquam ad præſens inſtitutum, non minùs commodè habet quod eſt apud Ruffinum. Sic enim refert adductam Dyoniſij ſententiam. [Conſtantiſſima & ardentiſſima fide, tanquam ſi martyrij tempus inſtaret, miſerando infirmos, ſemetipſos huiuſmodi mortibus inferebant, miſericordiæ ex hoc martyrium capere præſumentes.] Hæc vt vides, non Euſebij, vel Dyoniſij ab Euſebio adducti, interpretatio, ſed Ruffini ſententia eſt: vt liceat proinde, Ruffinum tanquam ex ſua mente locutum, allegare ſeorſim in rem noſtram. Et norunt ſanè qui hominem norunt, quàm hoc illi in alienis operibus vertendis frequens imo iuge fuerit, vt non aliorum quos interpretabatur dicta proferret, ſed ſua conderet. Verba ſunt S. Hieronymi l. 2. apologiæ aduerſus eum, hoc improbantis in Latina Origenis per eundem Ruffinum interpretatione. Idem latè quoad interpretationem Euſebij hiſtoriæ factam à Ruffino, demonſtrat Chriſtophorſonus, præfatione ad ſuam eiuſdem hiſtoriæ interpretationem. Nec dubito quin Clementis recognitionum editio auctior à Ruffino facta, eiuſdem ſit genij: Vt taceam de opere Sixti Pytagoræi, de quo ſæpè quæritur S. Hieronymus. Æque igitur in propoſiti ex Dionyſio loci interpretatione, Ruffinum habemus, non tam interpretem, quàm autorem ac proinde meritò ſeorſim proferri potuit.

Quadam

Quædam ex Origene.

4. Auſim in hanc quoque ſententiam laudare Origenem tract.9. in Ioan. à quo Clemens Romanus profertur. Et quamuis neuter directè ſtatuat quod intendimus, facilè tamen erit ex argumentatione quam conficit Origenes, inſtitutum concludere. Statuerat Origenes, Chriſtum eſſe illum Agnum Dei qui tollit peccatum mundi: Illum inquam agnum qui ad cædem ductus eſt, & coram tondente ſe, mutus fuit; victima factus omnium noſtrum piacularis: quam eius pro nobis immolationem verúmque martyrium, cœteri quotquot conſecuti ſunt SS. martyres ſtudioſè ſunt æmulati, iuxta Origenem. His ita circa literæ corticem conſtitutis, vt eſt ingenium hominis allegoricum, & captandis ſemper myſticis ſenſibus intentum, excurrit Origenes in laudationem virtutis eorum, qui Chriſti imitatione pro aliis purgandis iuuandíſque, ſibi non parcunt, quos æquè ac SS. martyres, eſſe ait victimas cognatas primariæ illi victimæ quæ Chriſtus eſt, & purgantes eos pro quibus offeruntur. Exemplum eorum proponit filiam Iephte, & eos qui per tempus peſtis, ſaluti communi deuouent ſuam. Idque ex Gentilium etiam ſenſu confir-
« mat. Ait enim. [Notum autem atque teſtatum
« cum ſit apud Gentiles, multos cædi pro communi
« hominum ſalute ſeipſos tradidiſſe, cum peſtilentes
« morbi ſuam patriam inuaſiſſent: Et hæc eueniſſe
« admittit non ſine cauſa ſcripturis credens, Cle-
« mens ille fidelis, de quo hunc in modum teſtifica-
« tur Paulus, dicens: Cum Clemente, & reliquis

coadiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro « vitæ: Similem habent diſſimilitudinem apud eum « qui velit myſteria quæ multos latent, incuſare, « quæ de martyribus traduntur, Deo magis appro- « bante, vt vel aſperrima ſupplicia ſuſcipiamus, dum « confitemur illius diuinitatem, quam à tot rebus, « quæ malæ exiſtimantur, liberari ad breue tempus, « ſermone noſtro vbique ſequentes voluntatem ini- « micorum veritatis.] Tum poſt aliquam circa SS. « martyres in fidei cauſa occumbentes excurſionem, ad Chriſtum verum agnum Dei, tollentem peccatum mundi, ita regreditur. [Cœterum multum « immorati ſumus de martyribus verba facientes, at- « que enarrantes de his qui perierunt ob peſtilentes « conſtitutiones, vt videremus excellentiam illius qui « ductus eſt velut ouis ad cædem, quique ſicut « àgnus coram tondente fuit mutus. Namque ſi ali- « qua à gentibus non falsò hiſtoriis mandata ſunt, ali- « qua verò tum de martyribus ſunt dicta, qui fue- « runt mundi purgamenta, tum de Apoſtolis, qui « omnium reiectamenta ob hanc cauſam dicuntur, « quid & quantum ſentiendum eſt de agno illo « Dei, qui ob hanc cauſam ſacrificatur, vt tollat « peccatum mundi, pro quo & paſſus eſt.] «

Hic Origenis locus eatenus ad rem facit, quatenus SS. Martyres antonomaſticè dictos, hoc eſt vulgares ſeu pro fide morientes, cognatas Chriſti victimas ſtatuens, ſimiles iiſdem facit, (quamuis in diſſimili materia, & ex fine diſſimili, vt propterea ſimilem hanc eſſe diſſimilitudinem dicat;) eos qui apud Ethnicos tempore peſtis fiebant purgamentum, aut vt S. Ambroſius ſer. 8. in Pſal. 118. appellat, *luſtramentum* ciuitatis: Idque in diuina

cauſa præſtitiſſe ait SS martyres, quod illi ciuitatum periculo ſuo redemptores, in mala. Neque enim bonum eſſe potuit, mortem oppetere, ad ſalutem publicam, miſanthropi Satanæ placatione curandam. Iuxta ſenſum tamen Ethnicorum, quem Origenes ea ex parte non improbat, imo ratum habet, annuítque S. Ambroſius l.7. in Lucam *in ipſo fine*, ſeruatores illi, ſanctiſſimè & ſimili cum Chriſtianis martyribus conſilio ac laude, alienæ ſaluti ſuam impenderunt, vtrique idipſum præſtanſtantes quod Chriſtus ad vniuerſorum ſalutem præſtitit.

5. Non obſcurè igitur Origenes eo loco, martyrij decus in illis agnoſcit, qui non ad Satanæ nequitiam maleficio nouo auertendam, ſed prælucente fide, ex Chriſtiana charitate, æmulati eum qui animam ſuam pro nobis poſuit, certo ſe exitij periculo alacres committunt: optabiliore quàm Ethnici illi ſorte ac euentu, facti aliorum peripſemata, vt etiam Ruffinus allegatum Euſebij locum expreſſit, prolatis illis Apoſtoli verbis 1. Cor.4. *Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.* Vbi non placent qui Apoſtolum verbis illis fimo ſe ac exuerris cõtuliſſe exiſtimant, quod purgamenta ſint, quæ loco aliquo emundato colliguntur: peripſema autem ſit, quicquid deterendo decidendóue deiicitur, ſcobs, puluiſculi, & huiuſmodi alia. Tametſi enim Apoſtolus, non inſcitè, iuxta præclaram D. Auguſtini de martyribus ratiocinationem de qua infra, fimo ſe ac ſordibus quæ ſcopendo aggeruntur, conferre potuerit: Tamen Græcæ voces quibus vtitur κάθαρμα & περίψημα apertè alludunt ad exitiales illos

ac piaculares homines, quos ex Origene retuli; homines inquam ſacros, qui per tempus peſtilentiæ, alteriúſue publicæ calamitatis, deuouebant ſeſe ſaluti cæterorum. Quales Typhonij illi quos Plutarchus in Iſide ex Manethone refert, in Mithyis viuicomburio affectos, vt eſſent ciuitatis piaculum, ac pharmaci, vt nominat qui eum ritum deſcribit Tzezes chiliade 5. c. 21. Tales item illi quos Seruius ad 3. Æneid. Maſiliæ de publico per annum lautiſſimè pactos, tandem exacto anno veſtibus ſacris ornátos, in orbem cum exſecrationibus circumductos, & proiectos in mare, ad publicæ calamitatis exorationem teſtatur. Nec diſſimilia inſinuantur apud Libanium declamat. 43. *in ipſo fine.* Chalciæus item filia Λεω vt eſt apud S. Hieronymum l. 1. in Iouinia. vel vt eſt apud Suidam, tres Leo filiæ virgines, ſpontanea morte, patriæ peſtilentiam ſoluerunt. Ad has perſonas alludit Apoſtolus, vt Gagneius ibi rectè vidit.

Inſignis D. Auguſtini locus in rem noſtram.

6. Locus S. Auguſtini ex epiſtol. 180. huc rectè cadit, itaque prætermittendus non eſt. Tractat enim eo loco S P. euentum qui ambitu quæſtionis propoſitæ generaliter ſpectatæ comprehenditur, & ad mortem in lue ex charitate oppetitam, nullo negotio aptari poteſt. Quærit ergo S. Doctor quæ ſint partes Eccleſiaſtici paſtoris in publica calamitate, ex qua ipſi quoque paſtori, poſſit exitium creari. Quod enim per Vandalorum eluuionem in Africam, omnia cædibus rapiníſque complentium, multi animarum rectores, deſertis iis populis quibus

præerant,ſaluti ſuæ fuga proſpicerent; conſultus ab Honorato & QuodvultDeo Epiſcopis S.Auguſtinus; reſpondit,cum periculum non eſt Præſulis aut vnius alicuius è Clero peculiare, quale Diuo Athanaſio à Conſtantio Imperatore Ariano olim impendit,ſed eſt omnium æquè commune,nullo mo-
« do eſſe permittendum [vt qui aliis indigent, deſe-
« rantur ab iis quibus indigent. Aut igitur ad loca
« munita omnes transeant,aut qui habent remanen-
« di neceſſitatem, non relinquantur ab eis, per quos
« illorum eſt eccleſiaſtica ſupplenda neceſſitas; vt aut
« pariter viuant,aut pariter ſufferant,quod eos pater-
« familias volet perpeti.Quod ſi contigerit vt ſiue a-
« lij maius, alij minus, ſiue omnes æqualiter patian-
« tur, qui eorum ſint qui aliis patiuntur apparet: illi
« ſcilicet qui cum ſe poſſent talibus malis eripere fu-
« giendo,ne aliorum neceſſitatem desererent,mane-
« re maluerunt: hinc maxime probatur illa charitas,
« quam Ioannes Apoſtolus commendat,dicens:Sicut
« Chriſtus animam ſuam pro nobis poſuit,ſic & nos
« debemus animas pro fratribus ponere. Nam qui fu-
« giunt, vel ſuis deuincti neceſſitatibus fugere non
« poſſunt,ſi comprehenſi patiuntur, pro ſeipſis, non
« pro fratribus vtique patiuntur.Qui verò propterea
« patiuntur,quia fratres qui eis ad Chriſtianam ſalu-
« tem indigebant,deſerere noluerunt,ſine dubio ſuas
« animas pro fratribus ponunt.] Et mox hanc animæ pro fratribus abiectionem, antefert ei martyrio quod ſubitur ab eo,qui fugiens perſecutorem comprehenditur,ac ne Chriſtum perdat, perdit vitam.
« [Qui clades (*inquit*) hoſtiles ideò non fugit, cum
« poſſit effugere, ne deſerat miniſterium Chriſti, ſi-
« ne quo non poſſunt homines vel fieri vel viuere
Chriſtiani

Chriſtiani maiorem charitatis inuenit fructum, «
quàm qui non propter fratres, ſed propter ſeipſum «
fugiens atque comprehenſus, non negat Chriſtum, «
ſuſcipítque martyrium.] «

Bel'è item in hunc locum cadunt, & apertè D. Auguſtini teſtimonio aſtipulantur illa Laurentij Iuſtiniani de S. Martino, qui noluit periculum ab iratis principibus declinare fugiendo, ſed perſtitit, cum periculum quod Eccleſiæ ab hæreſi imminebat, Sancti Antiſtitis præſentiam depoſceret. [Quo- «
modò martyrij gloriam ipſum non habere cenſen- «
dum eſt, qui flagrans amore martyrij, pro fidei teſti- «
ficatione Catholicę, terrenorum principum nec ex- «
pauit potentiam, neque hæreticorum ſæuitiæ ceſ- «
ſit, quin conſtanter veritatis propalaret regulam, «
eorúmque confutaret errores. Magnum prorſus eſt «
hoc martyrij genus, vltrò ſe pro Chriſti honore «
dare periculis, quum ſecedendi etiam Sanctis à Do- «
mino facultas tribuatur. Contempſit Sanctus hic «
fugam, malens glorioſè occumbere, quàm ex «
paſſionis metu, humaniter occultari.] «

7. Hæc & D. Auguſtini & Laurentij Iuſtiniani dicta, æquè vt vides cadunt in rem præſentem. Quod enim de morte conſequente expoſitionem ad pericula pro fide, dixit Iuſtinianus, eodem iure de morte conſecuta diſcrimen aditum pro quauis virtute per Chriſtum approbata, dici poteſt. Quod item de hoſtili incurſu & periclitantibus per eum animabus, tradidit Auguſtinus, agnoſcens ſubuentionem in eo euentu præſtitam fidelibus, ad verum martyrium conſecuta morte pertinere, eámque Chriſti teſtis fidelis expreſſionem, qua pro nobis ex charitate Deo digna animam poſuit; hoc toti-

dem verbis, de alio quouis communi incommodo quod charitas depellendum aut ſubleuandum ſuadeat, & nominatim de ſtrage peſtilentiæ dici poteſt, immutatis paucis voculis: eámque paritatem rectè admittit Eſpencæus lib. 3. digreſſ. cap. 19 Maximè ſanè per tempus peſtis vrgent rationes illæ, quas ad fugam in propoſito euentu improbandam, vſurpat S. Auguſtinus eadem epiſtola. Si hoſtilem incurſum quod eſt Auguſtini eo loco inſtitutum, commutes in peſtilentiæ cladem de qua agimus, « dixeris factas fictáſque in rem præſentem. [Cum « plebs manet & miniſtri fugiunt, miniſteriúmque « ſubtrahitur, quid erit mercenariorū illa fuga dam- « nabilis, quibus non eſt cura de ouibus? Venit enim « lupus, nō homo ſed diabolus, qui plerunque fideles « apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum mini- « ſterium Dominici corporis defuit: & peribit infir- « mus in tua non ſcientia, ſed ignorantia frater, pro- « pter quem Chriſtus mortuus eſt.] Et non ita multo « poſt. [Magis timeamus, ne membra corporis Chri- « ſti deſtituta ſpiritali victu necétur, quàm ne mem- « bra corporis noſtri, oppreſſa hoſtili impetu tor- « queantur. Non quia iſta non ſunt vitanda cum poſ- « ſunt, ſed quia potiùs ferenda ſunt, quando vitari ſi- « ne impietate non poſſunt. Niſi fortè quiſquam con- « tenderit non eſſe miniſtrum impium, qui tunc ſub- « trahit miniſterium pietati neceſſarium, quando « magis eſt neceſſarium. An non cogitamus, cùm ad « iſtorum periculorum peruenitur extrema, nec eſt « poteſtas vlla fugiéndi, quantus in Eccleſia fieri ſo- « leat ab vtroque ſexu, atque ab omni ætate concur- « ſus; aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconcilia- « tionem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem,

omnibus

omnibus conſolationem & Sacramentorum con- «
fectionem & erogationem? vbi ſi miniſtri deſint, «
quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſeculo «
vel non regenerati exeunt, vel ligati? quantus eſt «
etiam luctus fidelium ſeruorum, qui eos ſecum in «
vitæ æternæ requie non habebunt? quantus deni- «
que gemitus omnium, & quorundam quanta blaſ «
phemia de abſentia miniſteriorum & miniſtrorum? «
Vide quid faciat malorum temporalium timor, & «
quanta in eo ſit acquiſitio malorum æternorum. Si «
autem miniſtri adſint pro viribus, quas eis Dominus «
ſubminiſtrat, omnibus ſubuenitur: Alij baptizan- «
tur, alij reconciliantur, nulli dominici corporis «
communione fraudantur, omnes conſolantur, ædi- «
ficantur, exhortantur, vt Deum rogent, qui potens «
eſt omnia quæ timentur auertere, parati ad vtrum- «
que & ſi non poteſt ab eis calix iſte tranſire, fiat vo- «
luntas eius qui mali aliquid non poteſt velle. Certè «
iam vides quod te ſcripſeras non videre, quantum «
boni conſequantur populi Chriſtiani, ſi in præſen- «
tibus malis non eis deſit præſentia miniſtrorum «
Chriſti: Quorum vides etiam quantum obſit abſen- «
tia, dum ſua quærunt non quæ Ieſu Chriſti, nec ha- «
bent illam de qua dictum eſt, non quærit quæ ſua «
ſunt, nec imitantur eum qui dixit; non quæro quod «
mihi vtile, ſed quod multis vt ſalui fiant.] Hæ ratio- «
nes, commutatis paucis voculis, quàm non obliquè
aut indirectè, ſed rectà cadant in rem de qua agi-
mus, vel lippus perſpiciat. Quare cum D. Auguſti-
nus, veri martyrij ſplendorem in ea proximi ſub-
uentione prudenti & ſancta agnoſcat; ita in qua-
cunque ſimili planè cauſa, atque adeò in ea quoque
qua iuuantur peſte contacti, idem aſſereret.

Effugium ad declinandam D. Auguſtini autoritatem.

8. Video tamen elidi in ſpeciem, vel eludi potiùs poſſe vim huius teſtimonij,declinaríque D.Auguſtini autoritatem,vt in re noſtra non vrgeat, dicendo; S.Auguſtinum non videri admittere Eccleſiaſticum miniſtrum donari martyrij laurea, ſi manens ad iuuandum populum, ingruente barbarico incurſu,cædatur. Refert enim hoc meticuloſi Epiſ-
« copi dictum. [Si Dominus nobis imperauit fugam,
« in eis perſecutionibus vbi poteſt fructus eſſe mar-
« tyrij, quanto magis debemus fugere ſteriles paſ-
« ſiones, quando eſt barbaricus & hoſtilis incur-
« ſus?] Steriles paſſiones vocabat hic filius Ephrem, quæ martyrij decore careant, eo quod barbarum hoſtem, non in Chriſti odium ſæuire, ſed ex innata tantùm ſæuitia & inſaturabili rapacitate, graſſari ſupponeret. Hoc igitur Epiſcopi illius dictum referens Diuus Auguſtinus, non inſimulat illud falſitatis, nec reponit huiuſmodi paſſionem non fore ſterilem: quæ fuiſſet plana & expedita via reſpondendi, ſi niteretur veritate: Sed admiſſo meticuloſi illius Epiſcopi dicto, vrget Eccleſiaſtici officij vincula: id eſt obligationem ſuſcepti per paſtores muneris,cui vel morte propoſita ſit ſatisfaciendum.Idque exequentem Eccleſiæ miniſtrum, maiore charitatis ſuæ, *(non ait, martyrij)* fructu donandum docet, quàm ſi martyrium ſubiiſſet,comprehenſus in fuga.Si igitur S.Auguſtinus, miniſtrum Eccleſiaſticum in hoſtili incurſu perſtantem,ac cæſum,non agnoſcit martyrem, quam-

uis ad ſuos in ſpiritu & quoquo modo poterit, iuuandos perſtiterit,non eſt quod eiuſmodi decus, ex tanti Patris mente arrogetur alteri,qui in alia materia eodem planè modo ſe gerit.Et vt daretur, S.Auguſtinum in re propoſita martyrij decus agnoſcere; tamen eſt inter eum euentum de quo agebat, & rem præſentem, diſcrimen patentiſſimum. Siquidem in eo incurſu, infertur mors à perſecutore in odium fidei, ſin minus vt credentis, at ſaltem vt operantis. Nam ſacer miniſter, plebi hoſtiliter impetitæ ſanctam operam nauans, interimitur à perſecutore Chriſtianitati infenſo. At in exemplo morientium iuuando peſte contactos, nihil tale cernitur.Non enim à perſecutore, neque in fidei odium mortem ſubeunt, ſed ex morbo per cauſam verè naturalem immiſſo. Itaque autoritas D. Auguſtini extranea planè videtur huic cauſæ.

Præcluditur.

9. Non erit tamen difficile hoc effugium præcludere, ac demonſtrare germanam D. Auguſtini mentem eſſe quam dixi.Nam quod Eccleſiaſticum miniſtrum, in hoſtili incurſu fugere renuentem, & iuuandæ Chriſtianæ plebi intentum, ſi cædatur, martyrem agnoſcat D. Auguſtinus; ex eo liquet, quod docet illum aliis pati, qui cum ſe poſſet talibus malis eripere fugiendo,manere maluit,ne alios in tanta neceſſitate, ſubſidio ſolatiôque priuaret: quam eſſe ait animæ poſitionem pro fratribus, & expreſſiſſimam imitationem Chriſti teſtis fidelis, qui animam incenſiſſima charitate pro nobis poſuit.At hoc ſatis ſupérque eſſe ad martyrium preſsè

acceptum, cum ex dictis parte 2. conſtare poteſt, tum infra martyrum cum Chriſto analogiam exponens, manifeſtius efficiam. Quid quod S. Auguſtinus, in antitheſi illa, qua componit vnũ, perſtantem vt iuuet proximos, ideóque cadentem; & alium comprehenſum in fuga, & idcirco cæſum, quod deficere à Chriſto detrectaret, agnoſcit priorem ſplendidiùs ac fructuoſiùs occumbere, quàm poſteriorem? At hunc, diſertè appellat martyrem. Igitur martyrem quoque ſtatuit priorem, cui præ heroica charitate, nobiliorem & fructuoſionem aſſignat obitum; nequaquam id facturus, ſi martyrij exſors eſſet. Nam ex S. Auguſtini ſententia, martyres in Eccleſia verticem tenent ſanctitatis & dignitatis, vt videre eſt lib. de ſancta virginit. c.45. & patentiſſimè in Pſal. 67. ad illud *Principes Iuda.* vbi martyres vocat [veriſſimos principes Eccleſiarum, dignos ducatu, dignos imitatione, dignos honoribus. Martyres namque in Eccleſijs locum ſummum tenent, atque apice ſanctæ dignitatis excellunt.] Quare quod de meticuloſi illius Epiſcopi dicto, cædem paſtoris in hoſtili incurſu, *ſterilem paſſionem* appellante, ita pronunciat, *verum eſt quidem & acceptabile*; accipiendum eſt in ſenſu quem conſequentia verba ferunt. Addit enim. *ſed iis quos Eccleſiaſtici officij non tenent vincula.* vt nimirum ſenſus ſit, cædem à barbaro illatam nullo modo in odium fidei, ſed vt etiam ſupponebat ille Epiſcopus, ex mera ſæuitia, nequaquã ſpectare ad martyrium. Illatam tamen ei qui perſtat, vt ex officij vinculo, aut (quod æquè laudabile, vel etiam laudabilius foret,) ex mera charitate iuuet proximos in tanto diſcrimine conſtitutos, non eſſe ſpoliandam martyrij gloria,

ria, nec eſſe vocandam ſterilem paſſionem: qualis eſſet (ex opere quidem operato,) cædes cuiuſuis de plebe, in barbarico incurſu trucidati, ex mera aduerſarij ſæuitia.

Quod verò conceſſa tali cædi miniſtri Eccleſiaſtici gloria martyrij, addebatur, diſparitatem eſſe inter euentum illum, & eum in quo verſamur; eo quod Eccleſiaſtico illi miniſtro, mors ab alio inferatur, non item ei qui iuuat peſte contactos; id quidem exigui momenti eſſe liquebit, cum argumenta capite. 1. propoſita enodabimus. Ibi enim perſpicuum fiet, in hoc quoque euentu, mortem ab alio inferri. Nego autem in euentu de quo D. Auguſtinus agebat, mortem fuiſſe irrogatam in odium fidei. Alioqui enim D. Auguſtinus, non admiſiſſet homini libero & nullis ad perſtandum cauſis idoneis impulſo, & tamen ſubita hoſtium irruptione oppreſſo, aut abſque graui noxa ſaltem ob errorem inuincibilem non abſcedenti, mortem illam eſſe ſterilem paſſionem. Nam in odium fidei irrogata, & patienter excepta, fuiſſet verum martyrium.

CAPVT III.

Senſus Eccleſiæ pro eadem ſententia.

1. QVanti apud Catholicum hominem ſint Eccleſiæ non dico pronunciata & ſcita, ſed nutus, non eſt quod exponam. Eſt enim Eccleſia, columna & firmamentum veritatis, vt proinde qualiſcunque ſignificatio Eccleſiaſtici pro aliquo placito ſuffragij, omnibus aliis creatis ſuffragationibus, longè ſit anteponenda. Quare prolatis Patrum grauiſſimo

uiſſimorum teſtimoniis, firmiorem Eccleſiaſticum ſermonem tanquam lucernam lucentem in caligi-noſo loco, ſubiicio ad propoſitæ ſententiæ illuſtrationem, & confirmationem pleniorem.

Quid de SS. Alexandrinis, lue contactos iuuantibus, Romanæ tabulæ.

In Romano Martyrologio Eccleſiæ, autoritate probato, hæc verba habentur pridie Cal. Martij.
« [Alexandriæ commemoratio SS. Presbyterorum,
« Diaconorum,& aliorum plurimorum,qui tempore
« Valeriani Imperatoris,cum peſtis ſæuiſſima graſſa-
« retur,morbo laborantibus miniſtrantes,libentiſſimè
« mortem oppetiere:quos velut martyres, religioſa
« piorum fides venerari conſueuit.] Teſtimonium hoc verum eſt, & luculentum. Vt autem fides eius ſit omnino inconcuſſa, verba propoſita ſunt diligenter expendenda.Neque enim lucem eis aliunde affundere poſſumus, cum in nullo (quod aduerterim,) alio martyrologio, non Bedæ,non Vvandelberti,non Adonis, non Vſuardi, non priſco Romano Roſuedij opera nuper refoſſo, horum Sanctorum Alexandrinorum memoria, conſignata ea die habeatur. Sed & in Græcorum faſtis à Genebrardo editis,altum de eis ſilentium. Apud Euſebium verò 7.hiſtor. c. 17. deſcribitur quidem horum Sanctorum Chriſti pugilum glorioſum certamen, ex epiſtola S.Dyoniſij Alexandrini ad Hieracem Epiſcopum:ſed neque dies obitus vlla, neque addictæ eorum agonibus feſtiuitatis, annotatur. Vt proinde neceſſe ſit,certam diem, Sanctorum horum athletarum memoriæ, apud Alexandrinos iam olim addictam,

dictam, ex veteribus aliquibus ſcriptis in Romanos faſtos tranſlatam, cum martyrij titulo iiſdem adſcripto iam olim Alexandriæ, quem Romana Eccleſia in tabulis ſuis ratum habuit. Sed inſiſtamus expenſioni tabularum prolatarum.

2. Sanctos Preſbyteros quorum in eis fit mentio, ſpiritualem præſertim ſubuentionem, ægris quibus miniſtraſſe produntur, impendiſſe, confeſſionis Sacramento adminiſtrando, extergendíſque peccatis, res ipſa loquitur. Diaconos autem operam ſuam nauaſse porrigendæ Euchariſtiæ, & ſubleuandis qua ratione intra gradum ſuum poſsent, cum ægris, tum Sacerdotibus quorum ſunt adminiſtri, nemo inficias iuerit. Qui autem, in verbis quæ ex tabulis recitauimus, dicuntur *alij plurimi*, eos Dyoniſij epiſtola, è populo fuiſſe docet: quos in corporum maximè curam incubuiſſe, non eſt dubium: ita vt quamuis ſolari quoque, & ad bonum exitum animare morientes conatêtur, tamẽ ea prouincia ſacris præcipuè miniſtris relicta, ipſi in corporá leuanda, atque cadauera curanda, maximè intenderẽt: Quod nauiter à fidelibus in ea calamitate præſtitum, diligenter annotat Dionyſius. Non minuo ſacrorum miniſtrorum hac in parte gloriam, quaſi laborare in corporibus cadaueribúſque curandis, ſint dedignati. Sed cum vtrique in corporibus communiter animíſque Chriſtiana charitate cumulandis, ſtrenui eſſent, graduum tamen munerúmque ſuorum memores, ita partiebantur pietatis officia, vt in ſpirituali miniſterio & animarum procuratione, potiores partes eſſent miniſtrorum ſacrorum; qui etiam ſacramentis, non quod laici, piis tantùm alloquiis, ægros iuuare poterant. In

corporum

corporum autem ſubſidio, laici tanquam in ſuo præcipuo munere diſtinerentur: vtriſque autem ob oppetitam in ſancto illo miniſterio mortem, tabulæ Eccleſiaſticæ martyrum titulum concedunt, eóque nomine, fidelium religione frequentatos teſtantur. Hoc ipſum eſt, quod ſententia cui aſtipulamur affirmat. Itaque habemus pro ea, manifeſtum & ineluctabile Eccleſiæ iudicium, quo interpoſito omnis ad aliud tribunal prouocatio, homini Catholico intercluditur.

Effugium præcluditur.

3. Erit cui videatur relictus cauillandi locus, ob appoſitam ſimilitudinis particulam, quæ ſpectato vocis cortice, non niſi analogiam ſonat. Itaque illud, *veluti martyres*, pertinere dicet ad conſtitutam ab Eccleſia proportionem aliquam huiuſmodi ſanctorum pugilum, cum veris martyribus. Qua ratione homo, fugere dicitur velut vmbra: & voluptarij dicuntur velut irrationabilia pecora abiici ad paſtum, & continentem ingluuiei turpitudinem. Hinc tamen non eneruatur argumentum pro ſententia noſtra, ductum ex Eccleſiæ auctoritate. Non enim ſi quis dixerit, cœliti cuipiam vindicato, cultum deferri *velut ſancto*, ſenſus eſt, cultum illum analogiam duntaxat aliquam habere cum veneratione quæ ſanctis impenditur: ſed ſenſus eſt, illum ipſum cultum qui ſanctis tribuitur, ei quoque cœliti poſt interpoſitam vindicationem deferri. Non diſpar, imo planè eadem ratio eſt eius locutionis, qua S. Ioannes gloriam verbi carne amicti, dixit eſſe *gloriam quaſi vnigeniti*. Ibi namque dictio *quaſi*, quæ

quæ gemina planè eſt particulæ *velut*, cuius notionem in propoſitis ſacrarum tabularum verbis expendimus, non ſonat ſimilitudinem, ſed identitatem, vt pulchrè expoſuit S. Chryſoſtomus homil. 11. in Ioan. obſeruans, idem planè fuiſſe dicere gloriam Chriſti apparuiſſe *quaſi gloriam Vnigeniti*, ac ſi dictum eſſet; *Vidimus eius gloriam, qualem deceat & credibile ſit, habere vnigenitum.* Idque illuſtrat ex communi vſu loquendi. [Quonam pacto qui « Regem aliquando precioſiſſimo cultu ornatum, pre- « cioſiſque vndique fulgentem lapidibus conſpicati, « aliis ſpeciem illam ac maieſtatem enarrare volunt, « purpureum florem, gemmarum magnitudinem, « albas mulas, auratos currus, ſolium adſtantium ocu- « los nimio fulgore perſtringens, pro viribus enar- « rant. Cùm verò & his & aliis collectis cultum illum « omnem maieſtatémque verbis comprehendiſſe ſi- « bi non videantur, continuò addunt: Quid multis « opus eſt. Vno verbo dicam, Quaſi Rex. Cum ex « hoc verbo, *quaſi*, non Regi ſimilem, ſed ipſum « Regem velint ſignificare. Ita hoc in loco Euangeli- « ſta, *quaſi*, inquit, ad gloriæ maieſtatem & incom- « parabilem excellentiam ſignificandam. Reliqui « namque omnes, & Angeli, & Prophetæ, iuſſi om- « nia operabantur; ipſe autem ea poteſtate quæ & « Regem deceret & Dominum.] Breuiter in eandem « rem S. Gregorius 18. moral. cap. 4. tractans illud capitis 27. Iob, *ſicut impius inimicus meus, & aduerſarius meus, quaſi iniquus*: [In ſacro eloquio (*in- « quit*) ſicut, & quaſi, aliquando non pro ſimilitudi- « ne ponitur, ſed pro veritate. Vnde eſt illud: Vidi- « mus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. « Vnde & hìc quoque, ſicut & quaſi, pro affirma- « tione,

tione potiùs, quàm pro ſimilitudine, dictum videtur.

Ad eum itaque modum in re præſenti, ſancti ægrorum miniſtri, immortui pio illi miniſterio, dicuntur coli *veluti martyres*, aut *quaſi martyres*, quia reipſa habentur eo loco in Eccleſia, eúmque inter cœlites gradum occupare cenſentur. Et quamuis particula *velut*, alibi ſit nota ſimilitudinis, hîc tamen non poteſt eum ſenſum facere. Cum enim Eccleſia, varios cœlitum ordines fidelibus proponat; & hos martyribus, illos Confeſſoribus accenſeat, vtriſque autem ſuum in cultu externum ritum peculiarem ac diſtinctum exhibeat: contra eum profectò exactiſſimum & accurratiſſimum ordinem, quem vbiuis aliàs ſeruat, feciſſe hoc loco, & confuſionem inuexiſſe dicenda eſſet, obtrudens *veluti martyres*, qui reuera martyres non eſſent, ſed ſimilitudine tantùm aliqua ad martyres accederent. De mente igitur Eccleſiæ, & ſenſu verborum quibus in tabulis ſacris vſa eſt, liquere videtur.

Labeculæ quædam ſacrarum tabularum.

4. Auctoritatem verò Eccleſiaſticarum huiuſmodi tabularum, non eſt quod hoc loco, extra locum confirmare ſatagam; cum eo ipſo quod Eccleſiaſticæ ſunt, hoc eſt communiter in Eccleſia vſurpatæ atque receptæ, ipſa Eccleſiæ auctoritate, quæ homini Catholico ſumma eſt, perfundantur. Nolo eas cuiuſuis omnino mendi immunes præſtare. Quis enim adeò rerum ſacrarum rudis eſt, vt ignoret, quoad loca vel mortis obitæ annum, aut eos per quos mors fuit irrogata, peccari interdum quædam

dam in ſacris tabulis, & ſalua Eccleſiæ auctoritate corrigi in eis nonnulla in dies? Vnum aut alterum exemplum quod nunc occurrit, adſcribo. Euſebius Papa in antiquioribus Romani martyrologij editionibus 26. Septemb. ad annos ſex & menſes aliquot ſediſſe perhibebatur. Hoc falſum eſſe euincit Card. Baronius anno Chriſti 311. num. 40. demonſtrans multis annis decurtandum eſſe tempus ſedis Euſebij, ideóque temporis illius nota, in poſterioribus martyrologij Romani editionibus eraſa eſt. S. Proculus 1. Iunij in iiſdem tabulis Romanis, adſcriptus habetur titulo Epiſcopi Bononienſis: quem titulum per errorem irrepſiſſe, docet idem Cardina. anno Chriſti 205. num. 122. Martyrem enim duntaxat, non etiam Epiſcopum fuiſſe confirmat. In iiſdem ſacris tabulis 9. Decemb. S. Reſtitutus Epiſcopus Carthaginenſis, addito martyris titulo habetur inſertus: quem tamen non fuiſſe martyrem argumento eſt, tum quod Poſſidius memorans ſermonem in eius feſto à D. Auguſtino habitum, ſileat de martyris titulo: Tum quod diſertè Pontius Diaconus in vita S. Cypriani, inter Carthaginenſes Epiſcopos, neminem ante Cyprianum ſubiiſſe martyrium ſcribat. At Cypriano anteriorem fuiſſe Reſtitutum, ex eo liquet, quod anteceſſerit annum Chriſti trecenteſimum, ad quod vſque tempus, poſt Cyprianum, non niſi Lucianus & Menſurius Epiſcopi Carthaginenſes fuiſſe produntur. Ibidem 2. Iunij, SS. Martyres Lugdunenſes, Pothinus & ſocij, ſub Antonino, & Lucio Vero Collega, cæſi referuntur: quod cum hiſtorica veritate non cohærere, eo quod iampridem ante turbinem illum Lugdunenſem obiiſſet Lucius,

monuimus in noſtro SS. Lugdunenſium indiculo, prolegom. 3.

Subſtantia vndecunque Sana.

5. Has, & ſi quæ ſunt aliæ conſimiles, ſacrarum tabularum labeculas de quibus Maurolycus in ſua ad martyrologium præfatione, ita non inficior irrepere potuiſſe; vt tamen quod ad earumdē tabularum veluti ſubſtātiam attinet, itémque quoad doctrinam iiſdem quandoque admiſtam; nec factum, (vt ſic dicam,) ſed ius ſpectantem, non patiar earum certitudinem & omnimodam puritatem, in dubium verti quoquomodo; ne vnâ autoritas Eccleſiæ conuellatur. Subſtantiam voco, quod in adſcripta tabulis narratione præcipuum eſt, ac veluti fundamentarium. V.G. quod verè is qui tabulis inſeritur, vixerit aliquando. Sic enim cum ſubdubitatum quandoque à nonnullis fuiſſet, an SS. Barlaam & Ioſaphat, de quorum geſtis hiſtoriam texuit S. Damaſcenus, verè ac reipſa extitiſſent qui produntur; an verò S. Damaſcenus, ingeniosè huiuſmodi narrationem molitus eſſet, ad intermiſcendas pleráſque diſſertationes ſacras, ac veluti formam Chriſtianè erudiendi magnatum liberos conſcribendam, Xenophontis imitatione; qui ſpecie Cyrum deſcribendi, generoſi Principis Ideam expreſſit: Cum inquam ſuſpicio illa nonnullos pulſaſſet quoad Barlaamum & Ioſaphatum, compreſſi illico ab omnibus ſunt, autoritate Eccleſiaſticarum tabularum: quas fabuloſitatis atque mendacij damnare neceſſe eſſet, ſi chymeras atque figmenta pro veris perſonis obtruderent. Quo item

argumen

argumento paſſim repelluntur deliria Nouatorum, cœlites pleróſque è ſymbolicis typis imperitè effi-ctos criminantium: vt SS. Georgium, Hyppolitum, Chriſtophorum, Diuámque Catharinam. Cum quibus Serarius libro 2. litaneutico à q. 19. confligit. Vt & Molanus l. 2. de imag. c. 61. vbi inſuper refellit Caluinianum cauponem SS. Sapientiam, & eius tres filias, Fidem, Spem, & Charitatem, quarum memoria Cal. Auguſti recolitur, ſchemata eſſe virtutum in Sanctarum laruas transformata, blaterantem. Hos omnes vno illo potentiſſimo telo impetunt Catholici; hæc nomina tot retro ſeculis in Eccleſiaſticis tabulis conſignata, non poſſe ad myſticos ſenſus & emblemata detorqueri: ſed niſi omnia conuulſa, & quod vel cogitare horreat Catholicus, exciſam Eccleſiæ autoritatem, vnáque religionem omnem velimus, eſſe in eius aſſertione horum cœlitum, ſacris tabulis teſtata, acquieſcendum.

6. Ad ſubſtantiam item earundem tabularum pertinere cenſendum eſt, quod qui in eis ſanctus proditur, ſit cœlo illatus: ita vt hæc in ſacris tabulis inſertio, non aliter ſe habeat ad faciendam beatitudinis fidem, quàm vindicatio ſolemnis, & vt paſſim lóquimur, canonizatio. Tametſi autem inter ſcholaſticos, ſalua Catholica fide diſceptatur, ecqua certitudine cœlites vindicati habendi ſint cœlo illati; quibuſdam id ad fidei ſcita pertinere contendentibus; aliis non niſi ſecundæ notæ certitudinem, & ea qua indubitatis fidei placitis aſſentimur, inferiorem, tribuentibus propoſitioni quæ cœlitem vindicatum cœlo illatum enunciat; quam litem nunc diiudicare, alterutríue in ea parti præ-

iudicare, conſilium non eſt. Tamen omnium conſenſione firmatum eſt, dementiſſimæ fore temeritatis, in dubium vertere, quod Eccleſiæ Præſides tanta accuratione, & modum propè ſuperante diligentia diſcuſſum proponunt. Itáque cum tabulæ Eccleſiaſticæ Romanæ, eodem planè loco ſint quo diplomata, queis aliqui renunciantur cœlo illati; non poteſt apud quemquam cordatum nutare earum autoritas, quoad hominis iiſdem inſerti beatitatem. Ago de ſolis Romanis tabulis: quia reliquas Latinas bene multas, quas Ioannes Molanus tractatione de Martyrologiis latè excutit vt Bedæ, Vandelberti, Adonis, Vſuardi, aliáſque, non eſt animus, indemnes & omni labe puras, etiam quoad ſubſtantialia, præſtare, quatenus à Romanis diſcrepant, eíſve ſunt auctiores. Græcorum item tabulas labe non vacare in ſubſtantialibus, argumento eſſe poteſt, quod inſignis hypocrita S. Gregorio magno damnatus Ioannes ieiunator, (is cuius eſt homilia, quæ inter homilias Chryſoſtomi ad populum numerabatur olim 21. & nunc eſt vltima tomi primi Græcolatini) in iiſdem tabulis 2. Sept. adſcriptus habetur cum inſigni elogio, quod teſtatur etiam Nicephor. l. 18. c. 34. Et tamen in peccatis ſuis obiiſſe, mandata S. Gregorij ad Sabinianum Apocriſarium poſt mortem Ioannis data, & contentio cum Cyriaco Ioannis ſucceſſore ad prophani tituli à Ioanne vſurpati abrogationem, videtur inſinuare, & ita ſentit Baronnius, anno 596.

Denique ad doctrinam pertinet, quod interdum per occaſionem ſancti alicuius, admiſcetur extra rei geſtæ ac facti ſeriem. Vt quod occaſione S. Gallicani,

licani, hoſpitalitas & miniſterium ægris impenſum commendetur. Quod narrando quotidianam S.Caſſij litationem, vſus quotidiani ſacrificij comprobetur. Einſdem generis eſt, quod quis idcirco prodatur martyr, quia Eccleſiæ iura tutans pro viribus,gladiis impiorũ occubuerit. Aut quod Chriſtianorum infantes, cæſi in odium fidei quamuis nondum baptiſmo initiati, ſint verè martyres, potiantúrque beatitate. Hæc obiter inſerta ſacris tabulis, de eis quotidie Chriſtianæ plebi inſonant: vt quod S.Cyprianus lib.de exhortat. martyr. c.11. admonebat, ſupra iuſtorum antiqua & ſancta veſtigia, iter faciat. Hoc pacto Deus, iuxta S.Gregorij doctrinam 9.moral.c.43. teſtes ſuos contra nos inſtaurat: quia bona quæ facere ipſi negligimus, dum ab aliis facta audimus, qui præceptis non accendimur, ſaltem exemplis excitamur. Hac ipſa ratione vt idem S.P.philoſophatur l.24.moral.c.8. & 9. peccator præmonſtrante Eccleſia, *reſpicit homines, & dicit peccaui*; & ex libris vitæ iuſtorum apertis, fertur iudicium de iis, qui ſecus vixerunt, quàm illi vixerint agentes in terris. Eſt igitur huiuſcemodi doctrina, obiter plerũque ſacris tabulis inſerta lectiſſimum animarum pabulum, quo per occaſionem exornandi memoriam Sancti de quo agitur, fideles ad ſimilia audenda & perficienda animantur. Atque adeò intolerabile eſſet, admittere, poſſe ab Eccleſia, pro pabulo idoneo, venenatum porrigi: id eſt pro doctrina vera, obtrudi quippiam falſum, ad cuius imitationem fideles perperam ab Eccleſia incendantur, publica eius lectione quotannis repetita de ſacris tabulis.

Titulus martyrum datus SS. Alexandrinis, ſpectat ad ſubſtantialia ſacris tabulis.

7. Quare ratum ac fixum eſto, quæ iiſdem tabulis ſunt ſubſtantialia, & quæ ad ſanam doctrinam, & bonos mores pertinentia in eis obiter quandoque inſeruntur, vſquequáque incorrupta haberi oportere. Reliqua, minoris ſunt momenti: & in ea poſſe mendum irrepere, non excluſis Romanis tabulis, multiplici experimento eſt deprehenſum. Quod autem titulus martyris, vel confeſſoris, ſancto cuipiam in tabulis appoſitus, inter ea ſit quæ ad ſubſtantialia non pertinent; videbimur in præſentia, cauſæ quam tractamus, minùs commodaſſe: nec validè poſſe concludere, pios illos viros qui ſe contactorum obſequio addixerunt, & illi curæ ſunt immortui, verè martyres habendos eſſe, cum eo titulo honeſtentur in ſacris tabulis. Infirma enim habenda erit hæc illatio, cum tabulas ſacras, in delatione alicuius tituli mendoſas eſſe poſſe, admiſſum ſit: quandoquidem appoſitio tituli quo Sanctus aliquis in eis honeſtatur, non pertinet ad ſubſtantialia, quæ ſola diximus non eſſe vitio obnoxia. Nam præter exempla ſuperiùs adducta, S. Deſiderius Viennenſis Epiſcopus, mutato Confeſſoris titulo quo hactenus notatus in tabulis fuerat, martyr agnominatus eſt, correcto errore, qui perperam in Lugdunenſi Calendario perſeuerat. Quidni ergo dicere liceat, fallacem quoque eſſe poſſe denominationem martyrum, qua SS. Alexandrinos, honorant tabulæ? Quominus tamen in re præſenti, immineat idem periculum,

lum, facit ratio tituli quæ ei adiungitur. Habent enim ſacræ tabulæ, ſanctos in pio illo iuuandorum ægrorum obſequio mortuos, idcirco à fidelibus coli vt martyres, quod in ſancto illo opere vitam poſuerint. Vbi præter rem geſtam quæ refertur, & nudam tituli martyrum appoſitionem quæ ad ſubſtantialia non pertineret, vnum additur ſpectans ad doctrinam: nempe quod mors in eo miniſterio oppetita, ſufficiat ad martyrium. At quæ ad doctrinam ſpectant, negauimus eſſe errori obnoxia; aut talia, vt de eis, lis Eccleſiæ, ſalua ſponſæ Chriſti dignitate, intendi poſſit. Et ſanè ſi in re prædicta, & ratione propoſiti tituli quæ in tabulis redditur, vacillare poſſet earum fides, concedendum ſimiliter eſſet, labare quoad alia ſuperiùs memorata, & ſimilia pleráque ſacræ doctrinæ capita quæ attinguntur in tabulis: quod ego vt admittam nunquam adducar; nec adducetur, vt puto, quiſquis Catholicus audire, & eſſe volet.

CAPVT IV.

Hiſtoria Sanctorum Alexandrinorum ad contactorum ſubſidium, tanquam ad martyrium accurrentium, eóque nomine inter martyres ab Eccleſia relatorum, explicatiùs proponitur, attextis ſimilibus, eiuſdem, ac poſterioris, noſtrique etiam æui, piorum praxibus; ad idem inſtitutum.

1. NOn erit modica & leuis confirmatio ac illuſtratio ſententiæ noſtræ, ea quæ ducitur ex

frequenti in Eccleſia piorum praxi in re propoſita. Quod enim hæc vt ſcite dixit Tertullianus, *inſoleſcentis generis humani tonſura*, à Deo rationibus rebúſque noſtris optimè conſulente, identidem adhibeatur; flagrans charitas, per hanc occaſionem, benè de Deo id acceptiſſimum habente; optimè autem de proximo his ſubſidiis egente, ſollicita mereri, frequentiſſimè miniſterium adiuncto præſentiſſimo mortis periculo obſeptum, intrepida arripuit: certa ſi in eo mors conſequeretur ad ingentem diuinæ bonitatis cumulum, & martyrij decùs, ſpectaturã. Hoc Sanctis Alexãdrinis de quibus proximè, fuiſſe perſuaſum, Ruffinus autor eſt. Et idcirco eorum hiſtoriam ex Eccleſiaſticis tabulis obiter tactam, explicatiùs proponere operę pretium videtur, attextis ſimilibus quibuſdam exemplis illuſtrioribus. Et quamuis pleriſque quæ ſubiiciam, non tradatur verbis conceptis, & in actu, (vt ita dicam,) ſignato, hanc fuiſſe Sanctorum virorum exiſtimationem, cum ſe pio illi miniſterio addicerent, ſi in eo vitam ponerent, martyrij fructibus potituros: Tamen eandem omnibus ſtetiſſe ſententiam, facilè adducor vt credam. Nam antiquiora exempla quæ primo loco dabo, eorum ſunt, qui eodem vixerunt æuo quo Sancti Alexandrini, quos ob huiuſmodi mortem martyres audiuiſſe, vidimus. Vnde communiter tunc in Eccleſia eam exiſtimationem viguiſſe, quod mors ſic oppetita ad martyrium ſufficiat, magna cum ratione aſſeri poſſe videtur. Poſteriores autem, multo apertiùs idem ſenſiſſe videri debent. Omnes enim, exemplo maximè Sanctorum Alexandrinorum, tam illuſtribus Eccleſiæ monimentis vbique notiſſimo, incenſi ſunt ad pium illud

miniſte

miniſterium, in quo oppetitam mortem, titulo martyrij honeſtatam in ſacris tabulis, agnoſcebant. Præterquàm quod in epiſtola Dyoniſij Alexandrini apud Euſebium, ex Ruffini interpretatione quæ ante Chriſtophorſonum, hoc eſt ante ſuperioris ſeculi deuexam ætatem, vulgatiſſima erat, omniúmque Latinorum manibus ſola terebatur, ſancti Alexandrini, diſertè & perſpicuè nominantur martyres; traditúrque eos ad tam ſanctum opus alacres accurriſſe, perinde ac ſi martyrij tempus inſtaret; quod parem omnino gloriam, mortis in Chriſti cauſa oppetitæ, ſiue fidem aſſerendo, ſiue charitatẽ expromendo, eſſe cenſerent. Eadem itaque, qui eorum exemplo ad tam ſanctum opus animati ſunt, hoc eſt omnibus poſterioribus miniſterio illo perfunctis, ſententia ſedit, de verò martyrio quo perfungerentur, æquè ac primi illi quorum exprimebant exemplum, ſi tam ſancto miniſterio immori contingeret. Itaque præmiſſa ex Dyoniſij literis, deſcriptione alacritatis, & fortitudinis Sanctorum illorũ quos huius paleſtræ primos athletas cõpertos ex ſacris hiſtoriis habemus; quoſque ad huiuſmodi opus, martyrij eidẽ conſerti cupiditate animatos prodidit Ruffinus, alios quoſdam ſelectiores quos annotare meminerim in idem ſanctũ miniſterium incubuiſſe, tanquã eodem interno ſtudio ductos, nec diſpare conſequendi martyrij ſenſu operatos, attexã.

Sacri miniſtri ad iuuandos lue contactos tanquam ad martyrium accurentes: Ac primùm Alexandrini, anno Chriſti. 255.

2. De peſte ergo Alexandrina, ita habet frag-

mentum epiſtolæ Dyoniſij ad Hieracem Epiſcopum quod Euſebius hiſtoriæ Eccleſiaſticæ l.7.c.17. « aliàs 20.inſeruit. [Lamentationum plena ſunt om- « nia,iam lugent omnes : Iam mœrores, iam querelæ « vniuerſam Vrbem propter multitudinem cum illo- « rum qui modo mortui ſunt, tum horum qui quoti- « die moriūtur,occupant. Nam ſicut de primogenitis « Ægyptiorum ſcriptum eſt,ſic & nūc ingens clamor « editur,nō enim eſt domus in qua non ſit mortuus.] Addit quàm meritò Deus in tāta Gentilium aduerſus Chriſtianos immanitate, vicē illis iuſtam, famis « bellíque repēderit.Tum pergit.[Cæterum vix tum « nos, tum illi breuiſſima ad reſpirādum ſumus inter- « capedine potiti,cum peſtis iſta ſubitò graſſari cœpit: « Res planè illis ad terrendum omni metu formido- « loſior,ad excruciandum quauis calamitate miſerior « acerbiórque , & vt proprius illorum ſcriptor me- « morat , ad cogitandum ſolùm , omnium opinione « maior. Verùm nobis non eius generis putabatur; « Sed à Deo , cum ad fidem noſtram exercendam, « tum ad tolerantiam animi probandam , nihilo mi- « nùs, quàm aliarum rerum incommodarum genera « quæ aliquando obtigiſſent, cælitus inflictam. Et « ſicut alicubi à nobis minimè abſtinuit , ſic in Gen- « tiles longè látéque oberrauit.]

3. Hactenus calamitatis deſcriptio,in qua quantoperè ſancti viri,& numinis & proximorum amore flagrantes, ſibi ipſis non pepercerint, ſubiungit « in hunc modum Dionyſius. [Quàm plurimi è fra- « tribus noſtris,adeò immenſo quodam charitatis,& « fraternæ beneuolentiæ ardore erant inflammati, vt « minimè ſuæ parcentes vitæ,ſed ipſi ſibi inter ſe fir- « mè adhæreſcentes, eos qui morbo opprimebantur,

nulla

nulla ſui cura aut cautione adhibita, ſedulò inuiſerent, illis inſeruirent aſſiduè, pro viribus ob Chriſti amorem curarent, vnâ cum illis decederent è vita, lubentiſſimè contagione aliorũ infecti: Etiam morbum à proximis quodammodò ad ſe attraherent, ſuáque ſponte aliorum mœrores beneuolè mitigarent. Multi item dum aliis ægrotantibus curam adhibent, illíſque vires reſtituunt, ipſi aliorũ mortem in ſe deriuantes, vitam amittunt. Et verbum illud, quod vulgo ſemper dicitur, quódque veræ beneuolentiæ ſolum videtur conuenire; nimirum vt ſinguli pro amicis abeant â vita, ſéque eorum cauſſa, vt ita dicam, reiectamentum efficiant, reipſa expleuerunt. Ex fratribus igitur, qui virtute facilè erant præſtantiſſimi, ad hunc modum mortem oppetiuerunt. Quorum nonnulli erant presbyteri, alij diaconi, quidam è populo virtutis ergo multum laudati: adeò vt iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à martyrij ſplendore abeſſe videretur. Quin etiam ſanctorum corpora manibus erectis ſupiníſque excipere, gremio ſuo reponere, occludere oculos, ora obturare, geſtare humeris cadauera, decenter ornare, illis adhæreſcere, amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri inuoluere non grauati ſunt: Ipſique qui ſupererant, paulo poſt ſimilia officia in ſe collata propterea adepti, quod eadem mortis via inſtarent, quam qui præiuerant, inſtitiſſent. Gentiles autem his omnia facere contraria. Eos enim qui ægrotare incipiebant, ab ædibus extrudere, deſerere amiciſſimos, in plateis ſeminiuos proiicere, cadauera inſepulta canibus exponere dilanianda, mortis participationem & quaſi communionem

nionem auertere; quam planè vel infinita diuerticula quærentes, nullo modo poterant euitare.]

S. Gregorius Thaumaturgus, Neocæſareæ anno 255.

4. Per idem tempus, graſſante lue Neocæſareæ in Ponto, S. Gregorius Thaumaturgus in ſubuentione Gentilium peſte contactorum, ſtrenuam nauauit operam, nihil moratus præſentiſſimum vitæ diſcrimen quod adibat, ea cum morbidis commoratione, ac ægrorum ſubſidio. In feriis quibuſdam Gentiles confertiſſimo theatro aſtantes, cum inclamaſſent, *Jupiter fac nobis locum*, exauditam eorum petitionem, renunciari iuſſit Gregorius, & mox laxitatem ipſis datum iri maiorem quàm optarent.
" [Confeſtim verò(inquit Nyſſenus in ſancti viri pa-
" negyr.) peſtilentia frequentem illum ferias agen-
" tium & ludos celebrantium conuentum excipit, ac
" ſtatim tripudiantium choris lamentatio miſceba-
" tur, adeò vt in luctus & calamitates eis voluptates
" conuerterentur, cum pro plauſibus & cantu tibia-
" rum, aliæ ſuper alias neniæ, cantúſque lugubres
" vrbem paſſim inuaſiſſent. Cum enim ſemel mor-
" bus homines inuaſiſſet, opinione citiùs propaga-
" batur, atque ſerpebat, ignis in modum domos de-
" paſcens: adeò vt ædes quidem ſacræ, quò ſpe ſana-
" tionis atque remedij confugiebant, iis qui morbo
" peribant, repletæ, fontes verò, aquæ ductus ſca-
" turiginéſque ac putei, eorum quos atrocitate mor-
" bi ſitis exurebat, referti eſſent: & in quibus aqua
" morbi incendium reſtinguere non valebat, qui ſe-
" mel morbo correpti eſſent, perinde poſt aquam
ſumptam,

ſumptam, atque antequàm eam ſumpſiſſent affe- "
ctis: Multi itē vltrò tranſirent ad ſepulchra, eo quod "
ſuperſtites ſepeliendis mortuis non ampliùs ſuffice- "
rent: nec inopinato malum homines inuaderet: ſed "
ſi ſpectrum quoddam ad eas ædeis quibus pernicies "
imminebat, accederet, ita certum exitium ſubſe- "
queretur.] Tametſi quod ſcriptis ſit proditum, con- "
tingendum ſe non fore eo Dei flagello iam naturaliter oberrante, minimè certus erat ſanctus Antiſtes, cum ſolemne Deo ſit, calamitates quas infert, curſui naturæ permiſſas, in ſuos & alios indiſcriminatim graſſari ſinere; tamen locum ſuum non dimiſit. Cúmque miſeri Neocæſarienſes, ad tantæ calamitatis depulſionem, nihil quod Ethnica ſuperſtitio ſuggereret, miſſum feciſſent: oracula adiſſent, ſacrificia piacularia, & commorationem in ſimulachrorum delubris, eodem teſte Nyſſeno, adhibuiſſent, incendium tamen in dies gliſceret; ſola magni Gregorij præſentia, ſaluti fuit. Quocunque enim ille pedem intuliſſet, certa ſimul ſalus inferebatur. Vnum id experti ſunt idoneum alexipharmacum. Hoc pio ſancti Antiſtitis ſtudio, etiam in eos qui foris erant, ingens illorum acceſſio ad Chriſti caulas facta eſt. Nec dubitabant, quin ea ex parte alluceret Sol veritatis, ex qua tantus charitatis ſplendor, tantáque in ſummis temporibus, etiam alienorum, cura micaret.

S. Cyprianus Carthagine anno 255.

5. Eadem tempeſtate in Africa, S. Cyprianus graſſante teterrima lue, optimi Paſtoris partes omnes ſtudioſè nauitérque impleuit. Rem accura-

tè hunc in modum deſcripſit Pontius diaconus, « oculatus teſtis, in S. Præſulis vita. [Erupit lues di« ra, & deteſtabilis morbi vaſtitas nimia; innume« ros per diem populos à ſua quemque ſede abrupto « impetu rapiens; continuatas per ordinem domos « vulgi trementis inuaſit. Horrere omnes, fugere, vi« tare contagium, exponere ſuos impiè; quaſi cum « illo peſte morituro, etiam mortem ipſam aliquis « poſſet excludere. Iacebant interim tota ciuitate, non « iam corpora, ſed cadauera plurimorum, & miſe« ricordiam in ſe tranſeuntium, contemplatione ſor« tis mutuæ, flagitabant. Nemo reſpexit aliud, præ« terquàm lucra crudelia, nemo ſimilis euentus re« cordatione trepidauit; nemo fecit alteri quod ſibi « fieri voluit. Quid inter hæc egerit Chriſti & Dei « pontifex, qui pontifices mundi huius tanto plus « pietate, quanto religionis veritate precelſerat, ſce« lus eſt præterire. Aggregatam primò, in loco vno « plebem de miſericordiæ bonis inſtruit; docens di« uinæ lectionis exemplis, quantum ad promeren« dum Deum proſint officia pietatis. Tunc deinde « ſubiungit, non eſſe mirabile, ſi noſtros tantùm, de« bito charitatis obſequio foueremus; Eum perfe« ctum poſſe fieri, qui plus aliquid publicano, vel « ethnico fecerit: qui malum bono vincens, & diui« næ clementiæ inſtar exercens; inimicos quoque di« lexerit; qui pro perſequentium ſe ſalute, ſicuti Do« minus monet, & hortatur, orarit. Oriri facit Deus « iugiter Solem ſuum, & pluuias ſubinde nutrien« dis ſeminibus impertit; exhibens cuncta iſta non « ſuis tantùm, ſed etiam alienis. Et qui ſe Dei etiam « filium eſſe profitetur, cur non exemplum patris « imitatur? Reſpondere nos decet natalibus noſtris,

& quos renatos per Deum conſtat, degeneres eſſe « non congruit; ſed probare potiùs in ſobole tradu- « cem boni patris, æmulatione bonitatis. Multa alia « & quidem magna prætereo, quæ temperandi vo- « luminis ratio, non patitur prolixiore ſermone re- « plicari. De quibus hoc tantùm dixiſſe ſatis eſt, quod « ſi illa gentiles pro roſtris audire potuiſſent; forſitan « ſtatim crederent. Quid Chriſtiana plebs faceret, « cui de fide nomen eſt? Diſtributa ſunt ergo conti- « nuò pro qualitate hominum atque ordinum mini- « ſteria. Multi qui anguſtia paupertatis, beneficia ſum- « ptus exhibere non poterant, plus ſumptibus exhi- « bebant; compenſantes proprio labore mercedem « diuitiis omnibus cariorem. Et quis non ſub tanto « doctore properaret inueniri in parte aliqua talis mi- « litiæ, per quam placeret & Deo patri, & iudici « Chriſto, & tam bono interim ſacerdoti? Fiebat ita- « que exuberantium operum largitate, quod bonum « eſt ad omnes, non ad ſolos domeſticos fidei.] Quod « diſertè ſcribat Pontius, orationem S. Cypriani ad ſuos animandos, vt ſanctum ægrotos iuuandi mini- ſterium impigrè arriperent, à ſe exhiberi trunca- tam & acciſam: coniectare licet, S. Cyprianum ſublimitatem & eminentiam ſancti huius miniſte- rij commendaſſe, & quod per hanc ipſam peſtem Alexandriæ vulgatum prodidit Dionyſius Alexan- drinus, demonſtraſſe, mortem in eo obitam, nihil à martyrij ſplendore abeſſe. Vnde illa tanta totius Chriſtianæ plebis, etiam in iuratos hoſtes charitas, quam ingratiſſimi de more Ethnici, cum primùm diſcuſſa eſt calamitas, repoſito ſancto præſuli exi- lio compenſarunt.

Chriſtia

Chriſtiani Orientales, ſub Maximino, anno 312.

6. Sub Maximino, non diſſimilis anterioribus, Chriſtianorum ardor in iuuandis ægris lue affectis,
16 hunc in modum proditur ab Euſebio l. 9. hiſt. c. 7.
« poſt deſcriptam horrendam famem. [Peſtis omnes
« domos integras, & familias penitùs depaſcebatur:
« Et eos vel maximè, quos fames propter alimento-
« rum affluentiam, qua fruebantur, conſumere &
« conficere non poterat. Magiſtratus & præfecti, alii-
« que propè infiniti qui cùm poteſtate & imperio
« erant, omniúmque rerum copia circumfluebant,
« perinde ac ſi fames quaſi de induſtria eos miſſos
« feciſſet, vt peſte interirent, acerbiſſimam mortem
« & maximè repentinam ſuſtinuerunt. Omnia igitur
« loca, angiportus, forum, plateæ; lachrymis, mœrore,
« & planctu redundabant. Neque aliud quidquam
« ſpectare licebat, quàm miſerabiles fletus quos pro
« tibiarum cantu & ſtrepitu ipſis in more poſito edi-
« derunt. Quocirca mors his duobus telis (quæ ſuprà
« dixi,) peſte videlicet & fame, hoc modo bellum
« gerens, vniuerſas familias breui temporis ſpatio ab-
« ſumpſit, & depaſta eſt: Adeò vt iam planè conſpi-
« cere licuiſſet, duo aut tria mortuorum corpora ex
« vnis ædibus pariter ad ſepulturam elata. Arro-
« gantis tyranni Maximini oſtentationis, & decreto-
« rum per ſingulas ciuitates contra nos ſancitorum,
« tale præmium ac merces fuit. Quo quidem tem-
« pore, clara ſingularis Chriſtianorum erga quem-
« que & ſtudij & pij animi indicia, apud omnes in-
« crebuerunt. Nam hi ſoli in tanto malorum cumu-
lo,

lo, ſuis rectè factis, & piis officiis, miſericordiam «
declarabant & benignitatem. Quorum alij in dies «
ſingulos mortuorum funeribus & ſepulturæ (infini- «
ti enim erant quibus ſepeliendis nemo curam ad- «
hibuit,) diligentem nauarunt operam: alij multitu- «
dine eorum qui per totam ciuitatem fame vrgeban- «
tur, in vnum coacta, omnibus panes diſpertierunt: «
vſque adeò vti hoc præclarum facinus, per omnes «
homines, conſtanti fama & magna celebritate per- «
uaderet; & ſinguli, Chriſtianorum Deum, gloria & «
laude prædicarent, eóſque ſolos pios, & veros Dei «
cultores, re & factis comprobatos, faterentur.] Deſ- «
cripſit eandem calamitatem, nonnullis adiunctis diſtinctiùs expreſſis, Nicephorus l. 7. hiſtor. c. 28. Qui etiam de alia longè horribiliſſima lue, ad annos quinquaginta duos prorogata, vniuerſúmque terrarum orbem fœdè depaſta, latè agit l. 17. cap. 18. deſcripto magna ex parte Euagrio, qui tunc viuebat, & ſuas per eam peſtem orbitates, ac etiam occupationem à morbo, exponit flebiliter admodùm lib. 4. hiſtor. c. 28. ſed quod nulla apud alterutrum mentio fiat ſubſidij per ſanctos Chriſti pugiles ægris impenſi, nuda recenſione calamitatum lubens abſtineo.

S. Gregorius Magnus, Romæ, anno 590.

7. S. Gregorij magni, ante initum Pontificatum, ardens ſtudium in iuuandis Romanis lue contactis, vulgatiſſimum eſt. Spectaculum erat luctuoſiſſimum, quod ipſe ea concione quam per illud tempus habuit, flebiliter admodum deſcribit. Habetur ea concio præpoſtero & loco & ordine inter S.

Pontificis epiſtolas, datas indictione 6. lib. xj. regiſtri c. 2. Refertur etiam à Gregorio Turonenſi l. 10. hiſt. Franc. c. 1. ex relatione Diaconi ſui, qui concionantem S. Gregorium audierat, & à Ioanne Diacono in S. Pontificis vita lib. 1. cap. 41. Quod enim percuſſo Pelagio Pontifice, Eccleſia vidua in tot cladibus idonei capitis ſolatio & ſubſidio egeret, conſilio planè diuino, clerus ac populus in S. Gregorij electionem conſenſerunt: qui quamuis infirmandam ab Imperatore electionem, vt anniſus erat, ſperaret: tamen interea dum negotium conficitur, omni ope ac ſtudio afflictiſſimam ciuitatem recreare, quâ verbis, quâ factis allaborauit; & abſolutiſſimi Paſtoris partes omnes, non niſi deſignatus, & animo ab eo munere alienus, compleuit. Quanta verò in ſpirituale ægrorum ſubſidium perfecerit, præter indictionem ſeptiformis Litaniæ, à citatis autoribus, & in laudato eius ſermone deſcriptam, coniectura duci poteſt, ex ſtudio quo Theodorum peſtilentia illa correptum, nondum deſignatus Pontifex iuuit, non abſterritus periculo luis contrahendæ, & oppetendæ mortis. Rem cœleſti prodigio firmatam, deſcripſit ſupra Ioannes Diaconus c. 38. Mihi autem dubitare non licet quin viro ſanctiſſimo, cum munere, ſpiritus eo pectore digni creuerint; & creſcente calamitate, auctus ipſe dignitate, & officio cuius partes omnes pro neceſſitate publicæ calamitatis ad tempus obibat, flagrantiore charitate, maioreque ſui contemptione quàm priùs, in ægrorum leuamen ac ſubſidium incubuerit. Non enim intorqueri in eum potuit propheticum illud fulmen, quo tangi liquet per tempus calamitatis populorum, pleróſque Paſtorum. *O Paſtor & Idolum.*

Benedi

Benedictus & Aſpertus, Præſules, Mediolani.

8. Ab eadem in contactos charitate, & flagrantiſſimo eos iuuandi ſtudio, ac periculorum in tam ſancto miniſterio ſubeundorum contemptione, perinde ac inſtante agone martyrij pro fide, commendantur duo egregij Mediolanenſes Præſules, Benedictus & Aſpertus, vt videre eſt in Concilio S. Mediolanenſi, ſub S. Carolo. p. 2. conſtit. §. *officia.* verſic. *Sed ne longè.* Quod mihi de optimorum Præſulum facto aliunde non liqueat, adſcribam quod citato Concilij loco, de eorum in contactos charitate, breuiter attingitur. [Domi ſunt, quorum documentis homines Eccleſiaſtici ordinis, ad omne charitatis officiorum genus in peſtifera labe exequendum inſtruantur. Atque ij quidem ſunt, Metropolitanæ Eccleſiæ Mediolanenſis, Archiepiſcopi duo, omni laude florentes, Benedictus, & Aſpertus. Hic in teterrima peſte, quæ ſuo tempore omnem Italiam, populúmque Mediolanenſem præcipuè, inuaſerat, peſtilenti lue tabeſcentes, perpetuo ſtudio viſitaſſe, eíſque ſacramenta omnia miniſtraſſe fertur. Idque ipſum officium, eius exemplo, & iuſſu, parochi etiam accuratè præſtitiſſe dicuntur: Ille omni Europa, Italia, & Vrbe, ditionéque Mediolanenſi præſertim, peſtilentiæ morbo vexata, atque afflicta, cum ea ipſa officia præſtitiſſet, tum cibum etiam, ac victum, tabe languentibus, manu ſua miniſtraſſe commemoratur.] Idem Concilium, non ita multo ante, verſic. *ſi verſus*, monet Sacerdotes, hoc ſtatuant, nihil opta-

« bilius aut ad charitatis meritum præſtantius acci-
« dere poſſe, quàm ſi pro ſalute proximorum, mor-
« te defungantur: ídque iuxta viros ſanctiſſimos, à
« martyrij gloria non longè admodum abeſſe.] Alluditur ad Dyoniſij epiſtolam, qua communis ille tunc inter viros ſanctiſſimos ſenſus proditur. Itaque expungenda eſt temperatio illa, non longè admodum. Nam Dyoniſij epiſtola, ſine temperamento vllo aut reſtrictione, ait, mortem ſic oppetitam, nihil à martyrio abeſſe.

S. Bernardinus, *Senis*, *anno* 1400.

9. Inſignem planè S. Bernardini Senenſis charitatem, erga ægros lue attactos, deſcripſit luculenter eius æqualis, in eiuſdem ſancti rebus geſtis: quem tunc adoleſcentem, nec vicenario maiorem, Spiritus Sanctus per multos menſes, per horrendorum diſcriminum contemptionem in ægrorum ſubſidio & cura, ingentibus donorum ſuorum acceſſionibus cumulauit. Rem geſtam ex actis illis
« repræſento. [Sæuiente illa peſte terribili & gene-
« rali, anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo, in-
« quem incidit iubilæus, innumeri peregrini Romam
« euntes, atque inde redeuntes, ad celebrrimam il-
« lam toto orbe Chriſtiano, domum hoſpitalem bea-
« tiſſimæ Mariæ virginis, quæ Senis eſt, & de la ſca-
« la dicitur, confluxere, augebatúrque valdè ægro-
« torum numerus, è quibus plurimi moriebantur; ita
« vt tribus menſibus & dimidio, quotidiè amplius
« duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim,
« interdum octodecim vel etiam viginti, è vita dece-
« derent; præter quos ex eius domus familiâ, obierunt

fratres

fratres viginti duo, octodecim fœminæ pauperibus mulieribus inſeruientes, nouem ſacerdotes, quinque clerici, ſeptem pharmacopolæ, qui morbidis medicamenta parabant, pueri triginta ſex in ea domo enutriti, & famuli ſexaginta ægrorum miniſteriis deputati. Cum autem tam multi illic, & morbo correpti iacerent, & è vita abirent, locus ille propter fœtorem intolerabilem, omnibus in ſpectantibus horrori erat: nec quiſquam reperiri potuit, qui quamuis magna propoſita mercede, ægrotantibus illic inſeruire vellet. Ita fiebat, vt tum vel maximè locus ille, neceſſariâ miniſtrorum operâ deſtitutus eſſet, cùm maior incumberet neceſſitas. Magiſter quidem & gubernator domus illius, Ioannes Laudaronus erat vir optimus, multa beneuolentia & charitate præditus, & quem nemo dubitaret virginem eſſe: Et licet ſenio grauaretur, non ceſſabat tamen pro viribus præſtare quicquid poſſet. Sed cùm ignem peſtiferum iam omnia vaſtantem cerneret, valdè affligebatur; metuens idoneos miniſtros, neque pecunia, licet largâ eſſet manu, poſſe comparari, quod nemo non peſtis contagionem reformidaret. Rogabat ergo Deum & beatiſſimam Virginem, domus eius conſeruatricem, vt pauperibus miniſtri mitterentur. Itaque piiſſimus Deus excitat Bernardini animum, qui iam ferè viceſimum agebat ætatis annum, vt in illa piiſſima domo, ægrorum & pauperum miniſterium ſuſcipiat. Vt vidit enim ſummam neceſſitatem, maximo incitatus zelo, peſtiferam contagionem nihil metuens, imò verò etiam vltrò morti ſe offerre cupiens, modò poſſet Chriſto gratum exhibere, in eius pauperibus ſeruitium; multis hebdomadibus

« ægris illis accuratiſſimè, & officioſiſſimè miniſtra-
« uit. Cernens autem ad tantam morbidorum multi-
« tudinem, ſufficere non poſſe tam paucos miniſtros,
« duodecim religioſos & pios adoleſcentes ad ſe vo-
« cat: Hortatur illos velint vnà cum ipſo curare
« pauperes Chriſti; dicit, eos qui pauperi ſeruiant
« ipſi Chriſto ſeruire; & ſi tali occaſione decedant è
« vita, pro Chriſto eos mori. Nihil verò homini Chri-
« ſtiano debere eſſe antiquiùs & optatius, quàm
« Chriſti cauſa vitam ſuam profundere, cùm ille
« ſuam noſtra cauſa profuderit. Deinde addit; ſimus
« omnes fratres; Deus ſua ope aderit nobis. Videtis
« fratres, ignem accenſum eſſe: iam penè orbis illo
« conflagrat, ſecuris arbori admota eſt, falx meſſem
« ſollicitat. Quid nobis de vitæ noſtræ prorogatione
« polliceri poſſumus, cùm & alios quotidiè videa-
« mus mori, & pleróſque etiam intimos ſodales,
« propemodum ante exire è corpore, quàm morbo
« correpti videantur? Nos ſi in his charitatis officiis
« obierimus, ad Dominum euolabimus. Sin autem
« ſuperſtites manſerimus; quoad victuri ſumus, ſem-
« per lætabimur, nos Deo noſtro in eius pauperibus,
« hæc officia præſtitiſſe, memores ſententiæ illius;
« nullum opus bonum, apud Deum ſua carere mer-
« cede, vel irremuneratum abire. Siue igitur viua-
« mus, ſiue moriamur, non poſſumus Deo ſeruien-
« do non lucrari. His Bernardini perſuaſionibus alle-
« cti adoleſcentes, in eius mox ſententiam iere. E qui-
« bus ſanè, hodiéque nonnulli ſuperſunt. Cúmque
« eſſent confeſſi ſua peccata, & ſacram Euchariſtiam
« ſumpſiſſent, ita Bernardino conſulente, iucundis
« animis & magno feruore, curam ægrotorum cum
« Bernardino, ipſorum magiſtro & capite, ſuſcipiunt.

10. Por

10. Porrò hoſpitalis domus moderator, ſtatim « totius penè domus claues tradidit Bernardino, com- « miſitque ei munus, morbidos & peregrinos aduen- « tantes curandi, & omnes ferè eleemoſynas diſtri- « buendi: adeò vt propemodum pro ſua voluntate « omnia diſponeret ac diſpenſaret, perinde ac ſi ipſe « eius domus Dominus eſſet. Eius autem & ſocio- « rum feruor & charitas, ſuo exemplo permultos « alios ciues & adoleſcentes inuitauit ac permouit, ad « ſeruiendum morbidis illis, licet non pauci ex illis « è vita decederent. Itaque Bernardinus charitate fer- « uens, domum illam ita moderatus eſt, vt officia, « miniſteria, exercitia, laborum vices, pro ratione « loci, temporis, & perſonarum opportunè & con- « gruenter diſtribuerit. Dabat verò operam, vt quoad « eius fieri poſſet, ipſe ſemper omnibus coram adeſ- « ſet. Adſtabat diu noctúque ægrotantibus, pharma- « ca parabat, cibos pro ſingulorum qualitate porri- « gebat, ſordes omnes in illis neceſſariò ferendas, ip- « ſe ante omnes, ſua voluntate amouendas ſuſcipie- « bat: Non labore, non vigiliis, non intolerandis « fœtoribus, non incommodis vllis frangebatur: ſed « ea ſemper alacritate, & ſpiritus viuacitate illis ſer- « uiebat, ac ſi vel parentes, vel fratres, aut filij eius « eſſent. Neque id ſanè mirum. Cùm enim Dei amor, « horum omnium faciendorum ac perpetiendorum, « præcipua ei eſſet ratio; Deo vtique ſeruiebat, qui « patre, fratre, liberis omnibus, potior nobis eſſe « debet: ægrotis ex animo condolebat: adeò vt etiam « cum illis vnà ploraret. Interdum verò etiam ride- « bat, canebat, blãdiebatur: taléque ſe illis exhibebat, « quemadmodum pro illorum conſolatione expedire « putabat. Nihil autem ferè illius charitati ſatis ad «

« vota,ab aliis curatum videbatur,niſi omnia ipſe vi-
« diſſet,& contrectaſſet. Cùm erant ex hac vita mi-
« graturi, ſacramenta vt illis porrigerentur, effecit:
« vita functos, veſperi ſepulturæ mandabat. Peregri-
« nis ferè innumeris ad veſperam aduentantibus, ci-
« bos & lectos apparabat. Si lecti, alioqui multi, non
« ſufficerent, ſternebat humi pannos, ita vt nulli de
« eſſet commodus captandæ quieti locus. Crebros
« quoque excitabat ignes, & ſuffitus grati odoris
« ſpargebat. Multùm aceti in tota ferè domo, vt cor-
« ruptus aër, ſaltē aliqua ex parte corrigeretur, liben-
« tiúſque miniſtri, ſuam operam ægrè affectis naua-
« rent. Non eſt autem paſſus benignus Deus, vt inter
« tot labores, vigilias, incommoda infinita, Bernardi-
« nus vnquam aduerſa laboraret valetudine: ſed ſem-
« per promptus, alacer, vigil, & indefeſſus, dictis &
« factis confirmabat tum ægros, tum illorum mi-
« niſtros.]

Noſtri, in Hiſpania citeriore, anno 1558.

11. In noſtræ Societatis commentariis, frequens eſt mentio, alacritatis ac heroicæ magnanimitatis, qua ſocij, ingruente peſtilentia, variis locis in mortis certum diſcrimen coniecerunt ſeſe, non parci vitæ ſuæ, vt alienæ, præſertim ſpirituali conſulerent. Vnum duntaxat & alterum exemplum proferam; alterum quod accidit in Hiſpania citeriore anno 1558. alterum quod hîc Lugduni anno 1564. Primū his verbis deſcribitur in hiſt. p. 2. l. 2. n. 145.
« [Multis in vrbibus citerioris præſertim Hiſpaniæ,
« deſæuiens peſtilentia, animos ad pietatem emollie-
« bat, vt non tam facienda ſementis, quàm fruges le-
gendæ

gendæ eſſent. Arripuere occaſionem fortiter Patres, « gnari laborum id genus, martyrio comparari: Nec « caritatem eſſe maiorem, quàm animam pro amicis « morti offerre. Valentiæ primùm, Mironis Rectoris « induſtria, inopum turbæ, quæ præter vulgò gliſcen- « tem inopiam, dilapſis locupletibus, ceſſantibúſque « opificiis deſtituta, in vrbe conficiebatur fame, præ- « ſentiſſima ope conſultum eſt. Eius monitu pius « Antiſtes, octo Theologos viatico ac diplomatis at- « tributis, ad nobiles, qui ſalubria in loca ſeceſserant, « circummiſit ſtipem vrbanæ plebi corrogatum: Et « ipſi Mironi, qui item ad eam conquiſitionem excur- « rit, ampliùs mille minimûm aureorum, diſtribuen- « dum dedit. Cùm primùm de peſtilentia conſtitit, « nemo omnium domi erat, qui non aueret, flagita- « rétque, iuuandis ſe ſauciis conſecrare; Tamen Miro, « ne ſimul vniuerſos in diſcrimen coniiceret, imbe- « cillioribus Gandiam amandatis, ſacerdotes tres ex « omnium numero legit; Martinum Albertum, Al- « fonſum Lozauum, Petrũ Parram, votique compo- « tes fecit. Erga eos, cùm aſſiduè contagioſos adirent, « audirent, alloquerentur, quouis officij genere ſola- « rentur, ſingularis Dei tutela emicuit. Nemo vnquã, « quandiu peſtilentia tenuit, leui capitis dolore ten- « tatus eſt: Duos laicos, qui nunquam domo prodi- « bant, domeſticis miniſteriis occupati, etſi non ſuſtu- « lit, tamen corripuit malum.] Subditur ibidem paulo « poſt, quàm generosè Barchinonenſes & Murcien- « ſes ſocij, peruagata ad eas oras calamitate, illis quorum intererat fuga dilapſis, rem Chriſtianam curauerint; corporibus animiſque ſubſidio & ſolatio fuerint; nonnulli hauſta lue, ad percipienda tantæ charitati ac fortitudini repoſita præmia, emigrarint.

Emundus Augerius ex Societate IESV, Lugduni, 1564 & 1581.

12. Emundi Augerij, Chriſtianorum ſui temporis Oratorum in Gallia facilè principis, ardor animi ac fortitudo, in ſubleuanda Lugdunenſi ciuitate per tempus peſtis, à non paucis qui viderunt, etiamnum celebratur. Reddo breuiter quod in eam rem ſcriptum reperio à Petro Ribadeneyra in Iacobi Laynij rebus geſtis l. 3. c. 3. [Hæretici, illorum iam diminutis copiis, ad Sathanæ artes de more confugiunt, extremáque tentanda, vel Reipublicæ totiùs interitu cenſent. Peſtis Gebennam populabatur: inde vnguenta allata, ea arte effecta, dæmonum credo inuento, vt (heu ſcelus,) feras portarum Lugduni, limina & poſtes, ſalui ipſi perduelles vngerent, inficerentur verò qui attingerent, domóſque frequentarent. Sic Catholicorum ædes potiſſimum inunxerant: At re cognita, gliſcentéque malo, fugâ ſalutem plerique inuenerunt, opulentiores. Triginta tamen millia, peſtilentia extincta memorantur. Verùm Dei benignitate factum, quod eſt ad æternitatem memorandum, vt in autores peſtilens malum recideret: Plures enim Sectarios, peſte periiſſe compertum eſt. Hic non minus in corporibus, quàm in animis antea curandis, Emundi fides, vigilantiáque enituit: Aures enim dare ritè confitentibus, Euchariſtiam item impertiri non deſtitit, imbecilliores ciues in rebus acerbis, piis alloquiis erigere, ad patientiam excitare, pharmaca, & alimenta egentibus ne deeſſent, & cadauera ne inſepulta iacerent, curare. Nimirum ſummo in reipublicæ diſcrimine, opinione

opinione maiores illi Deus vires, vt ſolet, ſufficere «
viſus: gratéſque illi publicè actæ vitæ auctori, cui «
placitum ſocios opportuno maximè tempore ciui- «
tati ad interitum ruenti ſubmittere: Emundum vt «
patriæ patrem, animorúmque parentem, prædicare, «
& tantùm non in cœlum laudibus Lugdunenſes «
efferre.] Eſt apud nos codex manu optimi Patris «
exaratus, quo Latinæ quædam & vernaculæ ſcriptiones continentur, quibus interdum, vt ad grauiores curas vegetior rediret, animum remittebat. Inter ea carmina vnum eſt, verſuum amplius centum quinquaginta, quo eam calamitatem, & à ſe impenſa ægris, corporum animorúmque ſubſidia, eleganter deſcripſit. Cumque rurſus anno 1581. ciuitatem Lugdunenſem lues inuaſiſſet, eo alacriùs & generoſiùs in ægrorum leuamen ac ſubſidium incubuit optimus Pater, quo teſtatiorem ex ſuperiori calamitate diuinam erga ſe prouidentiam habebat. Narratio eſt ſpiritualis ſenſus pleniſſima, quæ eodem volumine expreſſa habetur, altero carmine ſuperius illud æquante, & concreditam publico nomine eidem Patri, legationem ad ſacram ædem Lauretanam deſcribente: quo etiam memorat, ſe priore tempeſtate ſedata, Anicium, ad celebre inibi Deiparæ templum, publicis item votis oneratum cōceſſiſſe, & pro exorata vrbi Lugdunenſi ſanitate, ciuium omnium nomine, gratias acturum ſtetiſſe.

S. Carolus Borromæus Cardinalis, Mediolani anno 1576.

13. Non ita multis poſt annis, Mediolanenſem ciuitatem lues corripuit: in qua S. Caroli Borromæi,

heroicus & ad miraculum accedens in iuuandis ægris ardor, enituit, anno ſuperioris Seculi 76. Quod per immenſam rerum ſyluam, non liceat ſingula vel plurima ſigillatim perſequi, attingam per ſummum verticem præcipua quædam:reliqua permittam apud eos legenda,qui his tradendis diligenter incubuere. Illata in ciuitatem populoſiſſimã peſte,cum Roma ad S.Cardinalem datæ literæ,per varios qui ſaluti eius timebant, liquidò teſtarentur,de grauium & eruditione inſignium Doctorum ſententia,nullo illum vinculo iuuandis per ſeipſum ægris aſtringi,ac ne iuuaret multis nominibus prohiberi: Theologis item compluribus, piiſque & multa prudentia viris,in hanc rem Mediolani collectis,& conſultis, omnem illi hac in parte ſcrupulum eximere tentantibus, & auocantibus à periculoſa cura pro viribus;negauit S. Antiſtes, vt omnes contra ſentirent mortales,fas ſibi fore,Spiritui ſancto contraria ſuadenti obluctari, & tot anterioribus Patribus ac Theologis, qui animarum bono & miſerorum ſubleuationi commodiorem ſententiam tulerant,non auſcultare. Itaque illis pronunciantibus,curam huiuſcemodi in Præſule, ad conſilia & perfectionem Euangelicam pertinere, non ad legis alicuius nexum:reſpõdit,ſibi verò certum eſſe,cum Paſtor eſſet gregis Christi, omni ſtudio perfectiora quæque capeſſere. Nec mora, vt non præſentia tantùm, (quanquam & ipſa plurimùm recreabat calamitoſiſſimã plebem;)ſed & operibus ſubleuaret egenos, quorum multitudo copioſa dilapſis præ metu diuitibus vrbem complebat, & auctior exiſtebat in dies, ſupellectilis bonam partem domo extractam, inter pauperes diuidi iuſſit: nec ipſi lecto in

in quo ſomnum exiguum capere ſolitus erat, parcitum voluit. Argenti verò infecti ac vaſorum, quicquid erat domi, ad monetalem officinam perferri, indéque nummos cudi ad ægrorum vſum mandauit. Pendentium item aulæorum ſeriem omnem, per hyemis initia detendi curauit, vt haberet vnde pauperum nuditati conſuleret: præſénſque aderat ipſe detendentibus, & operi inuigilabat, ne quid profuſam charitatem effugeret, miniſtrorum ſiue parſimonia, ſiue inconſulta proſpectione. Et fuit non Angelis modò, ipſíque numini, ſed hominibus quoque iucundiſſimum ſpectaculum, contuentium omnium pectora ad lachrymas & pietatis ſenſum emolliens, quod trecentorum eóque amplius egenorum varia agmina exhibebant: his purpureo amictu procedentibus, illis violaceo, aliis viridi; quot erant colores aulæorum Sancti Pontificis. Diceres principis alicuius lectas turmas militares, veſtiariam eius teſſeram præferre.

14. Sed quia pellem pro pelle, & vniuerſa quæ habet, dabit homo pro anima ſua, exiguum viſum eſt ſancto Antiſtiti, effudiſſe in pauperes quæcunque domi ſuppetebant; & multo etiam contracto ære alieno, præſenti eorum periculo, quod poterat ſubſidium præbuiſſe. Itaque ratus huiuſmodi calamitates ferè eſſe immiſſa ab irato numine flagella, eidem propitiando corpus ſuum macerare, & ſtare in confractione, non priuatis modò quæ propè iuges erant, ſed publicis quoque precibus inſtitit. Nam quamuis (vti aſſolet,) reclamantibus meticuloſorum è primario ordine nonnullis, tamen S. Gregorij magni exemplo, indicta ſupplicatione Cleri vniuerſi ac populi, atratus ipſe agmen clauſit,

ſit, nudipéſque & funem collo applicitum, patibiclariorum in morem præferens, proceſſit, collachrymantibus omnibus ad tam luctuoſum ſpectaculum; & clamorem, imo mugitum horrificum, placando Deo tollentibus in cœlum. Quidni verò inſolita pietatis ſpecies lachrymas proliceret ex oculis quibus obuerſabatur, cum vix ipſi hæc tanto poſt, in emortuis apicibus contuentes, temperemus à lachrymis; nec poſſimus tantum charitatis ſanctiſſimi præſulis ingenium, tenerrimo ſenſu atque affectu non proſequi? Et accidit res ad comiſerationem excitandam, & venerationem tantæ pietatis adaugendam, peropportuna. Cum nudipes procederet, defixis luminibus in pendentis è cruce Chriſti ligneam imaginem, quam manu præferebat, cogitatione illa abſorptus, nec ſatis attendens vbi greſſum poneret, nudum pedem ferreæ crati ſudibus ferreis præacutis armatæ, qua vinario hypogæo lux affundebatur, quaſi animo abalienatus, immiſit, inque cuſpides quibus crates præferrata ſurrigebatur, induit dextri pedis pollicem; eo impetu, vt excuſſo vngue, plurimus cruor manaret, & lutoſos pedes ac pauimentum tingeret. Neque tamen vel procedentium agmen remorari tantiſper, vel vnguíne aliquo adhibito lenire dolorem ſuſtinuit, quamuis eſſet acerbiſſimus. Sed neque binis ſupplicationibus, quas in reliquos dies indixerat, ſubduxit ſeſe, alióve quàm in prima proceſſerat habitu, & pedum diſpoſitione affuit, falſis qui non affuturum, aut nudipedem certè non proceſſurum ſanctum Antiſtitem, hariolati fuerant ex ſuo ſenſu ac tępore, incenſiſſimam eius charitatem ac patiendi deſiderium, metientes.

Iam

Iam in ægrorum cura, & ſtudio iiſdem animorum ac corporum ſubſidia per ſe & alios adhibendi, incredibilia viderentur quæ ab eo perfecta legimus, niſi Spiritui ſancto qui illum ad huiuſmodi opera impellebat, ſolemne eſſet, per homines quos intus agit, tanta perficere, vt humana ſapientia præ admiratione defixa hæreat, inexperta diuinæ poteſtatis, & ad ſuæ tenuitatis modulum ardua quæque admetiri ſolita. Viſere contactos, blandéque ſacris alloquiis recreare atque iuuare, perpetuum ſancto Antiſtiti fuit. Et Sacramentis communire è vita excedentes, panémque ipſe cæleſtem moribundis porrigere, quódque ob maius à contagio periculum & minorem neceſſitatem mirabilius eſt, ritu Catholico ad extremam luctam illos inungere, non refugiebat. Illud verò quibus verbis exponam, quod lactentis infantuli miſeratione commotus, cui inter vtrumque parentem lue iam extinctum iacenti, certum exitium ſupererat, caſam intrepidus ſubiit, & correptum manu ſua infantulum, vlnis excepit, nec iam ciuica ſed cæleſti laurea dignus, extraxit, ſtupentibus qui ſpectabant, & iurati poſtea id prodiderunt? Denique vt intra paucorum verborum ambitum immanem rerum ſyluam cogam, nihil quod ingenioſa charitas, & immensùm ſuccenſus Zelus diuini honoris bonique proximorum, machinari in tali calamitate queat, prætermiſſum ab eo eſt: vt non expleſſe modò optimi Præſulis partes omnes, ſed etiam infinitis acceſſionibus cumulaſſe videatur.

15. Feruebant ſancti Antiſtitis exemplo, & ad munus ſuum ſtrenuè obeundum animabantur è ſacro ordine plurimi. Nonnulli etiam è plebe, qui ſe

ad ſancti viri iuſſà quibuſuis ægris ſubleuandis præſto fore voto receperant, nullis periculis abſterrebantur à ſancto miniſterio: vt nunquam aliàs liquidiùs perſpectum ſit, quanta vi probatus & nauus Præſul, intermediis animarum curatoribus incentor fiat ad bonum, ſi non caſſo duntaxat verborum ſtrepitu, ſed operibus prægrediatur, factiſque teſtetur fieri poſſe, quod faciendum admonet. Vnius heroica charitas, æternitati conſecrari digna eſſet, atque vtinam æquare poſſet, tam rarum Chriſtianæ fortitudinis ſpecimen, oratio. Is in contactorum noſodochio curionem agebat, & inde ſacram Euchariſtiam ad ægros in diſceſſu è vita firmandos ac reficiendos proferebat. Erat qua tranſibat, ſtrues cadauerum ſimul congeſtorum, quæ anterioris diei veſpere, feralibus carrucis ibi exoneratis, operiebantur ſepulturam cum primùm veſpillonibus ea humi mandare commodum foret. Aduectus inter mortuos fuerat vnus ſemianimis, qui cumulo illi corporum exanimatorum, (horrendum viſu dictúque,) tanquam ſtrato inſidens, mirabili numinis prouidentia prohiberi morte videbatur, ne diuino cibo impaſtus excederet. Itaque vbi è ſuo illo thoro, Sacerdotem conſpicatus eſt, cum ſacra pyxide ad ægros cibo cœleſti reficiendos progredientem; quo potuit connìſu ſublatus in genua, ad ſacram cibationem inibi compoſuit ſeſe, & flebilibus modis, ac quibus expirabunda anima licuit vocibus, Sacerdotem obteſtatus eſt, ne ſe fraudatum diuina illa eſca vellet, qua refici ardentiſſimè cuperet. Res erat, non periculi modò, ſed & horroris pleniſſima. Verùm charitati benè animatæ, nihil horrendum, aut etiam extimeſcendum videtur. Sacerdos

in

in interna ſchola, magiſtro Spiritu ſancto, hypodidaſcalo ſancto Antiſtite vſus, nihil cunctatus, nec vel ſuo periculo abſterritus, vel cadauerum fœtore abalienatus, alacer inuolat in ſtruem illam; & miſerum, Angelorum pane refectum, animauit ad piam mortem, quæ illico eſt conſecuta. Dignus qui Sanctum præſulem celebratorem Chriſtiani facinoris nanciſceretur, eo libello quem placato Deo, & lue reſtincta, edidit ad infigendam plebi ſuæ, diuini beneficij gratam recordationem. Hoc ſit veluti ſpecimen multiplicis operæ, quam Sanctiſſimi Cardinalis adhortationes & maximè exempla, in pleríſque ſacris miniſtris per eam calamitatem ediderunt, vt totus liber quartus vitæ Sancti Præſulis, à Ioanne Petro Giuſſano Italicè conſcriptus, plurimis in eam rem prolatis Chriſtianæ charitatis miraculis, teſtatum facit. Omnia verò quæ idem S. Præſul, ſiue per ſeipſum obiuit pia munera, ſiue per eos quibus præiuit, & ſanctorum laborum auctor fuit, ad animarum & corporum ſubſidium, præſtitit eo tempore; immenſæ operæ arbitror exequi.

Noſtri, & alij, in proxima calamitate Lugdunenſi.

16. Verbum eſt S. Dorothei doctr. 12. [Eſt de « afflictione & periculo, poſt afflictionem ipſam at- « que periculum, periucunda narratio. Etenim in « mari, cum exorta fuerit tempeſtas, omnes quot- « quot naui vehuntur, timore & anxietate torquen- « tur. Cum verò tempeſtatis procella tranſierit, ſum- « ma iucunditate & lætitia, narrant pericula quæ «

contigerunt. Hæc quo pertineant, ſagax lector non difficilè præſagit. Proximè exacti anni principio & anterioris 1628. extremis menſibus, quantam ſtragem in his oris ediderit lues, Lugduni præſertim, vel commemoratu acerbum eſt. Viſa mihi, non audita referam; Ea erat calamitoſiſſimæ ciuitatis facies, cui liceret illud Petri Cluniacenſis lib.4.epiſt. 39. citra auxeſim aptare. [Manus Domini tetigit te, flagellum inundans per te tranſitum habuit, concidunt velut ex magna arbore, vehementi vento impulſi, maturi pariter & immaturi fructus; iámque penè totam ſubiectam terram, lapſu continuò operu runt. Ruunt ſuper mortuos viui, & ſuprà ſepultum, ſepultor ipſe procumbit. Nulla in qualibet ætate vitæ fiducia. Mixti ſenibus iuuenes, decrepitis adoleſcentes corruunt; ipſique penè pueri, centenarios moriendo præueniunt. Dies Domini verè, ſicut ipſe ait, vt fur nocte veniens, ſollicitos quoſque & improuidos ſimul furatur: víxque moriens ſe mori aduertit; quia priùs à morte quiſque rapitur, quàm plenè ad ſeipſum morientis animus conuertatur.] Hic planè erat afflictiſſimæ ciuitatis ſtatus, per tempus illud.

[*Alter in alterius labens quo fata ruebant;*
Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant:
Ceſſerat officium morbis, & funera deerant
Mortibus, & lachrymæ.]

Non addo quod ille de æui ſui lue querebatur,
[*feſſus defecerat ignis,*
Et coaceruatis ardebant corpora membris.]

Foſſæ tamen immanes, non vno loco excitatæ, defecerunt. Quare vinaria hypogæa, & cellaria quæuis domeſtica, imæ officinæ, horti continentes, vici ipſi

ipſi ac plateæ, diſiecta ſtratura, in ſepulchrales areas conceſſerunt.

[*Ac tanto quondam populo, vix contigit hæres.*]

Veſpillones magno licet numero, pinguibúſque ſtipendiis ad corpora efferenda allecti, impares erant cadauerum multitudini; quæ proinde temerè paſſim ſtrata per vicos & compita, luctuoſiſſimo ſpectaculo, vrbis faciem inceſtabant. Pleraque non niſi multos poſt dies efferebantur, temerè aceruatímque condenda: vt ea corporum tumultuaria elatio, ægris pleriſque, acerbior morte ipſa accideret: conſtétque, non paucos lecti lintea queis incubabant, vtrinque commiſſis oris, & ſupra pectora reiectis, manu ipſos ſua conſuiſſe, ad fauces vſque: illud ſibi extremum officium, ne nudi efferrentur, triſti ſorte perſoluentes. Fuit in vicinia capularis ſenex, annos natus 94. ſed viridis crudǽque ſenectæ, qui ad illas ætatis fæces, geminæ iam peſtilentiæ ſuperſtes venerat. Nunc genero præmortuo, veritus ſepulturæ defectum, aut nimiam remoram, cum primùm ſe contactum agnouit, foſſam ipſe ſuam excauauit, nec priùs triſti opere perfunctus eſt, quàm ad extrema deduceretur. Itaque cum è foſſa erupiſſet, compoſitis in eius margine ad crucis ſpeciem ligone & pala foſſoria, ita compoſitus vt moriens foſſæ illabi poſſet, inter commendandam Deo animam inibi cecidit, nouo exemplo veſpillonis ſimul, & curandi cadaueris partes ſuſtinens. Illúdque de ſe comprobans, *Lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foueam quam fecit.* Quod viſum ſibi in Treuirenſi lue luctuoſiſſimum prodit Saluianus lib. 6. de prouid. [Lues erat viuentium, fœtor funereus mor- «
tuorum; mors de morte exhalabatur.] Hoc experti «

 ſumus.

ſumus. Tres è popina non malè aduerſus luem, vt rebantur, muniti, vix prodierant in publicam aream, quæ Vinçentiano ad Ararim peribolo adiacet, fabulantes; cùm vnus concidit exanimis. Qui propior erat, vertigine tentatum ſocium ratus, aut viribus defectum, animo concidiſſe, manum porrigit: & ſubitò ipſe quoque, exanimis ſuper exanime cadauer corruit. Tertius, riſu primùm ré excipere, & ſcommata de minùs firmo capite quod largiorem compotationem non ferret, intorquere. Mox ſublato grandi cachinno, vtraque manu extenta, vtrumque ſocium cum prehendiſſet, & ad ſurgendum vrgeret, virulento afflatu præcordia occupante, illico ipſe quoque iacentibus adiunctus eſt. Nec ita multo poſt, ferali carrucæ ſimul omnes impoſiti, indecoro funere ſunt elati. Retraho horrentem calamum, quod non atrociſſimæ calamitatis acerbitatem refricare memorando, plenáve narratione exhibendo, præſens inſtitutum ferat: ſed guſtum duntaxat eius aliquem, ad aperiendam nauatæ per Chriſti pugiles operæ neceſſitatem, proferre conſilium fuerit. Et nonnulla rurſus planè tragica, attingenda erunt parte ſequenti cap. 3. num. 9.

17. Vt eſt recepti apud Deum moris, dicere de tenebris lumen ſplendeſcere; è magnis inquam cladibus, magna bona eruere, quod infinitæ cuiuſdam virtutis atque potentiæ eſſe, Clemens Alexandrinus 1. Strom. c. 8. optiméque Theodoretus l. 6. contra Græcos, & D. Auguſtinus variis locis confirmãt: tanta Lugdunenſium calamitas, qua mortalium ad 50. millia demeſſa ſunt, aſpirante numine, in magnum animarum bonum vertit: vt inter expiandos per illud tempus pœnitentes, dubitatio ſæpè inceſſerit,

ſerit, ad eum finem quem in orbis molitione & conſeruatione propoſitum habet Deus,an procellæ illius luíſque prorogatio, congruentior & optabilior eſſet, quàm publica malacia, & ſanitatis priſtinæ reſtitutio. Quamuis enim ad humanam libellam tempus illud exigenti, horrorem incutiat & auerſationem moueat, exitium corporum, negotiationis & ferè politici conuictus iuſtitium, luctus vbique, pauórque, & plurima mortis imago: Tamen diuinum iudicium, veri cuiuſcunque iudicij metrum, cui animarum æterna ſalus, præcipuè propoſita eſt, quódque illa alia mortalium vota, non niſi tanquam media ſpectat ad finem illum aptanda; meritò pretioſiſſimum, & humano generi commodiſſimum ducit tempus illud quod feracius eſt meritorum, & ad condendas in vſum æternitatis myſticas fruges, accommodatius. Poſſum affirmare, nunquam mihi perſpectiora fuiſſe, quæ S. Cyprianus lib. de mortalitate, de ingentibus lucris ſpiritualibus peſtiferæ tempeſtatis proponit, quàm cum ea per huius calamitatis occaſionem quaſi palpare, & contrectare licuit,in his vt breuiter & verè dicam, ſpiritualibus nundinis. Vix fuit copioſorum qui erogandis largiùs facultatibus, magnam benè de aliis merendo, meſſem non fecerit. Etiam tenuiores, in partem venere meritorum, nec vno modo. Sed factum quod ſubtexo, mulieris è plebe, præ innumeris quæ accumulari poſſent, micat velut inter ignes Luna minores. I O A N N A M A V R I S vidua honeſta & teſtatæ pietatis,audita coniugum morte, quibus intra domum lue conſumptis, proles lactens viua ſupererat,eodem cum parentibus fato conceſſura, imo fame conſumenda,

ni abiectam animulam Chriſtiana charitas exciperet, ſortem miſerata innocentis ætatulæ, tametſi non ignorabat quàm carò ei vænire poſſet hæc ſubleuatio alienæ ſummæ neceſſitatis, conſulto numine, vltrò inſiluit in contactam domum, vbi iacebat inter mortuos parentes infœlix proles, ſola calamitatis ſuæ ignoratione ſecura: quæ abducta, & caprino lactatu aliquandiu paſta, beneficentiſſimæ altrici, & verè piæ parenti, bonorum memoria dignæ, luem affudit, quam non ita multo poſt mors vtriuſque eſt conſecuta. Mulierem fortem inueni, cuius pretium procul eſt, & de vltimis finibus: Hoc cogitaſſe, hoc perfeciſſe, mulierem? Alia (nomen non comperi,) ſimili ſorte puerum, biduo iam mortuæ matris lateri in lecto hærentem, & vbera exſucca trahentem; omnibus intra domum lue extinctis, cum per fores diligenter obſeratas, aditus ad vagientem infantulum non pateret, admotis ſcalis irrupit per feneſtras, correptóque ſugenda vbera porrigit, & vitali pabulo ad tempus aliquod refouet. Sed prolixior inedia, & quod à matre combiberat venenum, alumno perniciem creauere. Hunc animum ſi muliebrem dixero, num decus eius, vocis inuidia detriuero? Næ illi leuiter grammaticantur, qui huic ſexui, mollitiei calumniam de frigida vocabuli notatione nectunt. Hanc tu à mollitie dicas mulierem, auſam quod in ſanctiſſimo ac in fortibus factis exercitatiſſimo Præſule, vt ante retuli, ſuperius ſeculum tanquam fortitudinis miraculum ſuſpexit? Mulier, truculentum hoſtem ſtratis innumeris copiis ferocem, vinci ac etiam lædi neſcium, (peſtem dico,) in ipſa veluti arce ſua, inuadit intrepida: cum ij qui ſe vi-

ros dicunt, ad nudam peſtis commemorationem animo linquuntur, nullúmque quantumuis auium aut remotum locum, aduerſus eiuſmodi hoſtis impetus ſatis tutum habent. Sapienter planè S. Chryſoſtomus homil. de Machabæis, externorum & noſtrorum certaminum, diſcrimen illud expendit, quod in noſtris, qui videtur ſexus infirmior, potiori adiungatur, imo eum quandoque antegrediatur, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. [Secundùm interiorem hominem, (ait S. Auguſt. ſer. 103. de diu.) nec mas nec fœmina inueniuntur: vt etiam in his quæ ſunt fœminæ corpore, virtus mentis ſexum carnis abſcondat, & in membris pigeat cogitare, quod in factis non potuit apparere.] Refero pedem, quod plenam tam heroici facti commendationem deſpondeam. Quæ enim oratio, maſculum illud fœminæ pectus, & in tam arduo opere ſpiritus pluſquàm viriles, æquarit? Non piget, pretioſiſſimum & coram Deo acceptiſſimum, pronunciaſſe tempus illud, quo tam luculenta facinora per vulgares perſonas edita, audire licuit.

Addo, nec vſque adeò auerſandum videri poſſe tẽpus illud quo cadentibus licet corporibus, animæ fœlicitatis portum ſubeũt maiore numero, meliúſque per verã peccatorum deteſtationem cõpoſitæ, quod Lugduni, oberrante diuino hoc flagello factũ, vſus nos docuit. Ea enim ſollicitudine quærebatur interni hominis mundities frequentatis ſæpius intra hebdomadem pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramentis; Tanta demiſſione & ſubiectione animorum, agnitionéque iuſtorum Dei iudiciorum, tempeſtas illa detonabat; Tam ſtudioſè peccatis deuitandis, omníque pietatis exercitationi, inſiſtebatur;

Ea rerum caducarum vigebat contemptio; vt non alios prima naſcentis origine Chriſtiani mundi, illuxiſſe dies crediderim, cum populus quem fecit Dominus, muſto de crucis torculari recens expreſſo ebrius, flocci factis fluxis ac terrenis omnibus, ad cœleſtia duntaxat & æterna anhelabat. Et ne fidelium pia ſtudia, ſacrorum miniſtrorum penuria, caſſa redderet, prouidit Deus ſtrenuos pleroſque Chriſtianæ rei curatores, quibus allaborantibus, optata in tanto diſcrimine ſpiritualia ſubſidia non deeſſent. Ea verò plerunque tam oportunè ſuppeditata conſtat, vt aliqui in digreſſu à peracta exomologeſi, & percepta abſolutione, animas efflarent. Diceres, Deum, quem Pythagoræi apud Proclum, *ipſam opportunitatem* nominabant, in æternam eorum ſalutem intentum, extremam illam de eis optimè merendi opportunitatem ſtudioſè captaſſe, retuſa ad tempus illud tetræ luis virulentia, & prouiſo Sacerdote, qui inſidentem primoribus propè labris animam, ritu Chriſtiano expiaret; quamuis non abſque præſentiſſimo diſcrimine. Mulier ſanè,) vt alia pleraque non abſimilia taceam,) in ſacello à ſacerdote de peccatis audita, cum digrederetur, in ipſo ſacelli oſtio mortua concidit, obſeptum intrò relinquens ſacerdotem, quâ euaderet non habentem; donec aduocati libitinarij cadauer efferrent, & aliquid Arabiæ ad tutum exitum incenderetur. Quantum quiſque ſacrorum hominum, & ſecularium, & ex omnibus propè inſtitutis regularibus quibus ciuitas abundat, in publicum commodum contulerit, prolixum ſit enarrare: nec ego eam ſuſcepi prouinciam; præſertim cum res ſit, ab aliis ſplendidè diligentérque conſignata.

ſignata. De Collegis quorum mihi res perſpectiores,hoc poſſum profiteri, nullum eos in hac calamitate, ſtrenuæ charitatis, & Chriſtianæ fortitudinis munus,abs ſe deſiderari paſſos eſſe, cum domi, tum foris.

19. Nam domi quidem,Confeſſarij,quibus conuerti in die belli, & locum ſuum dimittere turpe fuit, feſtis profeſtíſque diebus, præſto perpetuò fuere accurrentibus vndecunque benè multis, in magna alibi pleriſque locis ſolitudine:ſiue dilapſis, Sacerdotibus; (Nam non pauci, quod amarulento ioco virum grauem expoſtulare tunc memini; hirundines egerunt, quarum eſt commodo quidem tempore perſtare, aſpero autem ſecedere, nec niſi hyberno rigore diſcuſſo,regredi)ſiue intra domeſtica ſepta,contagij metu, ſe continentibus; ſiue vita functis, quorum fuit numerus ſanè non exiguus. Nam ſeculares perſonas ſacras, in vicina S. Nicetij parœcia, ſupra viginti, lues abſumpſit. Pleriſque, Medicorum infida chirographa, ac ex eorum fide, conceſſam mortuis quaſi lue non afflatis, ſolemni apparatu ſepulturam; nonnullis pecuniolam à pœnitentibus collatam, exitio fuiſſe, compertum eſt. Quare in ea ſacrorum miniſtrorum pleriſque locis paucitate, frequentia ſacro confeſſionis operantium in æde noſtra, atque adeò laborum & diſcriminum ſementis, multis partibus auctior fuit. Inibi ſacrificiorum continua de more ſeries, nunquam intermiſſa,magno ciuium ſolatio,quibus ex raritate, bonum cæteróqui pretioſiſſimum,commendabilius videbatur. Et erant ſemper qui ad ſingula ſacra, cœleſti pane reficerentur. Concio ſacra, ad frequentiſſimam ſemper plebeculam de more

habita, tempori illi accommodata, & aptior ſenſum pietatis, & aliquod in diuino beneplacito leuamen, quàm admirationem vel vanum plauſum mouere. claudebántque concionem litanenticæ ad Deiparam preces, & aliæ à nobis in eum finem concinnatæ, ad cœlites indigenas triplici ordine diſtinctos; martyres ſcilicet, Confeſſores, & ſanctas mulieres. Hæc domi in proximorum bonum, per plures menſes quibus vrbem calamitas vexauit, perfecta ſunt, magna cum alacritate & charitate: quæ quamuis pacatis temporibus quotidiana ſint, atque adeò minuta videri poſſint, æquus tamen æſtimator facilè dabit, non eſſe rem modicam, miniſteria adeò periculoſa, tenuiſſe in tanta perturbatione curſum ſuum; ægris præſertim non paucis, (quod neminem latebat,) & tam multis ex ægrorum commercio ſordentibus, ad confeſſionis ſacramentum, & diuinorum miniſteriorum participationem confluentibus. Vrbis enim per tempus non exiguum is ſtatus fuit, vt ægrorum & eorum qui illis conſueuiſſent, ſecretio fruſtra expeteretur. Itaque permixti accurrebant ad ſacra tribunalia, & diuinam menſam, illud vnum ſolliciti, ne inexpiati aut impaſti excederent. Et quanquam aperto diſcrimine vacare non videbatur ea Chriſtianorum ſubſidiorum impenſio & exceptio; Tamen quæ Dei fuit benignitas, è tot externis vix notatus eſt, cui illud curandæ ſalutis, calcato periculi metu deſiderium, fraudi fuiſſe ſuſpicio fuerit: quantumuis in id anxiè inquirentibus meticuloſis quibuſdam. E noſtris verò, nemo vnquam eorum qui in ſacris ſellis iuges erant, aduentantium morbidorum halitibus perpetuò expoſiti, vel leuiter tentatus eſt.

Vnus

Vnus & alter, qui in ea miniſteria rariùs aut nunquam veniebant, & liberiores à lue futuri putabantur, contacti ſunt, & fato conceſſerunt: vt diſceremus, non eſſe in receſſu à diſcriminibus reponendam incolumitatis ſpem, ni Deus annuat: Eo autem miſerante, etiam in medio vmbræ mortis non timenda mala; ac per illabentis orbis ruinas, incolumitatem non ſperari modò poſſe, ſed etiam retineri. Tantùm de domeſticis in proximos officiis. Nam quæ ad profuſas in paupertinam plebem eleæmoſinas, ſuppeditata pharmaca, aliáque corporum ſubſidia, in aliqua domeſticæ rei tenuitate, inexhauſta præſidis noſtri in eo genere nunquam fatigandi, charitate, perfecta ſunt, tametſi intermicuerunt aliquando, & inſignia planè ac ſupra vires fuiſſe, in confeſſo eſt; Tamen magnam partem, de Chriſti conſilio, neſciente ſiniſtra quid dextera faceret, clam ſunt peracta, reddenda in manifeſto à Patre luminum, qui videt in abſcondito, & vel calicem aquæ frigidæ, digna remuneratione penſabit.

20. Nec domeſticis ſeptis contineri potuit ardor charitatis, ſed foràs erupit non vno modo. In primis enim diſtributa quatuor in partes, vniuerſa cis & trans Ararim ciuitate, & quatuor religioſarum familiarum ſacerdotibus Chriſtianæ rei curatoribus per eas diſtributis, vt ægris intra domos ſacramenta adminiſtrarent; quæ populoſior, & egenis, atque adeò ægris abundantior erat, (à ponte ſcilicet Ararico, & templo Nicetiano, ac noſtro, ad Araris vſque & Rhodani confluentum,) obtigit noſtris. Et excurrendum non rarò fuit in aliorum fines, ægris per ſuos aduocantibus. Subeundum

dum autem erat plerunque in editiſſimas contignationes, per inferiores exhedras ſanè fœtentiſſimas, nec rarò, abiectis temerè cadaueribus, paulò ante ſtratas: & quæ non minima erat laboris pars, in tam frequenti ad ægros aditione, & tam excelſa Lugdunenſium ædificiorum ſtructura, multi graduum ordines, ſæpiùs intra eandem diem ſuperandi. Subeunda cubicula, & ſitu & peſtilenti ægrorum halitu teterrima; ægri cominùs audiendi, & pendente de collo ſacra pyxide, vti ſacras reliquiarum thecas geſtare moris eſt, ſine apparatu & pompa, diuino ferculo cibandi, non ſine lethiferi afflatus exceptione. Nec ſemel, per ſtrata iam in eodem cubiculo, corpora, ad alios inibi animam agentes iuuandos, fuit erependum. In hanc operam qui incubuerunt, eos ego vt S. Chryſoſtomi homil. in SS. Iuuentinum & Maximum verba vſurpem, *viuos martyres* ſi dixero, ſuperaſſe eorum merita & alacritatem in Chriſti cauſa, videri nequaquam potero; cum conſtet animam eis ſemper fuiſſe in manibus, & mortem in ſingulas horas, imo momenta expectandam. Nec pleróſque eorum, diuina prouidentia, ſpe & optatis fruſtrata eſt, morte ab iiſdem, vti expetierant, in ſancto miniſterio oppetita. Recenſui eos ex nomine, in mantiſſa ad Sanctorum Lugdunenſium indiculum. Felices animæ, nulliſque vnquam noſtris encomiis ſatis exornandæ; ſed plenè ac dignè à Deo in ſynagoga Deorum; in conſeſſu inquam beatorum ſpirituum ac cœlitum omnium, vbi laudes pugilum ſuorum, cœleſtis ipſe agonothetes celebrabit; & ſignata apud ſe in ſacculo, ac condita in theſauris ſuis piorum merita explicans, mercede ſupra pretium & æſtimationem

omnem

omnem repenſa, potiri dabit, per vniuerſam quanta quanta erit, æternitatem.

21. Aliæ foris iuuandi proximos rationes, per ſocios non ſegreges, initæ ſunt, minùs quidem cum diſcrimine coniunctæ, non tamen prorſus immunes. Auditæ multorum de peccatis confeſſiones, ſiue in vicis iacentium, ſiue ad contactorum noſodochium abeuntium, qui vno veluti flumine decurrebant, & ad Athanacenſem portam cogebantur, vbi non nemo tranſuectionem operiens, animam efflabat: prorſus vt de æterna ſalute, periclitaturi fuiſſent quàm plurimi, niſi Sacerdotis noſtri, qui vt auctoritate ac munere, ſic alacritate, & indefeſſo iuuandorum & animorum & corporum ſtudio, noſtris omnibus præibat, frequens eò commeatio, ritè confeſſos Chriſtiana abſolutione impertiiſſet. Sacra in Athanacenſi pomœrio, qua patebat ad ægros in gurguſtiis continentis iſthmi proſpectus, crebrò facta: itémque in turricula Laurentiana, ad confertám iacentium infernè ægrorum multitudinem, eo ſolatio leuandam. Parthenones quinque, dilapſis ſacerdotibus à quibus commodo tempore iuuabantur, omnibus ritè ſacris functionibus, inibi per noſtros aſſiduè obitis, adiuti in ſpiritu & recreati; cibariis quoque & pharmacis, cum res tulit, ſuppeditatis. Ternis quaterníſve in compitis, habitæ feſtis diebus, nec rarò etiam profeſtis, adhortationes ad populum; non quæ voluptate & plauſu audientium definirentur, eſſentque *æris ſonus magno ſtrepitu aures ſolas perſonans*, vt ſcitè dixit, qui huiuſmodi ſpumarum, aut fumi verborum in ſacris pulpitis ſtudioſos, meritò inſectatur Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſtol. 62. & 108. Sed quæ

quæ eſſent reuera quod dicuntur: & concionem non tam mulcerent, quàm ſenſu pietatis, & perfecta peccatorum deteſtatione complerent. Et incredibile eſt, quanta auiditate, rudes illi, & impoliti, ſolóque ſpiritu diuites de Chriſtianis officiis ſermones exciperentur: prorſus vt defluentem imbrem, aut decidentes niuis floccos, non refugeret hærens media in platea denſus auditor, & vno loco abeuntem Chriſtianæ pœnitentiæ buccinatorem, aliò viri fœminæque conſequerentur, nec vidiſſe & audiſſe ſemel, faceret eorum piæ cupiditati, & pietati ſatis. Etiam vicini pagi, & villæ, quæ in vicino agro plurimæ ſunt, ægríſque ſcatebant, cum per purioris aëris hauriendi occaſionem, interdum prodibamus, cum fructu obitæ, expiatis inter excurrendum, Chriſtiano ritu non paucis, quà ægris, quà ægrorum conſuetudine ſordentibus. In ſumma, nullum domi aut foris, Chriſtianæ charitatis officium, nullum iuuando aut leuando proximo munus, quantum humana diligentia aſpirante Deo conniti valuit, aliquando prætermiſſum.

22. Excurſurus prætere a eram, in ea quæ Chriſtiani pugiles, hoc ipſo tempore, ſpiritibus martyrij menſuram implentibus, Viennæ, Gratianopoli, Montilij, Carpentoracti, Auenione, Aquis Sextiis, Veſontinno, Salinis, & aliis pleríſque in vrbibus lue vexatis, dignè Deo, & ad Chriſtianam charitatem ac fortitudinem accommodatè perfecerunt. Verùm quod omnia Lugdunenſibus rebus ſint gemina, defugio non neceſſariam huic inſtituto operam. Tametſi nonnulla religione ducor, preſſæ ſilentio incenſiſſimæ charitatis, & Catholicum Præſulem decentiſſimæ ſollicitudinis, quam

vt

vt certis nunciis, & diſſeminante vbique fama comperimus, Illuſtriſſimus, ac Reuerendiſſimus D. Franciſcus de Sales, Epiſcopus ac Princeps Gebennenſis, magni illius, & omni eucomio ſuperioris, Franciſci de Sales, verè ſucceſſor, verè germanus, in ſuos Anneſſienſes lue contactos, per hæc luctuoſa tempora prodidit, nec facultatibus quas exhauſit, nec vitæ ipſe ſuæ parcens, vt afflictiſſimam vrbem pro poteſtate, imo ſupra poteſtatem ac vires, iuuandis animabus atque corporibus ſubleuaret: Cuius heroicæ magnanimitatis & charitatis expromptio, exemplo eſſe poteſt maioribus ſimul ac minoribus animarum præfectis, vt ouibus quas tondere & mulgere valentes, graue non habent, vexatis alacres adſint, & ponendæ ſi res ferat pro eis animæ ingeſtam diuinitùs opportunitatem, auidè arripiant, principis Paſtorum imitatione, qui ſaluti ouium vitam impendit: certi æternam apud Deum & homines gloriam, manere eos, qui idoneorum Paſtorum partes omnes, ſummis præſertim temporibus, infracti ac intrepidi, ſtrenuè nauitérque obiuerint.

CAPVT V.

Rationes ex nonnullis Scripturis deprompta pro eadem vera ſententia.

1. IN re quæ non ex natura operis vel perpeſſionis, ſed ex Chriſti Domini decreto & inſtitutione tota pendet, rationum locum tenent, ea Scripturæ loca, quibus de Chriſti voluntate & inſtitutione, certi reddimur. Cum ergo gratia de qua quæritur, an adiungatur ex opere quaſi operato, perpeſſioni

ſioni mortis ad ſubleuādum ex charitate proximum oppetitæ;(hoc enim eſt quærere an hæc mors ſpectet ad verum martyrium;) cum inquam ea gratia non reſpondeat perpeſſioni mortis, eiuſque oppetitioni prout eſt aliquid patienti meritorium iuxta communes canones de merito ſanctorum operum; ſed eidem oppetitioni rependatur ex meris Chriſti meritis,ſola paſſi adulti aptatione, hoc eſt eius acceptatione,& impedimentorum excluſione pręſuppoſita: Idcirco in poſtremo agmine probationum veræ ſententiæ, in quam confirmandam incumbo, nonnullas Scripturas ei aſtipulantes collocabo,tanquam fœtas Chriſti Domini ſuffragatione, quæ in hoc negotio,(vt præmiſi,) tenet vicem rationum, quibus poſt tractatam hactenus autoritatem, locus iſte debebatur.

Prima ratio, ex variis Chriſti dictis de martyrio, Matth. 10.& 16.Lucæ 9.& 17.ac Ioan. 12.hic æquè valentibus.

Ex ea igitur Chriſti voce, Patres & priſci DD. perſuaſum habuerunt, morti in fidei odium illatæ, & ex idoneo motiuo acceptatæ, rependi ſalutem, qua dixit Matth.10.*Qui nõn accipit crucem ſuam,& ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenit animam ſuam perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me,inueniet eam.* Et cap.16.*ſi quis vult venire poſt me,abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inuentet eam*, Simile illud oraculum Lucæ 9.*ſi quis vult poſt me venire,abneget ſemetipſum,*

ipſum,& tollat crucem ſuam,quotidie, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere,perdet illam; nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet illam. Nec non illud ex cap. 17. *Quicunque quæſierit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam,& quicunque perdiderit illam, viuificabit eam.* Et illud denique Ioannis 12. *Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.* His teſtimoniis,martyriorum incentores aut laudatores,vti ſolent,cum Chriſtianos oſtentatis martyrij fructibus, ad illud alacriter ſubeundum excitant, vel ob illud iam exceptum, encomia pangunt athletis Chriſti. Et ita nominatim S. Cyprianus epiſto. 56. & 81. ac lib. 3.teſtimo.ad Quiri.c. 16.& lib. de exhort. martyr c.5.& 6.ac 12. Origenes homil. 26. in Lucam. Lucifer Calarit. lib. quod moriendum ſit pro Dei filio.Tertullianus in Scorpiaco c.11. & lib. de corona militis,cap.item 11. S.Auguſtinus homil. 37. ex 50.& l.13.Ciuit.c.7.& ſerm.100.de diuerſ.S.Eulogius lib. 1. memor. ſancto. & in Apolog. paſſim. S. Bern. ſerm. 30. in Cant. Valerianus Cemelienſis homil.15.& 18.

2. Hæc loca æquè in rem præſentem cadere, ac in mortem ex odio fidei illatam & exceptam, adeò perſpicuum videtur, vt non ſit illuſtratione opus. Nam crux dominica non alia ſignificatur in locis primùm adductis, quàm tolerantia propter Chriſtum. Obeſa etenim & craſſa nimium fuit Monachorum illorum intelligentia, quos Abbas Serenus apud Caſſianum collat.8.c.3.tradit his Chriſti dictis adductos eſſe, vt cruces ſibi ligneas conficerent quas humeris iugiter circumferrent, riſum ſpecta-

toribus inferentes, non ædificationem. Vt igitur latè apud S. Anſelmum diſputatur opuſc. de crucis menſurat. & apud quàmplurimos quos Gretſerus poſtremo de cruce libro deſcripſit, eſtque per ſe perſpicuum, nomine crucis in eo effato, Chriſtus Dominus patientem in aſperis diſpoſitionem voluntatis, & ad ductoris Dei frœnum non refractariam aut indocilem intellexit. Firmam item, nec in diſcriminibus reſilientem, vt interpretatur S. Chryſoſtomus Orat. de crucis adorat. verbis illis, ad hoc negotium appoſitiſſimis. [Quid ſibi vult dictum illud: Tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Num vt quouis portemus lignum? Nequaquam. Quæ enim hæc virtus? Sed vt ad pericula ſimus prompti, ſanguinem noſtrum in animis noſtris circumferentes, parati in ſingulos dies ad cædem ſubeundam & mortem, ita omnia agentes, quaſi nunquam vita noſtra vſque ad veſperam duratura; ſed certiſſimè nos morituros arbitremur. Quod & Apoſtolus Paulus dicebat: quotidie morior. Nonne tibi à natura mors ſemel decreta eſt? Licet tibi, ſi velis, millies pro Domino mori. Hic enim gratiæ mos eſt, egeſtatem amicorum ad magnas euehere diuitias, propter liberalitatem Domini, qui non modò rerum euentu, ſed & voluntate propoſitóque certantium, coronas metitur. Quid verò eſt, tollat? Adeò ſit promptus ad cædem & crucem ſubeundam; vt qui eam portat: Tam paratus, vt ille, qui crucem iam fert humeris; Tam vicinum morti ſe eſſe exiſtimet. Talem omnes obſtupeſcunt. Neque enim ſic ſuſpicimus homines mille armis tectos, vt eos, qui hac tanta fortitudine muniti ſunt.]

3. Operam luſero, ſi docere velim, tales maximè

mè eſſe qui vſque ad vitæ abiectionem,patientiam probant: ac vel ſi mors obeunda ſit, perſtant conſtantes,& bono quod Magiſtro Chriſto prehendendum didicerunt, tenaciter adhæreſcunt. Et faciunt hoc quidem ij, qui Tyranno Chriſtianam fidem euertere ſtudenti, intrepidè obſiſtunt, nulláque ſe tormentorum immanitate, diuelli à Chriſtianis inſtitutis patiuntur. Tamen non minùs ſeriò idem faciunt, qui animas ſuas in manibus ſuis ponentes inter præſentiſſimos diræ mortis horrores, perſtant inconcuſſi: & vt Chriſto in membris ſuis opem ferant, amorem vitæ à natura ipſa conſertum conculcant. Hoc planè eſt, abnegare ſeipſum. Audi Chryſoſtomum laudata proximè oratione,quem propè verbatim exſcripſerunt Ioannes Xiphilinus,& Philotheus Conſtantinopolitani Antiſtites,orationibus de crucis adorat. [Quid eſt ab- « negare ſeipſum.Diſcamus,quid ſit negare alterum, « & intelligemus quid ſit negare ſeipſum. Quid igi- « tur eſt negare alterum? Qui alterum negat, filium « vel fratrem, vel amicum, vel vicinum, vel alium « quemcunque; hunc licet videat flagellis cædi, ſeu « vinciri,ſeu quiduis aliud perpeti,non accurrit, non « fert opem,non flectitur, non erga illum commoue- « tur.Totus enim ab eo abalienatus eſt. Sic ergo vult « Deus nos à corpore noſtro auerſos eſſe, vt licet « ipſius cauſa aliqui nos flagellis cædant, licet puni- « ant, licet expellant, licet aliud quid agant, corpori « non parcamus Hoc enim eſt negare; hoc eſt, nihil « ſecum commune habeat,ſed exponat ſeipſum peri- « culis,& certaminibus; & ita ſit affectus, quaſi hæc « alius quiſpiam ſubeat.Nec dixit,neget ſeipſum, ſed « abneget,exigua hac appoſitione,non exiguam exſu- «

 peran

„ petãciam ſignificans.] Tollunt igitur crucem ſuam quotidie, ex propoſito Chriſti oraculo, ſéque ipſos abnegant, & quotidie moriuntur, qui in quotidianis, imo iugibus mortis periculis, alacres ad proximorum ſubſidium accurrunt; & ſuimet ipſorum obliti, vitæque negligentes, alienam ſalutem omni ſtudio & diligentia curant.

Idem verè, quantum in ipſis eſt, animas ſuas perdunt, & ſancto maximéque laudabili odio inuiſas habent in hoc mundo, in quo non quærunt vitam ſaluam facere, quam propter Chriſtum non refugiunt perdere. Vt enim philoſophatur Auctor qq. ad Antiochum in 68. ſaluas in hoc mundo animas ſuas facere propoſitum habent, ſéque ipſos itidem inueniunt in hoc mundo, qui ſeipſos mortis periculis ſubducunt, & vt à malis imminentibus indemnes ſe præſtent, poſthabent ſibi Chriſtum, & quæ ei chara agnoſcunt; ſolliciti de ſalute ſua corporea, eiúſque tutela ab ingruentibus malis. Non ita qui periculorum conſcij, vt tamen proximis ægris in Dei gratiam opitulentur, alacres in pericula induunt ſeſe; nec eorum obiectu à ſancto opere abſterrentur; verè in ſeipſis exhibentes ſanctum illud ſui odium, reuera perfectiſſimum amorem, ex quo veros martyres celebrat S. Auguſtinus homil. 37. ex 50. Quem præterea audire iuuat ſerm. 103. de diuerſ. cap. 3. & 4. egregiè demonſtrantem fundamentum conſtitutæ à Chriſto martyribus mercedis tam luculentæ, non aliud eſſe quàm vitæ contemptum. Æquum enim eſſe videtur vt qui tam generosè & alacriter vitæ amorem pro Deo abiecerunt, hîc quidem gratiam æternæ vitæ pignus, poſt mortem autem, æternam ipſam vitam

vitam bonorum omnium inconcuſſa vbertate affluentiſſimam conſequerentur. [Præmia martyrum (inquit Auguſtinus,) maxima credimus, & rectiſſimè credimus. Sed ſi certamina diligenter intueamur, nequaquam illa tam magna eſſe mirabimur. Nam vitæ huius quamuis laborioſæ ac temporalis, tamen tanta dulcedo eſt, vt cum homines non poſſint efficere ne moriantur, tamen multis & magnis conatibus agant, ne citò moriantur. Pro morte auferenda, nihil fieri poteſt; & pro ea differenda, fit quicquid poteſt. Certè omni animæ laborare moleſtum eſt. Et tamen etiam ab his à quibus nihil ferè boni ſeu mali poſt hanc vitam ſperatur, omnibus laboribus agitur;ne labor omnis morte finiatur.Quid illi qui vel errore poſt mortem futuras falſas & carnales delicias ſuſpicantur; vel recta fide, quietem quandam ineffabiliter tranquilliſſimam & beatiſſimam ſperant, nónne etiam ipſi ſatagunt, & magnis curis agunt, ne citò moriantur? Quid ſibi enim aliud volunt pro victu neceſſario tot labores, tanta ſeruitus ſiue medicinæ, ſiue aliorum obſequiorum, quam vel exigunt ægroti, vel exhibetur ægrotis, niſi ne ad terminum mortis citò veniatur? &c. Tanta quippe eſt etiam huius ærumnoſæ vitæ neſcio quæ ſuauitas, tantúſque in natura vtcunque viuentium, horror mortis, vt nec illi mori velint, qui per mortem ad vitam tranſeunt, in qua mori non poſſint. Hanc igitur viuendi tantam iucunditatem,metúmque moriendi,charitate ſyncera, ſpe certa, fide non ficta, martyres Chriſti præcipua virtute contemnunt.] Hoc eſt vt S. Auguſtino videtur, fundamentum maximorum illorum præmiorum, quæ martyribus in fidei cau-

ſa cadentibus conſtituta eſſe, Chriſtiani credimus. At perſpicuum eſt, amorem vitæ æquè abiici ab eo qui ſe accingit ad periculoſum miniſterium de quo agimus, ac abiiciatur ab iis qui obtruncantur à Tyranno, Chriſtianæ fidei infenſiſſimo. Nam quicquid ſit, an interdum aliquis à morbi virulentia indemnis abeat, (id quod æquè circa Tyranni ſæuitiam poteſt contingere, mollita aut mutata in meliùs, poſt damnatum & necdum cæſum martyrem, Tyranni mente, vel Deo, quod frequentiùs contigit, ſupra naturam hebetante vires inimicas, quæ morti inferendæ admouentur;) ipſum tamen Chriſtianum athletam, ad charitatis miniſterium ſe accingentem, oportet ita eſſe comparatum animo, ac ſi mori certus eſſet; quod eſt ſanè per quàm probabile. Itaque contemptio vitæ huius, quod eſt totum præmiorum martyrij fundamentum, iuxta D. Auguſtinum, æquè locum habet circa eos de quibus agimus: ac proinde iiſdem digni ſunt præmiis, & æquè ſunt martyres.

4. Quare ſi tollentibus crucem ſuam, ſi abnegantibus ſeipſos, Chriſtúmque ſequentibus, ſi animas ſuas perdentibus, & odio in hac vita habentibus, repoſita eſt ſpes optima; indéque DD. ac PP. non iniuria colligunt certam ſalutem hominis in cauſa fidei mortem obeuntis, ſtatutámque morti illi menſuram gratiæ vltra paſſi meritum rependendæ; quidni idem quoque colligere liceat, aut etiam oporteat, de his aliis æquè crucem ſuam quotidie tollentibus, æquè ſeipſos abnegantibus, æquè perdentibus & æquè odio habentibus animas ſuas? Mihi ſanè nulla ex parte ſublucet diſcrimen. Imo cum hi de quibus agimus, maximè propriè crucem ſuam

quotidie

quotidie tollant ex Chriſti apud Lucam præſcripto,& quamdiu periculoſo miniſterio inſiſtunt,quotidie mori dici queant, iuxta ſuperiùs adductam verborum Apoſtoli ex Chryſoſtomo interpretationem; nec id ita propriè in eos cadere videatur qui in cauſa fidei vna morte defunguntur; & ſæpè,crucem ſuam ad ſummum excipiunt, quia aliter ſalua fide non licet, auerſaturi ſi liceret: Auſim contendere, in his maximè quorum vero martyrio firmando allaboro, valere citata Scripturæ loca; ac vel non vrgere pro iis qui fidem profitentes animam ponunt, (quod nemo dixerit, cum expreſsè aduerſetur Patribus ante prolatis!) vel quod Chriſti verborum cortex æquè fert,æquè aut etiam nonnihil potiore iure, his ſuffragari.

Altera ratio, ex mercede miniſtro Chriſti conſtituta, Ioan. 12.

5. In eundem ſenſum Cardin. Turrecremata in qq. Euangelicis circa Euangelium quod in feſto S. Thomæ Cantuarienſi propoſitum refert, (nunc enim aliud legitur;) vſurpat verba illa Chriſti quæ Ioannis 12. verbis ex eo capite iam propoſitis ſubnectuntur. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illhic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Hæc de martyrum morte ac præmio à Chriſto prolata,cenſet Cardinalis Turrecremata, vir planè doctus vt in Concilio Florentino abundè prodidit. Hic enim eſt Ioannes ille Theologus, qui in prædicto Concilio, Latinorum Theologus, ſanam doctrinam aduerſus Græcos tam nauiter ſolideque tutatus, ad

infulas & purpuram, meritiſſimò euectus eſt. Eidem interpretationi apertè ſuffragatur, (tametſi paulo etiam latiùs verborum illorum ſenſum ex Chriſti mente diffundit,) S. Auguſtinus tract. 51. in Ioan. vbi negat eum in verbis propoſitis dici miniſtrare Chriſto, & grandi illa mercede per Chriſtum propoſita donari, qui neceſſaria ad Chriſti etiamnum ſuperſtitis vitam mortalem, præpararunt; cibum coquentes, vel apponentes, aut dantes poculum, potúmve miſcentes. In huiuſmodi namque operibus, miniſtrauit Chriſto etiam Iudas, cui pars non erat in Chriſti ſermone, nec illhic futurus erat vbi Chriſtus. Inde ergo S. Auguſtinus rectè infert, miniſterium illud Chriſti aliò pertinere: ad eos nimirum, qui non quæ ſua ſunt, quærunt, ſed quæ IESV Chriſti: cum aliis quibuſuis piis operibus propter Chriſtum exercendis, tum maximè Chriſtum ſequẽdo qui animam ſuam « pro nobis poſuit. Itaque ſubdit. [Miniſter eſt Chri- « ſti, vſque ad illud opus magnæ charitatis, quod eſt « animam ſuam pro fratribus ponere. Hoc eſt enim « & pro Chriſto ponere, quia & hoc propter ſua « membra dicturus eſt, cum pro iſtis feciſtis, pro me « feciſtis. De tali quippe opere, etiam ſe miniſtrum « facere & appellare dignatus eſt, vbi ait, ſicut filius « hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & « animam ſuam ponere pro multis. Hinc eſt ergo « vnuſquiſque miniſter Chriſti, vnde eſt, & mini- « ſter Chriſtus. Sic miniſtrantem Chriſto honorifica- « bit pater eius, honore illo magno, vt ſit cum filio « eius, nec vnquam deficiat fœlicitas eius.] Et mox laicos hortatur, ne miniſtrationem huiuſcemodi à « ſe alienam putent. [Nam & illam maximam paſ-

ſionis

ſionis miniſtrationem, multi ex veſtro numero mi- "
niſtrorum, multi non Epiſcopi, neque clerici, iu- "
uenes & virgines, ſenes cum iunioribus, multi "
coniugati & coniugatæ, multi patres matréſque fa- "
milias Chriſto miniſtrantes, etiam animas ſuas in "
eius martyrio poſuerunt,& honorificante patre,co- "
ronas glorioſiſſimas receperunt.] "

Hæc cum ita ſint, quis non videat, eos de quibus agimus, retenta quadam maiore & rigidiore vocum proprietate, miniſtrare Chriſto? quandoquidem non tantùm in Chriſti gratiam ſubeunt mala in quæ incurrunt ad mortem vſque,ſed etiam Chriſto in membris eius inſeruientes, illo ipſo miniſterio pro fratribus defunguntur, quo Chriſtus animam pro nobis ex charitate ponens, perfunctus eſt. Moriuntur enim pro fratribus, & vt eis periclitantibus, corporum & animorum ſubſidia non deſint, vitæ ſuæ periculum volentes adeunt, & in eo animas ponunt. Itaque haud dubiè, vbi Chriſtus erat cum funderet oraculum quod expendimus, erunt etiam ipſi: nempe in æterna fœlicitate, quæ Chriſto quoad animam à vitæ diluculo perpetua fuit. Eos quoque tanquam fideles miniſtros honorificabit Pater,vt vt nunc inglorij videantur;& obſcuri in vita, in morte etiam obſoleuiſſe videantur. Igitur quo iure, ex loco allegato infertur ea martyrum pro fide cæſorum prærogatiua, qua ſtatuuntur preſsè martyres, nempe gratiæ vltra meritum operantis certus prouentus, & gloriæ ei gratiæ reſpondentis aureolæque acceſſio, eodem iure ſtatuendum eſt, his item Chriſti miniſtris, cum illi ſancto miniſterio immoriuntur, & exemplo Chriſti animas pro fratribus ponunt, concedi præ-

rogatiuas prædictas, eſſéque proinde preſsè martyres.

Ratio tertia, ex facto S. Deſiderij, ac ſimilium Paſtorum, in Scripturis collaudato.

6. Poteſt quoque huc aptari miniſterium illud in variis ſcripturis commendatum, nominatímque Ioan. 10. quo boni quidam paſtores, poſuerunt animas ſuas pro ouibus ſuis, & eo præcisè nomine inter martyres recenſentur. Sic enim S. Deſiderius Epiſcopus Lingonenſis, in Romano, & Vſuardi, ac Bedæ, & Adonis martyrologiis, agnoſcitur martyr: Et tamen ea vna irrogatæ illi mortis cauſa profertur, quod cum plebem ſuam ab exercitu Vandalorum & adiunctarum gentium vaſtari videret, bonus paſtor, deploratam ouium conditionem miſeratus, Ducem Vandalorum, cui nomen Craſco, miſeris pacem exoraturus adierit, & in eo charitatis officio, Ducis barbari mandato, ſit trucidatus. Craſcum porrò eiúſque Satellites, in ſanctum virum non exarſiſſe odio fidei, conſtare videtur ex eo quod S. Hieronymus epiſt. ad Ageruchiam quæ eſt 11. & Proſper Tyro in Chronico, cum deſcribunt illam Vandalorum & fœderatarum nationum eluuionem in Gallias, non aiunt, eam hominum colluuiem in odium Chriſtianæ fidei graſſatam; ſed furore barbarico irrumpentem, omnia cædibus, incendiis, rapiníſque miſcuiſſe. Et diſertè quidam Epiſcopus, quem refert, & quoad hoc approbat S. Auguſtinus epiſtol. 180. incurſum Vandalorum, ait duntaxat fuiſſe furorem barbaricum, non fidei ſed opibus infeſtum; ideóque eum vocat *ſterilem*

paſſionum,

paſſionum, id eſt inidoneum ad martyrium, quoad eos qui vi muneris perſtare non tenebantur, vt ſanctus Auguſtinus, dictum meticuloſi illius Epiſcopi, recte reſtrinxit. Mors igitur eo impetu ac ſæuitia per Vandalos irrogata,non eſſet ad verum S. Deſiderij martyrium ſatis. Neque enim cædes eius, innoxij licet,& digniſſimi aliter excipi; poſſet ad martyrium ſufficere. Vnde cum obſcurum ſaltem ſit, an ſanctus hic Præſul,occiſus ſit odio Chriſtianæ fidei, obſcurum item eſſe deberet, fuerítne verus martyr, qualem eum ſtatuunt omnia martyrologia. Ne igitur vel inidoneam, vel ancipitem, dicamus eſſe cauſam martyrij S. Deſiderij, ſtatuendum eſt, illum idcirco martyrem eſſe cenſendum,quia tentans cladem ſuorum auertere, & barbarorum ducem mollire, tanquam importunus interpellator barbaricæ rapacitatis & ſæuitiæ, in eo charitatis opere trucidatus eſt, abſque alio ad Chriſtum reſpectu, quàm imitationis poſitæ ab eo animæ pro ouibus, & exercitij charitatis per Chriſtum commendatæ, cui incumbens S. Antiſtes, truci ac barbaro duci importunus viſus eſt. Eadémque ex cauſa Vincentius S. Deſiderij Archidiaconus, referente Sigeberto anno 408. quo ea clades illata eſt, & nonnulli eodem perfuncti charitatis officio, ac ſanctum Præſulem comitati, per barbarum Ducem æquè obtruncati, cenſentur inter martyres. Quominus enim eos qui cum illo martyrium paſſi produntur, ad plebem promiſcuè tunc cæſam pertinere exiſtimem; facit,quod mors à victore, etiamſi barbarè & iniuſtè irrogata, non ſufficeret ad martyrium. Et alioqui oporteret fateri, innumerabilem vim martyrum cœlis illatam à

Vandalis,

Vandalis, eáque Hyperborearum gentium, colluuiẽ quæ Vandalis adiuncta irrupit in Gallias. Nam quanta tunc ſtrages & clades ſit edita, docent illa S. " Hyeronimi epiſt. 11. [Prẹſentium miſeriarum pauca " percurram. Quod rari hucuſque reſidemus, non " noſtri meriti, ſed Domiui miſericordiæ eſt. Innu- " merabiles, & ferociſſimæ nationes, vniuerſas " Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Py- " renæum eſt, quod Oceano & Rheno includitur, " Quadus, Vuandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, " Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, &, " (ô lugenda Reſpublica,) hoſtes Paunonij vaſta- " runt. Etenim Aſſur venit cum illis. Maguntiacum, " nobilis quondam ciuitas, capta atque ſubuerſa eſt, " & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. " Vangiones, longa obſidione deleti. Remorum vrbs " præpotens, Ambiani, Attrebatæ, extremíque " hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argen- " toratus, tranſlati in Germaniam. Aquitaniæ, No- " uemque populorum, Lugdunenſis, & Narbonen- " ſis prouinciæ, præter paucas vrbes, populatæ ſunt " cunctæ: quas & ipſas, foris gladius, intus vaſtat " fames.] Hæc de ea eluuione S. Hieronymus. Ex quibus quanta internecio per Vandalos ſit illata, perſpicuè liquet. Et tamen ſi S. Deſiderium & paucos ſocios excipias, de aliis tanquam de martyribus, nulla vſpiam mentiò: quod etiamſi barbarè & citra culpam ſuam, vexati, ac cæſi; tamen neque in Chriſtianorum dogmatum odium id eſſent paſſi: neque ad Chriſtianæ charitatis exercitationem, diſcrimen mortis adiſſent, & in eo cecidiſſent, vt S. Deſiderius cum ſociis fecit. Quare obtruncari in opere charitatis, cuius exercendi gra-

tia, prudenter & conſulto numine indueris te in apertum diſcrimen mortis oppetendæ, eſt ad verum & preſsè dictum martyrium omnino ſatis.

7. Quid hinc in rem præſentem inferatur, non eſt obſcurum. Nimirum apertè haberi videtur, æquè deferendum eſſe veri martyrij decus, cuicúnque in aliquo charitatis miniſterio, & propter illud vt à Chriſto commendatum, aut mandatum, animam ponenti. Siue autem miniſterium illud ſit conſilij, ſiue præcepti, perinde erit. Vtroque enim modo, perditur anima propter Chriſtum: ad quem reſpectus aliquis in ea perpeſſione mortis continetur, quatenus ſubleuatio proximi, adiunctam habens mortem, eſt Chriſti doctrinæ conſona, & in Euangelio commendata. Itaque ſiue qui iuuant contactos, id faciant ex muneris ſui obligatione, & ex iuſtitia, vt Parochi; ſiue ex mera charitate ad conſilia ſpectante, aut certè (quod in huiuſmodi calamitatibus non eſt infrequens,) neceſſaria ex præcepto; perinde eſt ad honeſtandam talem mortem nomine ac decore martyrij, ſi in periculoſo illo miniſterio vitam exuant. Nihil verò præterea referre, quod hi contactorum curatores, ab alio non obtruncentur, nec ex eo infringi poſſe argumentum pro illorum vero martyrio petitum ex clade S. Deſiderij, qui ab alio eſt interfectus, demonſtrabo cap. ſequenti, enodans quæ pro contrario placito adducta ſunt cap. 1. Nunc ſufficit, euictum hoc argumento videri, nihil deeſſe quominus qui ſancto iuuandorum lue contactorum miniſterio immoriuntur, ſint verè ac preſsè martyres, ſi non ſtet per defectum irrogatæ ab alio mortis. At hunc defectum non obeſſe, mox liquebit.

Quarta

Quarta ratio, ex commendata per Apoſtolum, poſitione animæ pro fratribus.

8. Non incommodè, teſtimonio ex Euangelio Ioannis, & exemplo S. Deſiderij proximè expenſis, ſubnectam locum ex 1. Ioan. 3. quem S. Proſper in opere de promiſſ. p 2. c.34. annumerat aliis ſcripturis, quas profert vt ſpectantes ad verum martyrium. *In hoc* (inquit dilectus Apoſtolus,) *cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quod enim S. Proſper, eum locum cum cœteris ad verum martyrium pertinentibus recenſuerit, apertè ſignificat, primùm quidem Chriſtum Dominum agnoſci à Proſpero verum martyrem, eo nomine quod animam ſuam pro nobis ex charitate poſuerit, de quo plura parte 4. tractando martyrum conformationem cum Chriſto Domino. Deinde nos quoque veri martyrij lauream conſequi, ſi ex charitate vitam pro fratribus abiicere, & ſancto cuipiam miniſterio immori contingat. Nam quamuis martyres pro fidei dogmatibus occumbentes, aliquo tandem modo dici poſſint pro fratribus quos exemplo ſuo incendunt, animas ponere, tamen longè luculentiùs & directiùs id facere qui in miniſterio charitatis mortem oppetunt, & per ſe patere videtur, & infra p.4. diſtinctiùs tradetur. Vbi etiam liquebit, quæcunque in martyrio pro fide excepto micant; fidem, ſpem, charitatem, fortitudinem, teſtificationem Chriſtianæ veritatis, expreſſiſſimam mortis Chriſti imitationem, pleniſſimum hominis holocauſtum

in

in obſequium numinis, & quæcunque alia ad decus martyrij in cauſa fidei adduci poſſunt, & quibus Deus videtur permotus ad certam gratiæ ac gloriæ menſuram vltra martyris merita rependendam; (quæ eſt martyrij preſsè accepti veluti characteriſtica:) omnia inquam huiuſmodi, æquè ſplendere in martyriò charitatis, ſiue miſericordiæ, vt Ruffinus appellauit. Quæ erit non modica, noſtræ ſententiæ hactenus propoſitæ & ſtabilitæ, confirmatio, vltra proximé adductas. Nunc ad diſſoluenda quæ in contrarium cap. 1. adducta ſunt, veniamus.

CAPVT VI.

Firmamenta contrariæ ſententiæ, & machinæ quibus noſtram impetit, diſiiciuntur.

1. STabilita veritate, ſupereſt vt argumenta contra eam ſuperiùs intorta, poſt conſtitutum controuerſiæ ſtatum, repellamus, & aduerſus ea quæ hactenus aſſeruimus, nullius eſſe efficacitatis demonſtremus.

Ad argumenta in contrarium ex Patrum & Doctorum auctoritate.

Obtendebatur in primis in contrarium, auctoritas omnium retrò Doctorum Scholaſticorum, atque Moralium; itémque SS. Patrum, à quibus hoc martyrij preſsè dicti exemplum pro quo pugnamus, nuſquam profertur: Verùm hæc argumentatio nullius eſt momenti. Ratum quippe apud om-

nes eſt, argumentum ex ſilentio ſiue ab auctoritate negatiua petitum, eſſe inefficax, non modò ſi ſermo ſit de Doctoribus ſacris aut quibuſuis hominibus, ſed etiam ſi ſermo ſit de ipſo Deo. VG. ſi quis contenderet aliquid falſum eſſe, quia nihil tale proditum eſt; friuolum eſſet argumentum, niſi ſi quæreret, an aliquid diuinæ fidei ſubiiciatur. Fides enim reuelatione diuina nititur, & idcirco niſi quod ei ſubiiciendum eſt, fuerit à Deo reuelatum, non ſpectabit ad fidei dogmata. Extra hunc euentum, probatio ex auctoritate negatiua, etiam diuina, leuis omnino eſt momenti. Cum ergo argumentum propoſitum ſit huius farinæ, liquet quàm ſit inefficax: & quàm caſſo impetu, in ſententiam propoſitam intentetur. Præterquàm quod perperam in eo argumento aſſumitur, omnes retrò Doctores & Patres, de ſententia noſtra tacuiſſe, cum non vnum protulerimus ex optimæ notæ Patribus, qui in eam conceſſerunt: & ipſam Eccleſiam, quæ veritatis columna eſt, eidem ſententiæ ſuffragatam eſſe monſtrauerimus.

2. Non eſt operoſius elidere quod continenter ſubdebatur. Nempe aliquos DD. & PP. non modò hoc quod ſtabilire nitimur martyrij genus, preſſiſſe ſilentio, ſed etiam diſertè eſſe inficiatos. Quanquam enim quid ea in parte vni vel alteri recentiori qui adducebatur, viſum ſit in contrarium, non eſt curandum: Tamen de ſancto Cypriano, qui inter Patres nominatim proferebatur aduerſarius, dicendum eſt, nihil ex eo proferri, quod vel in ſpeciem, conſtitutæ à nobis ſententiæ refragetur. Nam quod iis quibus lues timorem faciebat, & ei timori dolorem ob præcluſam martyrij gloriam

obten

obtendebant, reſpondit ſanctus Cyprianus, martyrij decus Deo eſſe permittendum, nihil præſenti cauſæ officit. Hic enim agimus de illis qui contactis iuuandis immoriuntur, eóſque aggregandos preſsè dictis martyribus affirmamus, non autem eos qui quomodocunque lue contacti excedunt, de quibus S. Cypriano ſermo erat. Quo eodem modo, infringitur quod addebatur ex ea S. Cypriani oratione, qua clauum clauo trudens, meticuloſos in mortalitate, ſolatur ex immunitate à ſubeundo martyrio, ſi per eam calamitatem caderent. Nam hac quoque S. Cyprianus in eos intorquet molles Chriſtianos, & delicatos cœli candidatos, qui iuxta Angelicam vocem quam profert, pati timentes, exire quoque metuebant. Qui inquam, & martyrio perfungi pro Chriſto detrectabant cum eius ſe dabat occaſio; (et ſe dabat tunc frequentiſſimè,) & à martyrio excipiendo alieni, peſtem quoque grauatè admittebant. Eos verò qui Chriſtiana generoſitate, in præſentiſſimis mortis diſcriminibus non torpent, ſed propter Chriſtum ne vitæ quidem ſuæ parcunt, vt ſubſidium proximis ex charitate impendant, S. Cyprianus, aduerſus metum graſſantis contagij non roboraret propoſita immunitate à martyrio in cauſa fidei, & à morte per Ethnicos ob Chriſtianam profeſſionem inferenda. Tandem quod S. Cyprianus, affirmabat mortalitatem aptare homines ad martyrium fidei cauſa excipiendum, abſtracto ad Deum à rebus hiſce fluxis, illorum affectu, nihil refert ad rem præſentem. Non enim idcirco falſum eſt, quod dicimus eos qui peſtis tempore ex charitate vitam ſuam alacres impendunt proximis, veri martyrij titulo inſigniendos.

Itaque omnia argumenta, quæ in ſententiam noſtram intentantur ab autoritate, admodum frigent. Eo enim reducuntur omnia, quod autores (ſaltem priſci, & quorum autoritas ſit ineluctabilis,) huiuſce martyrij non meminerint, ſed eius duntaxat quod ex doctrinæ reuelatæ odio infertur. Quod argumentandi genus, cum ſola negatiua autoritate nitatur, futile eſt. Neque verò mirum debet accidere, quod autores ferè non meminerint alterius martyrij, quàm eius quod pro fidei doctrina & teſtificatione ſubitur. Hoc enim eſt martyrium frequentiſſimum, & quo tempore Patrum plerique ſcribebant, quotidianum. Eámque ob cauſam, videtur antonomaſticè dictum eſſe martyrium. Cum è contra, hoc martyrium pro quo pugnamus, ſit admodum infrequens, & interdum vix in pluribus ſeculis alicubi locum habeat. De rarò autem contingentibus, vt logici proloquuntur, non eſt ſcientia. Plerique etiam egiſſe videntur de martyrio, tantum quoad vocis corticem ſpectato. Quia enim martyr, iuxta vocis notionem, idem eſt quod teſtis; & ij formaliſſimè Deo atteſtantur, qui minante licet mortem Tyranno, perſtant in fidei confeſſione inconcuſſi; inde factum videtur, vt receptiſſimus vſus, martyrum nomen ſolis fidei profeſſoribus adſcriberet: non excluſa tamen ſortis paritate apud DEVM, quoad eos qui æquè morte propter Chriſtum defunguntur, in aliis negotiis, etiamſi minus explicitè, minúſque formaliter, teſtes eſſe videantur.

Ad

Ad rationem ex defectu alienæ violentiæ, Chriſtum, aut fidem perſequentis.

3. Sic diſiectis argumentis ab autoritate petitis, non difficile erit rationes quoque euertere. Prima ex eo petebatur, quod mors martyrium preſsè dictum conſtituens, debeat eſſe opus alienæ violentiæ, in fidei odium ſæuientis: quod in iis qui aliis ex charitate iuuandis immoriuntur, non apparet. Verùm alienam violentiam de ratione martyrij eſſe, negat diſertè Abulenſis in.c.13. Matth.q.20. Eſtque certum ſi agatur de aliena violentia phyſicè illata. Conſtat enim SS. pleroſque martyres, ad generoſam fidei ſuæ profeſſionem edendam, & luculentum Chriſtianæ fortitudinis ſpecimen exhibendum, inſiluiſſe vltrò in fornaces Quod de trecentis, quibus ex euentu, *maſſa candida* nomen inditum, itémque de S. Apollonia, & aliis, referunt Eccleſiaſticæ tabulæ. Non paucas etiam SS. mulieres, ſalua martyrij gloria vltro è locis præaltis in ſubiectum ſolum, vel in fluuios ruiſſe præcipites, ad tuendam caſtitatem, vulgatiſſimum eſt, & nonnulla exempla habet S. Ambroſius in opere de virginibus. Quis ergo his Chriſti pugilibus, martyrij decus abroget, idcirco quod nulla ab extrinſeco phyſicè illata violentia occubuerint pro Chriſto? Illatio autem violentiæ ab externa cauſa morali, tum demum eſt ad martyrium neceſſaria, cum mortis oppetitio non eſſet alioqui honeſta. Nam ſi quis, citra noxam, imo cum laude poſſet in mortem pro Chriſto ruere, ex eo ipſo motiuo ex quo alienam violentiam excipit cum fructu martyrij, eſſet haud du-

biè martyr habendus, quamuis violentiæ externæ exſors omni modo: quia illa vltronea mortis aditio honeſta & ſancta, abundè suppleret defectum alienæ violentiæ, ne moraliter quidem adhibitæ. DEVS enim ad coronandum martyrem, eam violentiam non attendit, niſi quatenus mors ab ipſomet homine, inhoneſtè quæreretur, ac cum ſcelere. Si autem mors ab ipſo homine aliquando abſque culpa adiri poſſit; vel vt caſtiùs loquamur, ſi homine diſcrimen apertum mortis honeſtè adeunte, contingat mortem conſequi, quamuis abſque extrinſecus illata violentia, nihil erit, cur ad veritatem martyrij ei morti vendicandam, deſideretur vis externa mortem inferens: quia ſatis eſt quod ex parte paſſi, omnia laudem & coronam promerentia in quæ Deus intendit, & ſcilicet mors honeſtam illam diſcriminis aditionem conſequens, interueniat. At in præſenti negotio, & diſcrimen honeſtè aditur, & mors conſequitur, quam acceptatam ſupponimus ex germaniſsimo martyrij preſsè ſumpti motiuo, cuiuſmodi eſt charitas Chriſti, vrgens miniſtrum diſcrimini ſe committentem; conformatio cum Chriſto, & ſuffragium doctrinæ per Chriſtum reuelatæ exhibitum. Nihil igitur eſt, quorſum aliena violentia, etiam quæ tantùm moralis eſt, neceſſaria eſſe dicatur, ad verum martyrium in hac morte agnoſcendum. Quid verò refert, quod mors, non modò vt oportet excepta, ſed etiam vltrò adita, committendo ſe eius diſcrimini, in quod ſe coniicere, illatæ violentiæ æquiualet, abſque alieno ſcelere inferatur? Non enim DEVS, ad coronandos athletas ſuos in malignitatem hoſtium intendit, ſed in ſeruorum ſuorum affectum, &

motiuum

motiuum ex quo in mortis diſcrimen lubentes irruunt: quod in iſtis, ſuppoſita honeſta aditione diſcriminis ſupplente illationem violentiæ, eſt legitimum martyrij motiuum. Imo in maioris alacritatis & generoſitatis argumentum cedit, quod vltrò quantum in ipſis eſt, mortem laceſſant, nec præſtolentur aliunde irrupturam.

4. Bellè verò in contrarium proferebatur Optatus l. 3. eo quod Donatiſtas increpans dicat, [debetis " attendere ne temerarium ſit, eos martyres appella- " re, qui Chriſtianorum nullum ſenſerunt bellum.] " Et ſtatim addit: [quod bellum, perſecutio dicitur.] " Hoc dico, ineptè intorqueri in ſententiam noſtram. Nam ibi Optatus agit contra rabiem Circumcellionum, qui incentoribus Marculo & Donato factioſorum ſigniferis, à ſubmiſſis per Imperatorem Conſtantem copiis, repreſſi ſunt, quibuſdam letho datis, quos Donatiſtæ iactabant martyres; ſed planè temerè & ridiculè, iuxta Optatum; cum mors illis per publicos miniſtros, illata non fuiſſet in odium fidei ſiue per Chriſtianum bellum, ſed ad iuſtam ſcelerum caſtigationem. Vbi cum ageretur de morte noxiis illata à vero martyrio ſecernenda, ad idque ſufficeret illam conferre cum vulgari martyrio quod per alienam violentiam infertur, non erat cur S. Optatus, alterius præterea veri martyrij, ſi quod erat, mentionem faceret, ab inſtituto illius planè alienam.

Ex dictis inſuper, exciſum manet quod addebabatur, neceſſarium eſſe ad martyrium, vt mors ob Chriſti odium inferatur. Id enim verum eſt, cum mors infertur per violentiam, phyſicè aut moraliter ab alio illatam. At cum mors ſubitur nulla interue-

niente cauſa externa violentiam inferente, ſed ipſe ſibi homo quodammodò vim infert, honeſtè & ſanctè, nempe adeundo diſcrimen, ſicque dando in ſe locum cauſæ virulentæ & lethiferæ ad quam mors conſequitur; tunc quamuis homo teneat perſecutoris locum, non exigitur tamen vt agat ex motiuo illo deteſtabili, quod formalis perſecutor propoſitum habet: ſed ſatis eſt, ſi operetur ex illo ſanctiſſimo motiuo, ex quo conuenit paſſum mortem excipere cum martyr & perſecutor ſecernuntur. Hoc autem motiuum, eſt, pati propter DEVM & doctrinam reuelatam. Id enim eſſe germanum martyrij motiuum ex parte paſſi, ſuppoſita aliunde formali vel æquiualente illatione violentiæ; abundè monſtratum eſt p.2. Igitur cum hîc habeamus violentiam æquiualentem, & ex parte paſſi nihil deſit ad verum martyrium; non eſt quod timeamus abſolutioni & perfectioni huius martyrij, ex eo quod mors non inferatur per odium doctrinæ reuelatæ, aut Chriſti, aut Dei. Fingamus porrò, quod citra figmentum accidiſſe quandoque videtur: Nimirum aliquos ex iis qui occidendis SS. Apoſtolis & Chriſtianæ doctrinæ præconibus, arbitrabantur obſequium ſe præſtare Deo, per ignorantiam inculpabilem ſic ſe geſſiſſe, & ex motiuo per inuincibilem errorem honeſto, mortem Sanctis Dei teſtibus irrogaſſe. Nemo ſanè idcirco negauerit, Sanctos ſic cæſos ex honeſto motiuo, & per accidens abſque ſcelere, & odio Dei; imo ex virtute & zelo diuini honoris obtruncatos, verè martyres extitiſſe. Igitur quod in re noſtra deficiat turpe motiuum ex parte eius qui æquiualenter infert violentiam, hoc eſt ex parte paſſi vltro incur-

rentis in diſcrimen,nihil derogat perfectioni huius martyrij. Imo inſignis quædam eius præcellentia agnoſcenda eſt,ex eo capite quod peragatur abſque offenſa Dei, ſítque vndecunque innocentiſſimum.

Expenſio exemplorum, ex quorum paritate, impetebatur præterea noſtra ſententia.

5. In argumento quod continenter addebatur, conglobabãtur exempla eorum quos clarum videtur non eſſe preſsè ac propriè martyres, quamuis videantur eodem eſſe loco, quo illi qui immòriuntur miniſterio proximos ſubleuandi ex charitate. Dicendum verò eſt, aliquos in exemplis illis prolatos, eſſe planè eodem loco, quo iſtos quibus veri martyrij prærogatiuam vendicamus: alios autem longè diuerſa eſſe conditione, & idcirco mirum non eſſe, quod in martyrum album non ſint referendi. In primo ordine, colloco illos qui conſcij diſcriminis ſubeundæ mortis in exercitio operis ſupernaturaliter honeſti,ad quod prudenter & ſanctè aggrediuntur, nihilominus non reſiliunt, ſed alacriter propter Chriſtum, & vt doctrinæ reuelatæ approbationem opere exhibeant, irruunt in periculum cui etiam ſuccumbunt. Vt religioſus ille, qui in obedientiæ Chriſtianæ, imo religioſæ executione, vitam poneret, non caſu ac non præcognito mortis diſcrimine, atque adeò neque acceptato, ſed vltrò, & vt honeſtatem ſupernaturalem iis licet aſperitatibus circunſeptam,captaret. Itémque is, qui ad opitulandum proximo de ſubmerſione periclitanti, deſilit prudenter in aquas. probè conſcius diſcriminis quod adit; tantùm vt eo Chri-

ſtianæ charitatis officio defungatur, & proximum morti ſubducat, iuxta Chriſti doctrinam. Hos ego ac ſimiles, eodem planè loco habeo, quo illos de quibus hic agitur. Eſt enim perſpicuè eadem ratio: atque adeò omnes æquè martyrij prærogatiua inſigniendos, contendo. Nec timendum idcirco eſt nimiæ martyrum multitudini. Non enim adeò multi ſunt, qui prudenter ſumma huiuſmodi diſcrimina adeant, tantùm vt exerceant opus Chriſtianæ in alios charitatis, alteriúſue honeſtatis reuelatæ. Et vt innumeri eſſent, ac ſuper arenam multiplicarentur, non eſſet abbreuiata manus Domini, in cuius domo abundè eſſet gloriæ & diuitiarum, vnde omnibus idonea præmia rependantur.

6. At qui ad lucellum aliquod captandum, in propoſita diſcrimina irruerent; vel reciperent hic mercedem ſuam, ſi ea lucri captatio eſſet inordinata, vt non difficile poteſt contingere: eſsétque ea pretij ob actum virtutis malè elicitum captatio, multo vituperabilior quàm ea in cuius inſectatione multus eſt Plato in Protagora: & ob quam Socrates apud Xenophontem l. 1. memorab. Sophiſtas πόρνους, ſcorta & catamitos nominabat, quia virtutis doctrinam, mercede proſtituebant: nundinantes iuuentutis inſtitutionem, & inde ſibi depoſcentes ſalaria. Vel certè quamuis qui lucrum captarent ex miniſterio de quo agimus, prudenter & honeſtè agerent, vt poteſt etiam contingere, tamen ita acciperent à Deo meriti ſui compenſationem operi operantis debitam, vt nihil ſibi ex opere operato rependendum, facerent reliquum: quandoquidem non purè ac ſimpliciter propter Deum, vt exigunt omnes diuinæ promiſſiones

martyri

martyribus propoſitæ, ſed affuſa aqua vino charitatis, id eſt propoſita mercedis humanæ ſpe, operarentur. Deus autem, morti ob vnam ſuam gloriam oppetitæ, decora martyrij voluit repoſita. Nec diſſimiliter philoſophandum eſt, de iis qui ex naturali amore, ægris lue contactis aſſident, eíſque cum laude miniſtrant, vt liberi parentibus, vel parentes liberis, & coniuges inuicem. Quamuis in huiuſmodi perſonis, tale miniſterium laude digniſſimum ſit, poſsítque etiam ingens ſupernaturale meritum procreare, ſi ex regulis operationis ſupernaturaliter meritoriæ exerceatur, & vt dixit Saluianus l. 3. ad Eccleſ. *in naturæ vinculo, Deum cogitent naturarum patrem: & amoris munera, in ſacrificia conuertant.* Tamen mixtura illa humanæ neceſſitudinis, ex qua præſertim impelli videntur qui miniſterium illud erga ſanguine iunctos obeunt, multum remittit de ſupernaturali operis præcellentia: Et vt illud eſſe ſinat dignum præmio, ratione operis operantis, eam tamen efficit inidoneam ad fructum operis operati: qui fructus, ſoli mortis perpeſſioni ex ſupernaturali motiuo, fœcibus humanorum motiuorum non admixto, eſt alligatus. Nam Chriſtus martyrum præmia ſpondens, & oſtentans, dixit, *ſi quis perdiderit animam ſuam propter me*; En *propter me*, atque adeò non ob motiuum turpe aut indifferens: ſed neque ob qualecunque motiuum bonum, cuiuſcunque demum ſit ordinis; ſed ob motiuum ſupernaturale, idque non impurum ſed inferioris honeſtatis admixtæ concretione liberum: alioqui non foret tale, vt poſſet Chriſtus de homine moriente ex eo, dicere, hic propter me mortuus eſt. Cum tamen iis tan-

tùm qui eiuſmodi erunt, conſtituti à Chriſto ſint fructus martyrij, vt liquebit attendenti ad Euangelica oracula in quibus eos fundauimus, rectéque à D. Auguſtino expenſum eſt, ſerm. 100. de diuerſ. c. 2. prolato enim eo Chriſti dicto, Qui perdiderit " animam ſuam propter me, ait Auguſtinus. [Qui " perdiderit *(inquit)* propter me. Tota cauſa eſt. Qui " perdiderit non quomodocunque, non qualibet cau- " ſa, ſed propter me. Illi enim in prophetia iam di- " xerunt martyres: Propter te mortificamur tota die. " Propterea martyrem non facit pœna, ſed cauſa. " Quando Dominus paſſus eſt, tres cruces cauſa diſ- " creuit. Inter duos latrones, crucifixus erat. Hinc " & inde facinoroſi confixi, in medio ipſe. Et tan- " quam illud tribunal eſſet, inſúltantem damnauit, " confitentem coronauit. Quid faciet iudicaturus, ſi " hoc potuit iudicatus? Iam ergo diſcernebat cruces. " Iam ſi pœna interrogaretur, ſimilis erat Chriſtus " latronibus; ſed ſi interroget quis crucem, quare " crucifixus eſt Chriſtus, reſpondet nobis, propter " nos. Dicant ergo illi, & martyres: Et nos mortui " ſumus propter te.] Quotquot igitur per verum martyrium Chriſto configuntur cruci, nullo planè alio, tametſi non malo, aut naturaliter honeſto motiuo, duci debent. Si tamen cognati non aliter in ſanctum illud miniſterium incumberent, quàm laici illi Alexandrini de quibus cap. 4. aut quàm ſacri miniſtri, de quibus ferè ad extraneos comparatis, hactenus egimus, planè ipſi quoque accenſerentur veris martyribus, ſi in illo pio cognatorum ſubſidio, mortem oppeterent.

Denique de morientibus quia inquinationem corporis refugerunt; (ſi qui ſunt qui idcirco moriantur,

riantur, quod puto falſum,) dicendum eſt non eſſe martyres. Eadem quippe eorum ratio eſt quæ noxiorum, qui cum poſſent mentiendo defugere iuſta ſupplicia, malunt eis ſubiacere quàm mentiri, & idcirco moriuntur: quos tamen martyres non eſſe ſupra oſtendimus, quia non moriuntur ob motiuum legitimum martyrij, ſed ob crimen admiſſum. Ita & hic non propter caſtitatem, ſed ob talem temperationem deprauatam, excedunt é vita. Caſtitas autem obſtat tantùm, ne cauſa illa obitus cum ſcelere auferatur: ſicut veritatis amor obſtat, ne reus cum peccato cauſam mortis obtegat, & veluti ſubducat mentiendo. Itaque neuter eſt martyr ſic moriens,

Diſſoluitur argumentum ex contrapugnatione.

7. Argumentum quod poſtea ſubiiciebatur ex contrapugnatione, imbelle eſt, ſi rectè inſtituatur proportio, inter martyrium in cauſa fidei, & martyrium miſericordiæ de quo agimus. Vtrinque enim exulare debet ſimilis contrapugnatio. Sicut ergo contrapugnatio aduerſus cauſam liberam à qua mors irrogetur in odium doctrinæ reuelatæ, pugnaret cum veritate martyrij, vt ſupra oſtenſum eſt, par. 2. Ita contrapugnatio aduerſus cauſam liberam, à qua homo precibus, conſilio, imperio, aut quomodolibet aliter, ad pium miniſteriū applicaretur, itémque contrapugnatio aduerſus ipſummet hominem, qui hic eſt ſibi æquiualenter perſecutor, id eſt reniſus contra ſanctum propoſitum liberé ab ipſo homine ſuſceptum, impédendi ſe in hoc opus; pugnaret cum martyrio miſericordiæ, quia
excin

excinderet acceptationem, quæ omnino intima eſt cuiuis martyrio adultorum preſsè dicto. At contrapugnatio aduerſus proximam mortis cauſam merè neceſſariam, non obſcurat huius martyrij decus. Sicut neque ſimilis contrapugnatio aduerſus proximam mortis cauſam neceſſariam, pugnaret cum vero fidei martyrio. Non enim ſi quis à Tyranno, iurato hoſte Chriſtianorum, in odium fidei multis plagis afficeretur, iſque poſtmodum, adhibita curatione tentaret vim vulnerum retundere, ac obſiſtere ne mortem inferrent, cenſendum idcirco eſſet, martyrij gloriam in eo euanuiſſe, morte conſecuta. Similiter ergo in re præſenti, fas eſt ſalua martyrij gloria, & aduerſus panos peſtilentis luis ex pio miniſterio contractos, omni ope conniti, ac ne vitam eripiant impedire; & aduerſus contrahendos communiri, adhibitis alexipharmacis. Nimirum ratio propter quam contrapugnatio aduerſus cauſam liberam excindit martyrij rationem, ea eſt vt attingebam, quod contrapugnatio illa excludat mortis acceptationem, ad martyrium omnino neceſſariam, & remoueat conformitatem cum Chriſto, qui cum pateretur non comminabatur. Quomodò enim mortem acceptat, qui omni ſtudio auertit? Quomodo item Chriſto agno, atrociſſimè abſque voce in lanios ſuos iugulato, aſſimilaretur, qui inſectantibus aduerſatur, aut etiam pro malis reponit mala? Cum verò contrapugnatio eſt duntaxat aduerſus cauſam neceſſariam, ceſſant omnia hæc incommoda, nec ambiguum eſt quomodò mors liberrimè acceptata ſit in ſua cauſa: nempe in voluntaria diſcriminis præcogniti aditione,

aditione, & applicatione ad tale miniſterium, ex quo conſecutura prænoſcebatur.

Item quod ex fidei teſtificatione, martyrio neceſſaria, petebatur.

8. Aliud argumentum in contrarium, ducebatur ex notione vocis. Quia enim martyr idem eſt quod teſtis, teſtificatio autem non videtur locum habere niſi corã hoſte fidei; inde inferebatur eos de quibus agimus, vt nomine, ita & notione martyrũ nomini ſubiecta, deſtitutos eſſe. Verùm cõpetere his quoq; teſtificationẽ Chriſtianæ doctrinæ, & quidem luculentã & eximiã, proximè monſtrabo. Vnde liquebit, hos quoque teſtimonio fidei probari, nec hoc martyrium ita appellari *charitatis*, quaſi excludatur fidei per illud teſtificatio, aut quaſi non æquè pro fidei doctrina ſubeatur, ac cum quis pro caſtitate retinenda occiditur: Sed tantùm appellari *charitatis*, quia opus in cuius exercitatione diſcrimen mortis aditur, pertinet ſuapte natura ad charitatem. Eſt ergo in huiuſmodi morte, teſtificatio fidei, & veritatis alicuius reuelatæ. Quod ſi quis mallet negare in huiuſmodi miniſterio vllam cerni teſtificationem veritatis reuelatæ, addendum ei eſſet, talem teſtificationem non eſſe vniuersè de ratione martyrij ſecundùm quidditatem ſuam ſpectari: quamuis in ea morte propter Chriſtum, quæ frequentiſſima olim fuit, emineat talis teſtificatio, indéque martyrij nomen extenſum ſit ad omnem mortem ſimilis conditionis, & feracem gratiæ quaſi ex opere operato. Qua ratione videmus, in aliis pleriſque rebus nomina vltra quàm vocis cortex ferat,

ferat, ſæpè exporrigi. V.G. nomen *Eunuchi*, quod ex primæua notione ſemiuirum denotat;quia olim huiuſmodi entibus diminutis, excubiæ in principum aulis demandabantur, extenſum poſtea eſt ad alios deſignandos, in quos procedente tempore tranſlata eſt ea functio: ita vt ab vſu antiquo, qui poſtea muneribus illis diſtenti fuere, dicerentur Eunuchi, quamuis coniugio illigarentur, vt patet ex Geneſ. 39. *Excelſa* item à primo & frequentiore vſu dicta ſunt, quæ poſtea etiam in vallibus ſunt conſtituta. Nomen quoque martyrologij quod olim ſonabat duntaxat indiculum SS. Martyrum, vt liquet ex S. Gregorio 7. regiſtri indict. 1. epiſt. 29. nunc extenſum eſt ad ſyllabum plurimorum aliorum Sanctorum, Confeſſorum, ac SS. Virginum. Similiter ergo quia primo & frequentiùs, mors gratiæ ferax quaſi ex opere operato, nomen martyrij tulit, ob conſertam ei teſtificationem veritatis, factum eſt vt omnis eiuſmodi mors quamuis carens talis teſtificationis adiunctione, nomine martyrij donaretur, quod ſpectato vocis cortice non fuiſſet ita diffundendum.

Cur oretur pro immortuis miniſterio charitatis, ſi verè ſunt martyres.

Poſtremum argumentum petebatur ex vſu orandi, & ſacrificia offerendi, pro iis qui immoriuntur miniſterio iuuandi lue contactos, cum tamen extra controuerſiam ſit iniuriam facere martyri, qui orat pro martyre. Hoc argumentum, nego eſſe idoneum, ac ſatis firmum. Et inprimis, mihi non ſatis conſtat, quis vſus hac in parte vniuerſaliter vigeat.

Suppoſita

Suppoſita autem vniuerſalitate, vel etiam frequentia maiore, & communiore vſurpatione vſus illius; erit qui illud reponat ex Concilio Carthaginenſi, apud Auguſtinum lib. 6. de baptiſ. c. 37. [In Euangelio Dominus dicit, Ego ſum veritas, non ego ſum conſuetudo; itaque veritate manifeſtata, cedat conſuetudo veritati.] Quod eſt ex Tertulliano depromptum l. de veland. virg. cap. 1. & firmatur in Concilio Turon. ſub Alexandro 3. ſanciente, veritati, nullam quantumuis inolitam conſuetudinem præſcribere; nec inualeſcere errorem longo temporum ductu, ſed augeſcere. Breuiter & concinnè idem tradit S. Cyprianus epiſt. 74. cum ait, [conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt.] Pulchrè item in eandem ſententiam diſſerit inter externos Dio Chryſoſtomus orat. 31. Erit inquam qui contra ſtatuat, vſum illum ad abuſum pertinere: & ex non ſatis explorata veritate ſententiæ cui ſubſcripſimus, inductum probabiliter atque retentum fuiſſe, ab iis qui aliter opinabantur. Ego verò ea ſuppoſitione facta, (ſiue poſito quod generalis vel etiam communior vſus ferat, vt Chriſtiana ſuffragia perſonis de quibus agimus impendantur;) illud inprimis ſtatuo, nihil eſſe hac in parte abſque Eccleſiæ præſcripto nouandum; neque priuato alicuius ſenſu aut iudicio, mouendos eſſe terminos quos poſuerunt Patres noſtri. Cum enim ſententia cui adhæreo, à me non venditetur vt indubitata, & adeò certa, vt negem poſſe ei ſubeſſe falſum; planè conſultius eſt, donec plenior lux affulgeat, & interpoſita maiorum auctoritas aliter pronunciet, trito itineri inſiſtere. Si enim ſententia cui adhæſi, deſtituatur veritate, malè omnino perſonæ de aliis

tam

tam benè meritæ, in quibus poſſet aliquid de peccati rubigine extergendum ſupereſſe, Chriſtianis ſuffragiis fraudarentur, propter incertum opinionis ſpeculatiuè probabilis, nec inanibus probationibus ad conciliandam probabilitatem ſufficientibus, ſtabilitæ, ſed tamen reipſa falſæ. Si autem vera eſt ſententia cui adhæſi, nullum erit ſuffragiorum iiſdem impenſorum diſpendium. Cedent enim theſauro communi Eccleſiæ, & aliis egentibus prodeſſe poterunt. Nec vlla perſonis de quibus egimus, inferetur iniuria, pro eis orando, & ſuffragia exhibendo; quia quamdiu Eccleſiaſtica vindicatio non interceſſit, nulli indubitata eſt martyris dignitas, quantumuis in Chriſti cauſa, & ex idoneo ad martyrium titulo, obiiſſe videatur. Sanè abſque iniuria eius qui in fidei odium ſit cæſus, negantur ei honores cœlitibus in Eccleſia exhiberi ſoliti, donec per Eccleſiam ſtatuatur, illum verè eſſe cæſum pro Chriſto, & martyrum honoribus affici debere; quæ eſt Eccleſiaſtica vindicatio, vt antiqui Patres appellant. Imo reprehenſione dignum eſt, ante huiuſmodi vindicationem, proſequi aliquem honoribus martyrum, eóque cultu qui in Eccleſia, probatis, & autoritate maiorum exploratis Chriſti martyribus, eſt proprius, vt apertè tradit S. Optatus l. 1. contra Parmen. referens reprehenſam à Cæciliano Lucillam potentem ac factioſam mulierem, quæ os neſcio cuius, vt ferebatur, martyris, ſed tamen non vindicati, manè ieiuna oſculabatur. Idem confirmat S. Auguſtinus in breuic. collat. diei tertiæ cap. 13. adducens conſulta Secundi Epiſcopi Tigiſitani in Numidia, ad Menſurium Epiſcopum Carthaginenſem, & Africæ primatem: huiúſque reſ-

cripta

cripta de quibuſdã cultu martyribus ſolemni proſequendis, expunctis aliis. Atqui affici cœleſtibus martyrum honoribus, & ſuffragiis Chriſtianis nõ egere, tam nexa ſunt, vt diſiungi nequeant & vel ſimul alicui competant, vel ſimul negẽtur. Igitur quandoquidem perſonæ de quibus agimus, ante interpoſitam Eccleſiaſticam vindicationem, abſque iniuria non coluntur cultu martyrum; abſque iniuria quoque, iiſdem ſuffragiis quibus alij piè in Chriſto mortui, donabuntur. Quare ex vſu illo, orandi & ſuffragia impendendi, perſonis de quibus egimus, etiam ſi dicatur eſſe vniuerſaliter atque vbiuis probatus, tantùm ſequitur quod vltrò dedimus; nempe ſententiam noſtram vſquequaque certam non eſſe, aut talem, vt ex ea priuato tantum cuiuſque arbitrio fas ſit, ante Eccleſiaſticum decretum, nouare aliquid circa defunctos de quibus actum eſt. Quod tamen Theologis, in quibus per Eccleſiam licet, ſolemne eſt; ſenſum meum, non Eccleſiæ tantùm, aduerſus quam hiſcere ſcelus fuerit, verùm etiam peritorum iudicio permittens, quid ex dictis tota ſuperiori diſputatione ſequatur, oſtendo. Nimirum ſi Eccleſiaſtica vindicatio, (quæ æquè perſonis in cauſa fidei mortuis, vt martyres habeantur, neceſſaria eſt;) intercedat; hos quoque quos verè martyres eſſe monſtratum eſt, non ſuffragia mortalium, ſed honores expoſcere: nec fundendas pro eis preces, aut offerenda ſacrificia, tanquam pro non plenè nitentibus, ſed tanquam per mortem cœlo illatos, & æternæ ſalutis citra omnem expiatricum flammarum perpeſſionem planè certos habendos videri.

PARS QVARTA.

Contentio decorum vtriuſque Martyrij propriè dicti.

HABEMVS, mortem in diſcrimine propter Chriſtũ adito conſecutam, iiſdem apud Deũ honeſtari ſpecialis gratiæ ac gloriæ fructibus, quibus exornatur mors illata ob redditum diuinæ fidei teſtimonium, quod eſt vulgare & indubitatum martyrium preſſè dictum. Sequitur, vt vtriuſque huius martyrij, fidei vnũ; alterum charitatis, vel miſericordiæ dicere cum Ruffino liceat:) huius inquam vtriuſque martyrij ornamẽta comparemus, & vtrum alteri præſtet diſcutiamus. Quamuis enim mortis perpeſſio quæ eſt vtriuſque velut formale, & vltimum conſtitutiuum, ſit vtrobique eiuſdem rationis; tamen quæ morti in vtroque præcurrunt, & ad fructuum augmentum etiam ex opere operato cauſandum, plurimùm conferunt, poſſunt diſſimilia & inæqualiter perfecta adhiberi. Et penes ea quoque, tanquam adiuncta & intima, perfectio totius complexi, ex morte & illis diſpoſitionibus conſti-

tuti,

tuti, quod martyrij nomen implet, attendi debet. Quare eorum comparatio, inſtituenda meritò videtur. Sunt autem hæc, quorum facienda occurrit contentio. Splẽdor virtutum Theologicarum fidei, ſpei, & charitatis: itémque moralium infuſarum, fortitudinis præſertim; cui adiungitur configuratio cum Chriſto teſte fideli, & martyrum primicerio fortiſſimo, cui omnes alij ſuccenturiantur Martyres: ac denique religionis, qua homo Deo litat; rationabilis hoſtiæ, hoc eſt ſui ipſius immolatione. Quibus vtrinque collatis & ritè libratis, non difficilè erit, de ſtatuenda externarum vtriuſque martyrij prærogatiuarum, atque honorum noſtrorum, non diſſimili menſura pronunciare.

CAPVT I.

Inſignis vtriuſque martyrÿ preſſè dicti, fides. Vtrobique item expreſſiſſimum martyrium; ſiue doctrinæ reuelatæ teſtificatio luculenta.

1. PRæmitto virtutes Theologicas, non modò quia moralibus quibuſuis præcellunt, ſed etiam quia fides, quæ inter Theologicas naturæ & generationis ordine prima eſt, morales virtutes infuſas dirigit, eíſque prælucet. Quod enim Pru-

dentia acquiſita & merè naturalis, virtutibus purè moralibus præſtat, hoc fides ad certam materiam reſtricta, facit in ſupernaturali ſerie actuum humanorum, primam fidei conſertionem ſubſequentium, vt ſuo loco monſtratum eſt. Quia verò quod corde creditur ad iuſtitiam, ore confitendum eſt ad ſalutem, iis quæ de interna fide dicam, adiungam quæ ſpectant ad externam eius expreſſionem, & teſtificationem, per vtrumque hoc martyrium.

Fides martyrum, à Tyranno Chriſtianitatis hoſte cæſorum, quàm luculenta.

Fides ergo tantoperè micat in iis qui ob Chriſti fidem mortem oppetunt, vt S. Auguſtinus ſerm. 14. de verb. Apoſt. dicere non dubitarit, *ideò martyres quia fideles.* Et in Pſalm. 127. martyres hîc, inter tormenta & horrorem crudelitatis, eximio ſpiritualis viſus acumine quod in fide ſitum eſt, viguiſſe, ita demonſtrat. [Quãta mala paſſi ſunt martyres, quanta exitia quanta tormenta? ſquallores carcerum, ſtricturas catenarum, ſæuitias ferarum, ardorem flammarum, aculeos contumeliarum. Iſta omnia, paſſi eſſent, niſi neſcio quid viderent, quo tenderent; quod ad huius ſeculi felicitatem non pertinet?] Quaſi dicat, non vſque adeò deſipiebant, vt niſi obuerſata fuiſſent fidei oculis æterna bona, fuiſſent præſentia quæ tenebant deſpecturi. Magna itaque in eis fides iuxta Auguſtinum. Pulchrè item præcellentiam fidei, in martyrio pro religione ac fide inito, attigit Lucif. Calarit. l. quod moriendum ſit pro Dei filio, vocans mortem quam martyr oppetit, *non iacturam, ſed fænerationem fidei,*

dei. Quia enim mors illa, coram Deo pretioſiſſima, fructibus ſupra vitæ ſortem immenſis aliquando rependendis cumulatur, iure dicitur *fœneratio.* Dicitur autem eſſe *fœneratio fidei*, quia fidem eſſe oportet in martyre omnino præcellentem, qua, intentus in ea quæ oculis corporis non obiiciuntur, præſentia calcet.

2. Ad eandem mentem S. Ambroſius, vel quiſquis alius, ex variis plagulis homiliarum Eucherij Lugdunenſis vnam contexuit de SS. Nazario & Celſo, (eſt apud Ambroſium ſerm. 93. & in miſcellaneis Voſſij ſermone de martyribus qui S. Auguſtini nomine circumfertur, aliter interpolatus habetur) Sanctos illos martyres quos ibi exornat, vocat *fidei principes*, ab eximia fide, patiendo & moriendo prodita, quæ omnibus æquè martyribus eſt communis. Idem *matrem martyrij* vocat fidem, quam in eis ſingulari veneratione proſequendam ſtatuit, [quod ab iſtis dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, ſpes immortalitatis euidenter aſſeritur. Nunquam enim hanc vitam ſuam tam conſtanter expenderent, niſi eſſe alteram incomparabiliter beatiorem, perfecta definitione ſentirent.] Diuinè S. Eulogius in Apolog. [Sane omnium virtutum radix ac fundamentum, fides eſt, quæ certantes adiuuat, vincentes coronat, & cœleſti dono quoſdam, effectu ſignorum remunerat. Nihil eſt enim quod ſyncerae fidei denegetur, quia nec aliud à nobis Deus, quam fidem exigit. Hanc diligit, hanc requirit, huic cuncta promittit & tribuit. Fides (*inquit*) tua te ſaluũ fecit. Et; eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Nihil ergo fidei ſubtraxit, nihil ei impoſſibile eſſe depromit.]

3. Similia præclarè Laurentius Iuſtinianus in ligno vitæ tract.de fide cap. 5. & illuſtriſſimè initio ſermonis de S. Laurentio, vbi ſic diſſerit. Martyres
« [nouimus homines fuiſſe, vt nos de eadem maſſa
« conditos, pari conditione formatos, conceptos &
« genitos. Naturam non alteram carnis habuere
« quam nos. Senſerunt vtique carnis aculeos, inna-
« tas concupiſcentias, corruptibilitatem corporis,
« Diaboli tentamenta, oblectamenta ſeculi, inordi-
« natos motus, impudicitiæ ardorem, & huiuſmo-
« di millia, quæ de fomitis pullulatione proueniunt.
« Vnde autem illis tam glorioſa victoria, magnani-
« mitas tanta, atque inexpugnabile robur? Non vti-
« que dixerim aliunde, quàm ex illuminatione fidei,
« ac veritatis agnitæ ſcientia certa. Fidei ſiquidem
« irradiatione edocti, vicerunt ſeculum, ſpreuerunt
« regna, tormenta calcarunt, ſuperauerunt hoſtes,
« non exhorruerunt carceres, non ignem, non gla-
« dium, non pœnam, non mortem. Poterant in fi-
« dei lumine, futuris metiri præſentia, atque in æter-
« norum concupiſcentia flagrare vehementer. Quis
« rationis compos, non commutaret lutum pro au-
« ro, pro gemmis petras, pro ornatis ædibus tento-
« ria vilia? Quis inquam, vt immortale acquireret
« regnum, momentaneam poteſtatem non fugeret?
« Quis vt ſpirituales delicias poſſideret, voluptuo-
« ſas carnis non abhorreret illecebras? Deum planè
« quiſquis agnoſceret, amori illius, vniuerſa poſt-
« poneret: parui penderet viſibilia, laudabilitérque
« odiret ſe; Quamobrem vt ex ignorantia ſummi bo-
« ni, terrena delectant: ita ex cognitione vileſcunt.]
Hæc autem ſummi boni noſtri quod ſupernaturale eſt vera cognitio, in huius vitæ ſcammate, non

eſt

eſt alia quàm fides, quæ proinde fuit in martyribus illuſtriſſima. Sed quid teſtimonia Doctorum emendicamus, cum ipſe Apoſtolus, in luculento illo fidei encomio quod pangit cap. 11. ad Hebr. fidei tribuat, quod ſancti martyres regna vicerint, fortes facti ſint in bello, ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſint, ſecti ſint, tentati ſint, in occiſione gladij mortui ſint, omnem denique Satanæ pharetram in ſe vacuatam, illæſi exceperint?

Ei fidei ſplendori, quàm bellè reſpondeat fides iuuandis peſte contactis immorientium.

4. Hæc & alia magnificè, ac ſplendidè, nec ſupra verum, de fide Sanctorum in cauſa fidei vitam ponentium, dici non diffiteor. Sed poſſe non minus gloriosè celebrari fidem eorum qui in miniſterio charitatis occumbunt, ex eo liquet, quod æquè iſti, quæ videntur conculcantes, & dulcem vitam nihili ducentes præ Chriſto, ſuſpiciunt ſola æterna, quæ fides exhibet. Imo cum martyr in cauſa fidei, plerunque excedat molli admodum exitu, (certè breui, nec moræ longioris quàm machæræ exſertio & impactio depoſcat,) ſicque ærumnas ſuas abrumpens, illico educatur, ad eorum fructum quæ fide percepit, vſu ipſo colligendum: E contra, in hoc miniſterio, per longum ſæpè ac diuturnum tempus hærendum eſt, quotidie moriendo, imo in horas ſingulas, ac etiam ſingulis horis multoties. Quod ſi iuxta S. Gregorij Nazianzeni inſigne pronunciatum orat. 2. in Iulia. [Quod quiſque pati " extimeſcit, id paſſus eſt, etiamſi non patiatur: "

" grauiúſque à ſe fortaſſis quàm ab iis qui ſuppli-
" cium inferunt, torquetur:] Euidentiſſimum profectò eſt, in iugi, nec intermiſſo plerunque ad longum tempus mortis metu, quis fidei vigor, quæ eius perfectio longè ſupra vulgarem ſit neceſſaria, vt oſtentatione æternorum bonorum, & præmonſtratione ſanitatis nunquam temerandæ, iis à Chriſto repoſitæ, qui veſtigia ab illo impreſſa relegentes, poſuerint pro fratribus animas, firmentur in concepto per fidem ſancto odio ſui ipſorum, & illis à quibus ingratiſſimè plerunque excipiuntur, ſemper alacres & vegeti ſuperimpendantur, hebetato aut etiam diſcuſſo, mortis metu. *Qui enim timet, adhuc non credit*, vt eſt apud Auguſtinum l. 2. de conſolat. pro mortuis c. 4. Clariùs verò & apertiùs prodetur is quem in iſtis celebro fidei vigor, quod fidei martyres, cum periclitante fide ad martyrium ſubeundum obfirmant animum, in eo ſunt rerum articulo, vt nequaquam ſit eis liberum reſilire, ſaltem maxima ex parte, & frequentiſſimè. Vel enim moriendum eſt fortiter, ad fidei indemnitatem retinendam, vel ruendum in voraginem defectionis. Et quanquam ea fortiter agendi neceſſitas, laudem ſuam ac meritum generoſæ voluntati non tollat, tamen multò apertius eſt, quo loco ac gradu ſit apud hominem, fides, ſi in diſcrimen certum mortis inuolare non vereatur, nulla adactus periclitantis fidei & alioqui euertendæ neceſſitate, ſed tantùm vt prodat quanti apud eum ſint, quæ fide prælucente, amplectenda cognoſcit. Qui operandi modus, in maxima eorum parte qui ad iuuandos ex charitate ęgros accurrunt, locum habet: cum ſcilicet ſecluſa iuſtitiæ, & charitatis,

ritatis, & alterius cuiuſcunque virtutis indeclinabili citra culpam obligatione, per fidem præſagientes æterna bona tantæ virtuti repoſita, vltrò incurrunt in diſcrimina longè grauiſſima, & mortis metum conculcant. Conſtat igitur quàm vtrunque preſſè dictum martyrium, ſit nobile fidei virtute, quæ vt eſt apud Saluianum epiſt. 1. *omnibus ſemper ornatibus, ornamento eſt, quia ſine hac nihil tam ornatum eſt quod ornare poſſit.*

Fidei exprомptio & teſtificatio vtrobique.

5. Neutrobíque porrò ita interiùs abditur fides, vt ad externam profeſſionem, & conteſtationem non prodeat. Quin potius vtrunque martyrium quod componimus, luculentam continet doctrinæ reuelatæ teſtificationem. Et martyrium quidem in cauſa fidei, non eſt dubium quin fidei atteſtetur. Modum verò atteſtandi S. Cyprianus ſub initium libri de laude martyrij his verbis expoſuit, agens de martyrio. [Per hoc & teſtimonium nomini redditur, & maieſtas nominis redampliatur. Non quod per ſeipſa minui poſſit, vel de ſcelere tractantis, magnitudo eius infringi; ſed quod redundet ad gloriæ cumulum, dum circumſtrepentis populi terror, impauidos animos dat dolori, & minis frendentis inuidiæ addit ad titulum, quod tantum ſibi mens creſcat in pugna, quantum ſe ille putauerit vincere, per quem Chriſtus hominem voluerit coronare. Tunc ergo omne fidei ...r expanditur, tunc credulitas comprobatur.] ...ſic item Clemens Alexandrinus 4. ſtrom. c. 2. ...s de homine rectè ad martyrium compa-

rato, per philoſophicam, imo Chriſtianam corporis ab anima ſeparationem, quæ eſt proluſio & præexercitatio ad contéptionem exſolutionis phy-
« ſicæ à vinculis corporis. [Is verè feret teſtimo-
« nium, ſi tibi quidem quod ſi in Deum ſincerus &
« germanus fidelis; Tentatori autem, quod fruſtra
« ſit æmulatione percitus in eum qui eſt fidelis per
« dilectionem; Domino autem quod à Deo ſit inſpi-
« rata doctrinæ perſuaſio, à qua non deficiet metu
« mortis. Quin etiam facto confirmat veritatem præ-
« dicationis, potentem eum eſſe oſtendens ad quem
« contendit. Mireris eius dilectionem, quam docet
« euidenter, ei quod eſt cognatum & vnius generis,
« grato animo vnitus: quinetiam pretioſo ſanguine,
« infideles pudore afficiens.]

6. Hæc omnis atteſtatio fidei & doctrinæ reuelatæ, æquè proditur in martyrio charitatis. Nam eos qui foris ſunt pudore afficit, in quibus tanta charitas non flagrat, vt vitam poſt quam nihil habent in ſpe repoſitum, pro aliis prodigant. Eos tamen defixos admiratione, in ſanctum quendam ſtuporem vertit, cum conſiderant quàm aliter pij Chriſtiani erga afflictos ſe gerant, quàm faciant qui ab eis ſunt alieni. Id quod in Alexādrina peſte, & aliis notatum ab Euſebio eſt l.7. hiſtor. cap. 17. & lib.9. cap. 7. Obſeruat enim, cum Ethnici vel in coniunctiſſimos quoſque eſſent inhumaniſſimi; è contra Chriſtianos erga quoſlibet, etiam ſi à fide extraneos, omnem charitatem exprompſiſſe, ídque illis in maxima laude poſitum etiam ab inimicis fuiſſe. Idem charitatis martyr, ſibi teſtimonium fert, quod Deum ſyncerè quærat eiúſque gloriam. Quæ enim alia eſca, horrendæ mortis illex eſſe

poſſit:

poſſit? Inſuper Deo teſtimonium fert, quod ſit vera eius doctrina de fluxis mundi rebus, de æternorum bonorum veritate ac magnitudine, de non quærendis quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti, de committendis Deo ſortibus noſtris, & vitæ temporibus: quod non faciunt pretioſæ in oculis ſuis animæ; quæ ingruente peſte, in fuga ac pedibus ſalutem locant: intuto ſanè perfugio ni Deus faueat, vt diſputat Anaſtaſius Sinaita quæſt. 114. & Athanaſius q. 102. & 103. ad Antiochum, & latè Gabriel Biel. in q. de fuga peſtis, De aliis denique permultis eiuſdem rationis, teſtificationem Deo exhibet martyr de quo agimus: & quidem luculentam & eximiam, quandoquidem vel in aperto mortis periculo, non exhorret teſtificari. Tandem tentatori quoque, ſiue extrinſeco, hoc eſt Satanæ, ſiue intrinſeco, hoc eſt ſuggeſtionibus affectuum remurmurantium, & à Deo, ac deſtinata charitate auocare tentantium, teſtimonium perhibet, quod fruſtra ſudet annitens quatere firmitatem animi Deo deſponſam.

Perhibet verò hoc teſtimonium, factis potiùs & in actu exercito, quàm verbis & in actu ſignato: qui eſt ſanè potentior & expreſſior teſtificandi modus, ad quem omnes æquè pro Chriſto obſtringi, egregiè exponit S. Chryſoſtomus hom. 47. in acta *in morali*, agens de martyribus, omnéſque adhortans vt dignos ſe præbeant, qui ſimiliter ſint idonei teſtes Chriſti. Igitur (*inquit*) teſtificabimur Chriſto; Etenim non illi ſoli, martyres, ſed etiam nos. Ea propter illi dicuntur martyres, quia quum iuberentur confiteri, omnia ſuſtinuerunt vt veritatem dicerent: Et nos quando affectiones noſtræ iubent

conſi

« confiteri , ſuccumbimus. Aurum dicit; dic quod « Chriſtus non eſt Deus. Ne igitur audi tu, quaſi « Deum, ſed contemne illius præcepta. Còncupiſ- « centiæ malæ idem dicunt, ſed tu ne perſuadeare. « Sta fortiter, ne etiam de nobis dicatur; Deum con- « fitentur ſcire, operibus autem negant. Hoc enim « non eſt teſtium, ſed aduerſariorum.] Qui igitur ad Satanæ, & domeſticæ factionis ſibilos obſurdeſcit, perſtátque in concepta obſequendi Deo, & proximo ſubueniendi voluntate; hic diuinæ doctrinæ, potenter, id eſt factis atteſtatur, eiúſque veritatem luculento teſtimonio confirmat. Quod enim benè obſeruauit Turrecremata in qq. Euang. q. 1. ad feſtum decollat. S. Ioannis, proteſtatio veritatum fidei, non fit ſolùm per verba, quibus quis fidem confitetur, ſed etiam per facta, quibus fides interna proditur, iuxta illud, *Et ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Et illud Pauli *factis autem negant.* Et idcirco omnium virtutum opera prout in Deum referuntur, ſunt conteſtationes & teſtificationes quædam, quibus innoteſcit, DEVM illa à nobis depoſcere, & repoſiturum pro illis iuſtam mercedem. Hauſit Turrecremata eam doctrinam ex S. Thoma 2. 2. q. 124. artic. 5. & ſuffragatur Martinus de Magiſtris q. 5. de martyrio *ad argumenta contra primam.*

CAPVT II.

Spes firmiſſima & charitas flagrantiſſima, mortem in proximi ſubſidio ex charitate obitam, æquè ac pro fide exceptam, efficiunt in conſpectu Dei pretioſiſſimam.

1. ORdior Antiochi verbis, homil. 2. [A fide « digreſſi, ad eam progrediamur quæ ſecun- « das obtinet, ſpem: quæ ſanè fidei roſcida aſpergi- « ne perfuſa, fructum affert vnum quidem trigeſi- « mum, alterum ſexageſimum, alium rurſus cen- « teſimum. Spe enim conſtabilita, vix vlla alia virtus, « æquè ſublimis. De charitate autem, quæ tertiam « ſortitur in claſſe virtutum nomenclaturam, primi- « ceria licet ſit, cæteras omnes anteuertens, digni- « tate, poſteriore loco differemus.] «

Decora ſpei, in martyribus pro fide cadentibus.

Spes martyrum in fidei cauſa excedentium, tanta eſt, vt S. Auguſtinus in Pſal. 127. fidenter ſcribat, martyres ratione ſpei qua pollebant, & hic æterna gaudia prægustaſſe, & ad plena bona quæ hic ſperauerant pertigiſſe: ſicque à gaudiis ad gaudia, à fœlicitate ad fœlicitatem tranſlatos eſſe. [Seculi homines (*inquit*,) infeliciter felices ſunt; martyres autem feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, ſed in æternum felices, & in eo ipſo quod erant ad tempus infelices, putabantur magis

« magis infelices quàm erant: Quid enim dicit Apo-
« ſtolus? quaſi triſtes ſemper autem gaudentes. Qua-
« re ſemper? Et hic, & ibi. Prorſus & hic, & ibi. Hic
« enim vnde gaudemus? De ſpe. Ibi vnde gaudemus?
« De re. Magnum gaudium habet ſpes gaudentis. Et
« ſi ſpe gaudentes, videte quid ſequitur: in tribulatio-
« ne patientes. Martyres ergo ideo in tribulatione pa-
« tientes erant, quia ſpe gaudebant. Sed quia non-
« dum erat illud quod promittitur, quod dicit Apo-
« ſtolus, ſpes enim quæ videtur, non eſt ſpes: ſi au-
« tem quod non videmus, ſperamus, per patientiam
« expectamus. Ecce quare omnia martyres pertule-
« runt, quia quod non videbant, per patientiam ex-
« pectabant. Illi qui eos occidebant, quæ videbant
« amabant. Illi qui occidebantur, ad ea quæ non vi-
« debant ſuſpirabant, & ea quæ non videbant appre-
« hendere feſtinabant, & quòd tardiùs occideban-
« tur, moras ſibi fieri arbitrabantur.]

2. Non diſſimiliter diſſerit ſerm. de S. Laurentio, inter ſermones de diuerſis aptans SS. martyribus illud Salomonis. *Spes illorum immortalitate plena eſt*, atque demonſtrans, magnam planè fuiſſe oportere ſpem illam, quæ inter tormenta & cruciatus deſpectione ſuperborum cnmulatos, ſurrigeretur ad fœlicitatem ac poſteriores glorias: nominatímque ad corporis tam miſerè & atrociter habiti plenam quandóque inſtaurarionem, & rediuiuam incolumitatem. Vt poſſit ſanè de quouis martyre in fidei cauſa mortem oppetente, pronunciari, quod de vnius S. Georgij ſpe à Petro Damiani dictum eſt ſermone de eo, poſtquàm egregiè oſtendit Deum martyribus ſecreuiſſe mare ab arida: id eſt temperaſſe procellas impiorum, ne excreſce-

rent

rent vltra quam ferebat opportunitas fructificandi; quo conſilio arida à mari ſecreta eſt, in prima mundi molitione. Subdit ergo Damiani, cum hoc diuino moderamine ſæuiſſe fluctus in martyres, ſed « ſpe fundatos, atque adeò irrito niſu. [Etſi *(inquit)* « vſque ad littus carnis, perſecutionis fluctus efferbuit, ſolidiſſimam tamen animæ eius terram, procella tempeſtuoſi turbinis non inuoluit: nec eum « vorago pelagi furentis abſorbuit; qui ſpei ſuæ anchoram non in putris arenæ ſubſiciuio, ſed in ſoliditate petræ, quæ Chriſtus eſt, fixit. Hinc eſt profectò, quòd veritas ait: qui audit verba mea, & « facit ea, ſimilabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram. Venerunt flumina; « flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, « & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram. « Verè inſignis hic miles Chriſti ſupra petram fidei « ſuæ fundamenta conſtituit, qui præmij cœleſtis intuitu, minas principum ſpreuit, malè blandientium promiſſiones irriſit, carnificum tormenta « contempſit, ferrum, ignes, gladios, ac diuerſa « ſuppliciorum genera inuictæ patientiæ maieſtate « calcauit.]

Ἀπόδοσις ad noſtros pugiles.

3. Laborare battologia videar, ſi hæc & alia quæ circa ſpem martyrum pro religione ac fide obeuntium, propoſui, circa miſericordiæ martyres iterem, doceámue iterari poſſe, cum perſpicuè eadem ſe prodat vtrobique ſpei alacritas & firmitas. Vnde verò his Chriſti athletis, in diuturna iſta agonia, inconcuſſus animi vigor, niſi ex ſpe

firmiſ

firmiſſima, qua prægustant rependendam laboribus in cœlo quietem? Inde is exiſtit delibutæ gaudio voluntatis ſuauiſſimus ſenſus, præ quo bona quæcunque ſenſibilia, & quæ in eis primas facilè ferunt, ſanitas, ac vita ipſa, quibus nihil carnalium hominum palato dulciùs ſapit, non deſipiunt modò, ſed etiam amareſcunt: nec tantum abſque dolore, verùm etiam cum gaudio conculcantur. Mentior ſi non homines noui ac charos habui, qui dum ſanctum hoc miniſterium ambirent, verè candidati æternitatis, cuius ſtipendiis tandem per hanc militiam ditati ſunt, dilatam ſibi certas ob cauſas occaſionem, vitæ pro Chriſto & proximorum bono, expendendæ diſcrimini, ferebant ægerrimê, & quantum per virtutem, & rectè compoſitam voluntatem licebat, impatientiſſimè: Nullum enim ſibi bonum occurrere profitebantur, dignius in quod inuolarent vniuerſo voluntatis impetu, quàm quod cum diuinæ gloriæ tanto fructu, & cum æternorum bonorum certa conſecutione, nexum complicatúmque ſtatuebant. Hoc erectiſſimæ in illis ſpei argumentum locuples, vel indicaſſe, celebraſſe eſt.

Charitas in Deum, quàm ſuccenſa in morientibus pro fide.

4. Iam de charitate SS. Martyrum, cruore ſuo confeſſionem fidei obſignantium, tam multa vbique apud Patres proſtant, vt ferè ſuperflua videri poſſit eius expreſſio. Itaque delibabo duntaxat nonnulla, magno adhibito delectu; & quo affectu in Deum, quo in proximum fuerint, (hi enim duo rami,

rami, ex vno charitatis veluti trunco progerminant,) breuiter edocebo. S. Gregorius in c. 8. Cantic. ad illud *aquæ multæ*, &c. locum illum aptans ad SS. Martyrum charitatem, ita ſcribit: [Charitate martyres ſancti viuaciter ardebant, quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem, aquæ multæ extinguere non poterant, quia quantæcunque tribulationes eis fierent, ad odium eos tranſmutare non valebant. Hoc nimirum foret charitatem extinguere, ſi in tribulationibus quas inferebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuiſſent. Sed cùm aquæ dictæ ſint, quid rurſum per flumina, niſi aquarum ipſarum incrementa, & viuacitas intelligitur? flumina quippe, viuas aquas ſolere dici cognoſcimus. Flumina ergo, maximas tribulationes accipimus: quæ dum per totum orbem ſuper martyres ebullierunt, ad extinguendum charitatis ignem, grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina, adeò charitatis vigor vixit, vt potius flumina conſumeret, quàm ſe ab illis extingui permitteret, ideò multi etiam perſecutorum, ad eandem charitatem ſe conuertebant, ita vt dimitterent quicquid in mundo poſſidebant, & ſeipſos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant.] En fructum, infractæ ad tantam horrendorum malorum molem, SS. martyrum charitatis.

Ex eodem capite, ſuperati timoris cruciatuum, & ingruentium tribulationum, charitatem SS. martyrum petit S. Ambroſius ſerm. 9. in Pſal. 118. in præludio ad illum octonarium, expendens myſticum ſenſum litteræ Teth, eidem præfixæ. Nam præfatus, Teth Latinè dici *excluſionem*, ſubdit.

« [Generaliter quidem charitas excludit timorem.
« Vt miles qui Imperatorem diligit, bella pro Im-
« peratore ſuſcepta non metuit. Vt ſeruus amans
« Dominum, quamuis per dubia, & prærupta mit-
« tatur, tamen omnia pericula Domini amore con-
« temnit; ac ſi quis Dominum petat, ſeipſum offer-
« re non trepidat: Vt qui trans mare poſitos filios vi-
« dere deſiderat, non metuit naufragia, liberorum
« charitate: ingreditur maris fluctus, ſubit incerta
« nauigij: ſed metum diſcriminis leuant deſideria
« filiorum. Quam pulchrè etiam de martyribus dici-
« tur, qui vere militant Chriſto, qui perſecutiones,
« vngulas, gladios, incendia non timentes, infeſtis
« ſe Regibus obtulerunt? Timorem etenim quem
« poterant habere pœnarum, excluſerunt amore
« martyrij.]

5. Quanto autem maiores ſunt turbines affe-ctuum, & fluctus per hæc flabra concitati in anima incompoſita, tanto potentior & fortior proditur vis charitatis eos comprimentis: vt præ tanta affe-ctuum ferocia in eo genere, ob æſtum quo quiſque naturaliter in vitæ ſuæ cuſtodiam & prorogationem fertur; auſit dicere Clemens Alexand. 4. ſtrom. cap. 2. hanc eſſe charitatis conſummationem. Sic
« enim ſcribit de martyre. [Propter ſuam in Domi-
« num dilectionem, lubentiſſimè ab hac vita libe-
« rabitur, habens fortaſsè gratiam, & ei qui cauſam
« præbuit vt hinc exiret, & ei qui molitus eſt inſi-
« dias: honeſta accepta occaſione, quam ipſe non
« præbuit, ſeipſum oſtendendi quiſnam ſit, illi qui-
« dem per tolerantiam; Domino verò, per charitatem
« per quam oſtendebatur Domino, qui etiam ante-
« quam naſcatur, nouit inſtitutum & liberam ani-

mi

mi voluntatem eius qui tulit teſtimonium. Bono «
itaque animo venit ad amicum Dominum, pro «
quo & corpus, atque etiam animam, vt iudices «
expectabant, tradidit: & à ſeruatore noſtro, ô frater «
dilecte, (vt dicam poeticè,) compellatur. Iam «
conſummationem vocamus martyrium, non quod «
vitæ finem homo acceperit, vt reliqui, ſed quod «
perfectum opus oſtenderit charitatis.] «

7. Quod Clemens, charitatis conſummationem, hoc Tertullianus c. 6. Scorpiaci, plenitudinem charitatis ex totis animæ viribus profuſæ, nominaſſe videtur, cum dixit. [Propriè martyribus, «
nihil iam reputari poteſt, quibus in lauacro ipſa «
vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem «
delictorum, quæ Deum ſcilicet diligens ex totis «
viribus ſuis quibus in martyrio decertat, ex tota «
anima ſua quam pro Deo ponit, hominem marty- «
rem excudit.] Totam animam ex totis ſuis viribus «
conniti in dilectionem, martyrium veluti formantem aſſerit: Indéque plenam illam & ſummam nitelam martyris cruento baptiſmo abluti exiſtere docet. Et quanquam nitelæ illius originem, ſuperiùs ex vero fonte ſuo repetiuerimus, tamen plena & conſummata dilectio, qua Tertullianus hominem martyrem excudi dicit, indubitata videtur. Nam etiam S. Bernardus tract. de dilig. Deo, deſcribens eminentiſſimum illum diuini amoris gradum, quo aſſerit hominem *deificari*, & voluntatis motu defœcatiſſimo in eundem cum Deo affectum tranſire, [vt quomodò Deus omnia eſſe vo- «
luit propter ſemetipſum, ſic nos quoque, nec nos «
ipſos, nec aliud aliquid, fuiſſe vel eſſe velimus niſi «
æquè propter ipſum, ob ſolam videlicet ipſius vo- «

« lumtatem, non noſtram voluptatem.] Hunc inquam ſublimiſſimum amoris gradum deſcribens Bernardus, ita eum mortalibus abiudicat, quamdiu peregrinantur à Domino, vt tamen SS. mar-
« tyres [in illis adhuc victoriosis corporibus conſti-
« tutos, eam gratiam vel ex parte aſſecutos] non
« dubitet. [Magna enim (vt ait) vis prorſus amoris,
« illas animas introrſum rapuerat, quæ ita ſua cor-
« pora foris exponere, & tormenta contemne-
« re valuerunt.] Idem, vel quiſquis alius apud eum autor tractatus de paſſione Domini, ex Chriſti cum vite analogia, cap. 3. ſancti cuiuſdam ſtuporis, quo martyres non ad minas tantùm, ſed & ad cruciatus & horrorem immanium tormentorum, ſine ſenſu viſi perſtare, refert in amorem, quo intùs mortui à corde, & à ſeipſis abalienati, ſoli Chriſto viuebant. Eſſe enim charitatis proprium, ſpiritualem huiuſmodi mortem conferre, tradit eleganter S. Paulinus epiſto. 44.

8. Idem fons deſpectionis cruciatuum quantumlibet immanium, ipſiuſque mortis per martyrium flocci factæ, aſſignatur à S. Ephrem orat. in SS. 40.
« Martyres. Sic enim diſſerit. [Martyres toto ſe corde
« ac animo tradiderunt Deo, vt deinceps & ipſam
« mortem, & cunctas inimicas Tyrannorum inſi-
« dias contemnerent: parati ad perferenda verbera,
« & tormentorum neceſſitates, diuerſóſque totius
« corporis cruciatus. Terga in locorum dederunt
« ſectiones, & in varias fibrarum, atque medulla-
« rum conciſiones, Ideóque impij Tyrannorum mi-
« niſtri, quòd ſanguinarij & parricidæ eſſent, arreptos
« ſanctos flagris diuellebant, vnguibus autem latera
« acriter dilacerabant. Poſtea plumbatis dorſa ipſo-

rum

rum atroci animo crudeliter contundebant:pectoris verò iuncturam, acutis verunculis, infrementes atque rugientes truculentarum ferarum inſtar, diffindebant,& eorum axillis globos ignitos admouentes, magna eas crudelitate adurebant: crura ac femora, cum neruis, enſibus præcidebant: venarum autem fiſtulas, cultris diſcindebant; & membrum vel vnum ſine tormento atque ſupplicio non relinquebant,Quin & oſſa ipſorum immaniter confringebant. Atque ideò virtutem à Deo accipiebant, vt cunctas fortiter paſſiones ſuſtinerent; & quaſi ſenſus doloris expertes,ſeſe ad quaſcunque inſidias gerebant; & tanquam in alienis corporibus paterentur: imo & principibus ipſis atque iudicibus audacter inſultabant, & ad maiorem eos iram excitabant,dicentes;ſi grauiora habetis tormenta, admouete nobis:hæc enim nullius momenti ſunt.Quare etiam illi magis incenſi,itaque efferueſcentes,velut immaniſſimæ feræ aduerſus ipſos rugiebant; vocatiſque lictoribus, vehementiùs ſancta fortium pugilum corpora cædenda, dilacerandáque curabant. Illi verò viciſſim ad præfectos, ac iudices; vbi ſunt (inquiebant) ſuppliciorum veſtrorum minæ? Nam ignis veſter frigidus apparet,ac tormenta inefficacia, percuſſores imbecilles; & gladij veſtri, ligna marcida. Nihil quod noſtræ reſpondeat promptitudini atque alacritati,habetis: Ad plura & maiora toleranda,parati conſiſtimus.] Addit poſtmodum S. Ephrem, luculentam frigoris noſtri, imo rigoris, caſtigationem; præ tanto ſanctorum martyrum æſtu atque ardore, ab igne charitatis quo ſunt correpti.

9. Suſpicit denique eundem charitatis in mar-

tyribus ignem,& eundem illi ortum aſſignat Laurentius Iuſtinia.lib.de inſtit.& regim.prælato. c.18. tractans illud Pauli,*omnia poſſum in eo qui me confortat.* Quod dictum Apoſtoli ſic elucidat, prolato
« martyrum charitate ſuccenſorum,exemplo. [Valet
« profectò ille, in quo eſt charitas, ſine qua non eſt
« Deus,ignem,ferrum,vincula,carceres, feras ſupera-
« re, & mortem. Vnde quæſo ſanctis martyribus
« tanta virtus, tantáque conſtantia? Nunquid ex ſe?
« Prorſus minimè. Inhabitantem ſibi habebant
« Deum; profuſa erat in eorum præcordiis charitas,
« diuinóque erant amore ſuccenſi. Propterea tam
« dira, tam diuturna, támque intolerabilia humanæ
« fragilitati, potuerunt perferre ſupplicia. Defeciſ-
« ſent procul dubio in paſſionis agone, ſi abſque Dei
« amore certaſſent. Maxima ſiquidem eſt charitatis
« vis,quæ in martyribus dimicando, naturam vincit.
« Fortis (inquit ſapiens,) vt mors dilectio, dura vt
« infernus æmulatio; lampades eius, lampades
« ignis, atque flammarum: aquæ multæ, non po-
« tuerunt extinguere charitatem, nec flumina obru-
« ent illam:Fortis quippe vt mors,eſſe charitas, dici-
« tur,quia quem perfectè abſorbuerit, facit vitam di-
« ligendo perpetuam, corporalem mortem nullate-
« nus formidare: Ignis atque flammarum, illius lam-
« pades perhibentur eſſe,quia ignitas, quibus infun-
« ditur,efficit mentes.In quo vtique ſalutari igne de-
« coctæ,ſonoræ fiunt & ſolidæ, adeò vt nullius tribu-
« lationis impetu, nulliúſue perſequentis impulſione
« frangantur. Vt ſi impingant homines, hominem
« flamma charitatis aduſtum, blaſphemiis, irriſioni-
« bus,perſecutionibus, terroribus, minis, damnis, &
« morte,illius mentis habitaculum ſuper petram charitatis

titatis fundatum, nequaquam euertere, neque à Dei «
amore diuellere queant. Audi ſtrenuiſſimum bella- «
torem virgis cæſum, lapidibus percuſſum, naufra- «
gium paſſum, maris profundo immerſum, attenua- «
tum fame, frigore afflictum, nuditate dehoneſta- «
tum, perſecutionibus attritum, ſed vehementiſſimo «
charitatis ardore accenſum, quid dicat? Quis nos, «
inquit, ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an «
anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an «
periculum? an gladius? Certus ſum, quia neque «
mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, «
neque poteſtates, neque virtutes, neque inſtantia, «
neque futura, neque altitudo, neque fortitudo, ne- «
que profundum, neque creatura alia poterit nos ſe- «
parare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Do- «
mino noſtro. O charitas ſancta, quantā ſunt præco- «
nia tua, quàm præclara tua ſunt teſtimonia, quanta «
laus, quanta gloria, quantæ diuitiæ, quanta dulcedo, «
quanta virtus, quantaque eſt poteſtas in te?] «

10. Sed vnde hæc tam ſuccenſa charitatis fornax in martyre, ignem ſuum ac flammas deuocet, pulcherrimè expoſuit Origenes in c. 5. ad Rom. quamuis ad Apoſtoli literam minùs appoſitè. *Chriſtus* (ait Apoſtolus) *ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt. Vix enim pro iuſto quis moritur; Nam pro bono forſitan, quis audeat mori.* In ea verba Origenes, multa præfatus de ſumma Chriſti in nos charitate, ſubdit, martyres hanc tantam erga ſe boni mediatoris charitatem contemplatos, pro hoc bono, pro Deo inquam in carne paſſo, audere mori, vt vicem ei aliquam tanti amoris rependant: cum tamen tanta, adeóque altè impreſſa cuiuis ſit vitæ dilectio, vt vix iuſtum illud debitum moriendi, quo naturæ

omnes obſtringimur, diſſoluere quis lubens ac volens deprehendatur. Ipſum Origenem, quod in rem præſentem concinnilliṁè ſimul & doctiſſimè diſputet, audire operæ pretium eſt. [Cum vix aliquis pro iuſto moriatur, & dubitet vnuſquiſque mortem ſubire, etiamſi mortis iuſta ſit cauſa, quantus eſt hic, & charitas eius erga nos quanta penſanda eſt, qui ſecundùm illud tempus quo paſſus eſt, pro impiis & iniuſtis mortem perpeti non refugit? In quo vtique ſummæ illius diuinæ bonitatis indicium eſt. Niſi enim eſſet hic ex illa veniens ſubſtantia, & illius Patris filius, de quo dictum eſt quia nemo bonus, niſi vnus Deus Pater, tantam vtique erga nos bonitatem non potuiſſet oſtendere. Vnde quia ex hoc tantæ bonitatis indicio, ipſe eſſe hic agnoſcitur bonus, pro hoc bono forſitan quis & audeat mori. Cum enim cognouerit vnuſquiſque tantam erga ſe bonitatem Chriſti, charitatémque eius habuerit in corde diffuſam, non ſolùm mori pro hoc bono, ſed & audacter mori deſiderabit. Quod rebus ipſis & operibus, ſæpè videmus impleri, cùm hi in quorum cordibus abundanter diffuſa eſt charitas Chriſti, ſponte etiam & cum omni audacitate ſemetipſos perſecutoribus offerunt, & nomen Chriſti audiente mundo coram angelis & hominibus confitentur: vt non ſolùm iniuriam pati pro nomine eius, ſed & mortem pro hoc bono ſubire audeant, quam vix pro iuſto quis perfert: Eſt enim amor vitæ huius tantus, vt etiam cùm iuſta cauſa mortis aduenerit, vix vnuſquiſque mortem patienter accipiat. Iuſta autem cauſa mortis videtur, cùm naturæ legi defertur. Et quamuis iuſtum ſit conditioni mortalitatis, vix tamen amplectitur animus

mus naturæ legibus cedere. Vix ergo pro iuſto quis «
moritur. Nam pro bono audet quis mori, & au- «
dacter occumbit, præcipuè ſi intellexit, quia cùm «
adhuc ſecundùm tempus impij eſſemus & infirmi, «
ipſe prior pro nobis mortuus eſt. Et quomodò non «
qui hæc ſibi ab illo præſtita priùs eſſe cognoſcit, «
mortem quam ille malis impendit, huic bono «
reddet?] «

Martyrum fidei, charitatem in Deum, quàm æmulentur ij quorum cauſam agimus.

11. Hæc & alia, vt verè de martyribus qui pro Chriſti fide glorioſam mortem oppetunt, affirmari non diffitear, ita non poſſe quoque de martyribus charitatis pronunciari, conſtanter nego; quandoquidem miniſterium cui immoriuntur, non eſt minùs Deo acceptum, quàm fidei profeſſio: atque adeò in eo propter Deum occumbere, non eſt tepentioris in Deum dilectionis argumentum. Theodoretus certè, ea illuſtriſſima oratione de charitate in Deum, qua religioſam ſuam hiſtoriam obſignauit, ſecurè ac intrepidè ſanctis illis anachoretis quorum res geſtas deſcripſerat, non aliqua tantùm vulgaria ſcripturarum loca de diligentibus Deum accommodat, ſed & inſignia quædam, ac martyrum propria: vt illud ex Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sicut ſcriptum eſt: quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Et illud ex 2. Cor. 5. *Charitas Chriſti vrget nos, æſti-*

 mantes

firmiſſima, qua prægustant rependendam laboribus in cœlo quietem? Inde is exiſtit delibutæ gaudio voluntatis ſuauiſſimus ſenſus, præ quo bona quæcunque ſenſibilia, & quæ in eis primas facilè ferunt, ſanitas, ac vita ipſa, quibus nihil carnalium hominum palato dulciùs ſapit, non deſipiunt modò, ſed etiam amareſcunt: nec tantum abſque dolore, verùm etiam cum gaudio conculcantur. Mentior ſi non homines noui ac charos habui, qui dum ſanctum hoc miniſterium ambirent, verè candidati æternitatis, cuius ſtipendiis tandem per hanc militiam ditati ſunt, dilatam ſibi certas ob cauſas occaſionem, vitæ pro Chriſto & proximorum bono, expendendæ diſcrimini, ferebant ægerrimê, & quantum per virtutem, & rectè compoſitam voluntatem licebat, impatientiſſimè: Nullum enim ſibi bonum occurrere profitebantur, dignius in quod inuolarent vniuerſo voluntatis impetu, quàm quod cum diuinæ gloriæ tanto fructu, & cum æternorum bonorum certa conſecutione, nexum complicatúmque ſtatuebant. Hoc erectiſſimæ in illis ſpei argumentum locuples, vel indicaſſe, celebraſſe eſt.

Charitas in Deum, quàm ſuccenſa in morientibus pro fide.

4. Iam de charitate SS. Martyrum, cruore ſuo confeſſionem fidei obſignantium, tam multa vbique apud Patres proſtant, vt ferè ſuperflua videri poſſit eius expreſſio. Itaque delibabo duntaxat nonnulla, magno adhibito delectu; & quo affectu in Deum, quo in proximum fuerint, (hi enim duo rami,

rami, ex vno charitatis veluti trunco progerminant,) breuiter edocebo. S. Gregorius in c. 8. Cantic. ad illud *aquæ multæ*, &c. locum illum aptans ad SS. Martyrum charitatem, ita ſcribit: [Charitate martyres ſancti viuaciter ardebant, quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem, aquæ multæ extinguere non poterant, quia quantæcunque tribulationes eis fierent, ad odium eos tranſmutare non valebant. Hoc nimirum foret charitatem extinguere, ſi in tribulationibus quas inferebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuiſſent. Sed cùm aquæ dictæ ſint, quid rurſum per flumina, niſi aquarum ipſarum incrementa, & viuacitas intelligitur? flumina quippe, viuas aquas ſolere dici cognoſcimus. Flumina ergo, maximas tribulationes accipimus: quæ dum per totum orbem ſuper martyres ebullierunt, ad extinguendum charitatis ignem, grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina, adeò charitatis vigor vixit, vt potius flumina conſumeret, quàm ſe ab illis extingui permitteret, ideò multi etiam perſecutorum, ad eandem charitatem ſe conuertebant, ita vt dimitterent quicquid in mundo poſſidebant, & ſeipſos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant.] En fructum, infractæ ad tantam horrendorum malorum molem, SS. martyrum charitatis.

Ex eodem capite, ſuperati timoris cruciatuum, & ingruentium tribulationum, charitatem SS. martyrum petit S. Ambroſius ſerm. 9. in Pſal. 118. in præludio ad illum octonarium, expendens myſticum ſenſum litteræ Teth, eidem præfixæ. Nam præfatus, Teth Latinè dici *excluſionem*, ſubdit.

 [Genera

« [Generaliter quidem charitas excludit timorem.
« Vt miles qui Imperatorem diligit, bella pro Im-
« peratore ſuſcepta non metuit. Vt ſeruus amans
« Dominum, quamuis per dubia, & prærupta mit-
« tatur, tamen omnia pericula Domini amore con-
« temnit; ac ſi quis Dominum petat, ſeipſum offer-
« re non trepidat: Vt qui trans mare poſitos filios vi-
« dere deſiderat, non metuit naufragia, liberorum
« charitate: ingreditur maris fluctus, ſubit incerta
« nauigij: ſed metum diſcriminis leuant deſideria
« filiorum. Quam pulchrè etiam de martyribus dici-
« tur, qui vere militant Chriſto, qui perſecutiones,
« vngulas, gladios, incendia non timentes, infeſtis
« ſe Regibus obtulerunt? Timorem etenim quem
« poterant habere pœnarum, excluſerunt amore
« martyrij.]

5. Quanto autem maiores ſunt turbines affe-
ctuum, & fluctus per hæc flabra concitati in anima
incompoſita, tanto potentior & fortior proditur
vis charitatis eos comprimentis: vt præ tanta affe-
ctuum ferocia in eo genere, ob æſtum quo quiſque
naturaliter in vitæ ſuæ cuſtodiam & prorogatio-
nem fertur; auſit dicere Clemens Alexand. 4. ſtrom.
cap. 2. hanc eſſe charitatis conſummationem. Sic
« enim ſcribit de martyre. [Propter ſuam in Domi-
« num dilectionem, lubentiſſimè ab hac vita libe-
« rabitur, habens fortaſsè gratiam, & ei qui cauſam
« præbuit vt hinc exiret, & ei qui molitus eſt inſi-
« dias: honeſta accepta occaſione, quam ipſe non
« præbuit, ſeipſum oſtendendi quiſnam ſit, illi qui-
« dem per tolerantiam; Domino verò, per charitatem
« per quam oſtendebatur Domino, qui etiam ante-
« quam naſcatur, nouit inſtitutum & liberam ani-

mi

mi voluntatem eius qui tulit teſtimonium. Bono «
itaque animo venit ad amicum Dominum, pro «
quo & corpus, atque etiam animam, vt iudices «
expectabant, tradidit: & à ſeruatore noſtro, ô frater «
dilecte, (vt dicam poeticè,) compellatur. Iam «
conſummationem vocamus martyrium, non quod «
vitæ finem homo acceperit, vt reliqui, ſed quod «
perfectum opus oſtenderit charitatis.] «

7. Quod Clemens. charitatis conſummationem, hoc Tertullianus c. 6. Scorpiaci, plenitudinem charitatis ex totis animæ viribus profuſæ, nominaſſe videtur, cum dixit. [Propriè martyribus, «
nihil iam reputari poteſt, quibus in lauacro ipſa «
vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem «
delictorum, quæ Deum ſcilicet diligens ex totis «
viribus ſuis quibus in martyrio decertat, ex tota «
anima ſua quam pro Deo ponit, hominem marty- «
rem excudit.] Totam animam ex totis ſuis viribus «
conniti in dilectionem, martyrium veluti formantem aſſerit: Indéque plenam illam & ſummam nitelam martyris cruento baptiſmo abluti exiſtere docet. Et quanquam nitelæ illius originem, ſuperiùs ex vero fonte ſuo repetiuerimus, tamen plena & conſummata dilectio, qua Tertullianus hominem martyrem excudi dicit, indubitata videtur. Nam etiam S. Bernardus tract. de dilig. Deo, deſcribens eminentiſſimum illum diuini amoris gradum, quo aſſerit hominem *deificari*, & voluntatis motu defœcatiſſimo in eundem cum Deo affectum tranſire, [vt quomodò Deus omnia eſſe vo- «
luit propter ſemetipſum, ſic nos quoque, nec nos «
ipſos, nec aliud aliquid, fuiſſe vel eſſe velimus niſi «
æquè propter ipſum, ob ſolam videlicet ipſius vo- «

« luntatem, non noſtram voluptatem.] Hunc inquam ſublimiſſimum amoris gradum deſcribens Bernardus, ita eum mortalibus abiudicat, quamdiu peregrinantur à Domino, vt tamen SS. mar-
« tyres [in illis adhuc victorioſis corporibus conſti-
« tutos, eam gratiam vel ex parte aſſecutos] non
« dubitet. [Magna enim (vt ait) vis prorſus amoris,
« illas animas introrſum rapuerat, quæ ita ſua cor-
« pora foris exponere, & tormenta contemne-
« re valuerunt.] Idem, vel quiſquis alius apud eum autor tractatus de paſſione Domini, ex Chriſti cum vite analogia, cap. 3. ſancti cuiuſdam ſtuporis, quo martyres non ad minas tantùm, ſed & ad cruciatus & horrorem immanium tormentorum, ſine ſenſu viſi perſtare, refert in amorem, quo intùs mortui à corde, & à ſeipſis abalienati, ſoli Chriſto viuebant. Eſſe enim charitatis proprium, ſpiritualem huiuſmodi mortem conferre, tradit eleganter S. Paulinus epiſto. 44.

8. Idem fons deſpectionis cruciatuum quantumlibet immanium, ipſiuſque mortis per martyrium flocci factæ, aſſignatur à S. Ephrem orat. in SS. 40.
« Martyres. Sic enim diſſerit. [Martyres toto ſe corde
« ac animo tradiderunt Deo, vt deinceps & ipſam
« mortem, & cunctas inimicas Tyrannorum inſi-
« dias contemnerent: parati ad perferenda verbera,
« & tormentorum neceſſitates, diuerſóſque totius
« corporis cruciatus. Terga in locorum dederunt
« ſectiones, & in varias fibrarum, atque medulla-
« rum conciſiones, Ideóque impij Tyrannorum mi-
« niſtri, quòd ſanguinarij & parricidæ eſſent, arreptos
« ſanctos flagris diuellebant, vnguibus autem latera
« acriter dilacerabant. Poſtea plumbatis dorſa ipſo-
rum

rum atroci animo crudeliter contundebant: pecto- «
ris verò iuncturam, acutis verunculis, infrementes «
atque rugientes truculentarum ferarum inſtar, diſ- «
ſindebant, & eorum axillis globos ignitos admouen- «
tes, magna eas crudelitate adurebant: crura ac fe- «
mora, cum neruis, enſibus præcidebant: venarum «
autem fiſtulas, cultris diſcindebant; & membrum «
vel vnum ſine tormento atque ſupplicio non relin- «
quebant, Quin & oſſa ipſorum immaniter confrin- «
gebant. Atque ideò virtutem à Deo accipiebant, vt «
cunctas fortiter paſſiones ſuſtinerent; & quaſi ſen- «
ſus doloris expertes, ſeſe ad quaſcunque inſidias ge- «
rebant; & tanquam in alienis corporibus paterentur: «
imo & principibus ipſis atque iudicibus auda- «
cter inſultabant, & ad maiorem eos iram excita- «
bant, dicentes; ſi grauiora habetis tormenta, admo- «
uete nobis: hæc enim nullius momenti ſunt. Quare «
etiam illi magis incenſi, itaque efferueſcentes, velut «
immaniſſimæ feræ aduerſus ipſos rugiebant; voca- «
tíſque lictoribus, vehementiùs ſancta fortium pu- «
gilum corpora cædenda, dilacerandáque curabant. «
Illi verò viciſſim ad præfectos, ac iudices; vbi ſunt «
(inquiebant) ſuppliciorum veſtrorum minæ? Nam «
ignis veſter frigidus apparet, ac tormenta inefficacia, «
percuſſores imbecilles; & gladij veſtri, ligna «
marcida. Nihil quod noſtræ reſpondeat prompti- «
tudini atque alacritati, habetis: Ad plura & maiora «
toleranda, parati conſiſtimus.] Addit poſtmodum S. «
Ephrem, luculentam frigoris noſtri, imo rigoris, caſtigationem, præ tanto ſanctorum martyrum æſtu atque ardore, ab igne charitatis quo ſunt correpti.

9. Suſpicit denique eundem charitatis in mar-

tyribus ignem,& eundem illi ortum aſſignat Laurentius Iuſtinia.lib.de inſtit.& regim.prælato.c.18. tractans illud Pauli, *omnia poſſum in eo qui me confortat.* Quod dictum Apoſtoli ſic elucidat, prolato martyrum charitate ſuccenſorum,exemplo. [Valet profectò ille, in quo eſt charitas, ſine qua non eſt Deus,ignem,ferrum,vincula,carceres, feras ſuperare, & mortem. Vnde quæſo ſanctis martyribus tanta virtus, tantáque conſtantia? Nunquid ex ſe? Prorſus minimè. Inhabitantem ſibi habebant Deum; profuſa erat in eorum præcordiis charitas, diuinóque erant amore ſuccenſi. Propterea tam dira, tam diuturna, támque intolerabilia humanæ fragilitati, potuerunt perferre ſupplicia. Defeciſſent procul dubio in paſſionis agone, ſi abſque Dei amore certaſſent. Maxima ſiquidem eſt charitatis vis,quæ in martyribus dimicando, naturam vincit. Fortis (inquit ſapiens,) vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis, atque flammarum: aquæ multæ, non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam:Fortis quippe vt mors,eſſe charitas, dicitur,quia quem perfectè abſorbuerit, facit vitam diligendo perpetuam, corporalem mortem nullatenus formidare: Ignis atque flammarum, illius lampades perhibentur eſſe,quia ignitas, quibus infunditur,efficit mentes.In quo vtique ſalutari igne decoctæ,ſonoræ fiunt & ſolidæ, adèo vt nullius tribulationis impetu, nulliúſue perſequentis impulſione frangantur. Vt ſi impingant homines, hominem flamma charitatis aduſtum, blaſphemiis, irriſionibus,perſecutionibus, terroribus, minis,damnis, & morte,illius mentis habitaculum ſuper petram charitatis

ritatis fundatum, nequaquam euertere, neque à Dei amore diuellere queant. Audi ſtrenuiſſimum bellatorem virgis cæſum, lapidibus percuſſum, naufragium paſſum, maris profundo immerſum, attenuatum fame, frigore afflictum, nuditate dehoneſtatum, perſecutionibus attritum, ſed vehementiſſimo charitatis ardore accenſum, quid dicat? Quis nos, inquit, ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. O charitas ſancta, quantā ſunt præconia tua, quàm præclara tua ſunt teſtimonia, quanta laus, quanta gloria, quantæ diuitiæ, quanta dulcedo, quanta virtus, quantaque eſt poteſtas in te?]

10. Sed vnde hæc tam ſuccenſa charitatis fornax in martyre, ignem ſuum ac flammas deuocet, pulcherrimè expoſuit Origenes in c. 5. ad Rom. quamuis ad Apoſtoli literam minùs appoſitè. *Chriſtus* (ait Apoſtolus) *ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt. Vix enim pro iuſto quis moritur; Nam pro bono forſitan quis audeat mori.* In ea verba Origenes, multa præfatus de ſumma Chriſti in nos charitate, ſubdit, martyres hanc tantam erga ſe boni mediatoris charitatem contemplatos, pro hoc bono, pro Deo inquam in carne paſſo, audere mori, vt vicem ei aliquam tanti amoris rependant: cum tamen tanta, adeóque altè impreſſa cuiuis ſit vitæ dilectio, vt vix iuſtum illud debitum moriendi, quo naturæ

omnes obſtringimur, diſſoluere quis lubens ac volens deprehendatur. Ipſum Origenem, quod in rem præſentem concinniſſimè ſimul & doctiſſimè diſputet, audire operæ pretium eſt. [Cum vix aliquis pro iuſto moriatur, & dubitet vnuſquiſque mortem ſubire, etiamſi mortis iuſta ſit cauſa, quantus eſt hic, & charitas eius erga nos quanta penſanda eſt, qui ſecundùm illud tempus quo paſſus eſt, pro impiis & iniuſtis mortem perpeti non refugit? In quo vtique ſummæ illius diuinæ bonitatis indicium eſt. Niſi enim eſſet hic ex illa veniens ſubſtantia, & illius Patris filius, de quo dictum eſt quia nemo bonus, niſi vnus Deus Pater, tantam vtique erga nos bonitatem non potuiſſet oſtendere. Vnde quia ex hoc tantæ bonitatis indicio, ipſe eſſe hic agnoſcitur bonus, pro hoc bono forſitan quis & audeat mori. Cum enim cognouerit vnuſquiſque tantam erga ſe bonitatem Chriſti, charitatémque eius habuerit in corde diffuſam, non ſolùm mori pro hoc bono, ſed & audacter mori deſiderabit. Quod rebus ipſis & operibus, ſæpè videmus impleri, cùm hi in quorum cordibus abundanter diffuſa eſt charitas Chriſti, ſponte etiam & cum omni audacitate ſemetipſos perſecutoribus offerunt, & nomen Chriſti audiente mundo coram angelis & hominibus confitentur: vt non ſolùm iniuriam pati pro nomine eius, ſed & mortem pro hoc bono ſubire audeant, quam vix pro iuſto quis perfert: Eſt enim amor vitæ huius tantus, vt etiam cùm iuſta cauſa mortis aduenerit, vix vnuſquiſque mortem patienter accipiat. Iuſta autem cauſa mortis videtur, cùm naturæ legi defertur. Et quamuis iuſtum ſit conditioni mortalitatis, vix tamen amplectitur animus

mus naturæ legibus cedere. Vix ergo pro iuſto quis «
moritur. Nam pro bono audet quis mori, & au- «
dacter occumbit, præcipuè ſi intellexit, quia cùm «
adhuc ſecundùm tempus impij eſſemus & infirmi, «
ipſe prior pro nobis mortuus eſt. Et quomodò non «
qui hæc ſibi ab illo præſtita priùs eſſe cognoſcit, «
mortem quam ille malis impendit, huic bono «
reddet?] «

Martyrum fidei, charitatem in Deum, quàm æmulentur ij quorum cauſam agimus.

11. Hæc & alia, vt verè de martyribus qui pro Chriſti fide glorioſam mortem oppetunt, affirmari non diffitear, ita non poſſe quoque de martyribus charitatis pronunciari, conſtanter nego; quandoquidem miniſterium cui immoriuntur, non eſt minùs Deo acceptum, quàm fidei profeſſio: atque adeò in eo propter Deum occumbere, non eſt tepentioris in Deum dilectionis argumentum. Theodoretus certè, ea illuſtriſſima oratione de charitate in Deum, qua religioſam ſuam hiſtoriam obſignauit, ſecurè ac intrepidè ſanctis illis anachoretis quorum res geſtas deſcripſerat, non aliqua tantùm vulgaria ſcripturarum loca de diligentibus Deum accommodat, ſed & inſignia quædam, ac martyrum propria: vt illud ex Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Sicut ſcriptum eſt: quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Et illud ex 2. Cor. 5. *Charitas Chriſti vrget nos, æſti-*

mantes hoc quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus vt & qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt. Vtcunque iſta martyrum præcipuo iure propria, ad aſcetas illos quos Theodoretus deſcripſerat, verè transferantur, indubiè tamen multo veriùs in eos cadunt, qui æſtimati ſicut oues occiſionis, non vnius mortis præſentiſſimo periculo in dies ſingulos defunguntur, & viuentes, iam non ſibi, ſed Deo viuunt; tot tantáque diſcrimina, à quibus plerique, cætera fortiſſimi & audaciſſimi, promptiſſimè refugiunt, ſuperantes propter eum à quo ſe dilectos & æterna charitate præuentos recognoſcunt. Quis enim Caucaſus inhoſpitalis, Aſcetis illis frequentatus, adeò horret, quæve teſqua adeo auia, & tot ærumnarum paliuris, ac dumetis incommodorum ſcatentia, vt non de ſpecie horrifica atque moleſtiis, citra controuerſiam concedant, vrbi præſertim populoſæ, lue laboranti, in qua vmbra mortis vbique, & nullus ordo, ſed iugis & quaquauerſum diffuſus horror inhabitat? Eo igitur ſubire, & ad virulentiſſima vſque penetralia, veréque luis cubilia peruadere, & ſuperare in his omnibus propter Deum, quale eſt ſynceriſſimæ in Deum dilectionis argumentum?

12. Egregiè verò Richardus Victorinus, & ad rem noſtram accommodatiſſimè, eo commentario quo quatuor violentæ charitatis gradus diſtinxit, & formam ac exemplar ardentiſſimæ in Deum charitatis exhibuit, primum charitatis gradum ſtatuit, quo voluntas ſuo in Deum æſtui ac deſiderio obſiſtere non poteſt. Secundum quo illi nequit excide-

re Dei deſiderium. Tertium deinceps quo nihil præterea voluntati ſapere aut dulceſcere poteſt. Poſtremò quartum ac ſupremum, quo nec ipſe Dei amor quantumcunque efferueſcens, voluntati facit ſatis. Addit verò expendens vim & eminentiam ſingulorum. [In primo gradu, amor eſt inſuperabilis, in ſecundo inſeparabilis, in tertio ſingularis, in quarto iaſatiabilis. Inſuperabilis eſt, qui alij affectui non cedit; inſeparabilis qui à memoria nunquam recedit; ſingularis qui ſocium non recipit; inſatiabilis cùm ei ſatis fieri non poſſit. Et quamuis per ſingulos gradus poſſint notari ſingula, ſpecialiùs tamen in primo gradu notatur amoris excellentia, in ſecundo eius vehementia, in tertio eius violentia, in quarto eius ſupereminentia. Quanta enim excellentia amoris quæ omnem alium affectum excedit? Quanta quæſo vehementia dilectionis, quæ mentem quieſcere non ſinit? Quanta obſecro violentia charitatis, quæ omnem alium affectum violenter expellit? Quanta ſupereminentia æmulationis, cui omnino nihil ſufficit? ô excellentia amoris, ô vehementia dilectionis, ô charitatis violentia, ô æmulationis ſupereminentia.] Nihil videtur ad tantam charitatis perfectionem adiici poſſe, quandoquidem vt poſtea ſubdit, [anima eo diuini ardoris rogo, intimíque amoris incendio abſorpta, æternorúmque deſideriorum globis vndique circumſepta, non incaleſcit modò aut incandeſcit, ſed etiam tandem tota liqueſcit, & à priori ſtatu penitùs deficit.]

Hunc conſummatæ in Deum charitatis verticem, & abſolutiſſimæ virtutis ſupremum apicem, ab illis attingi, ait Richardus, qui propter Deum

ea in proximos charitate flagrant, vt ſi res ferat, vitam illis ſuam addicere, & Chriſti imitatione, animam ſuã pro illis ponere, alacres velint. [Maiorem ſiquidem (*inquit*) charitatẽ nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ad ſummum itaque charitatis culmen profecerunt, & iam in quarto charitatis gradu poſiti ſunt, qui pro amicis animam ſuam ponere, & illud Apoſtolicum implere iam poſſunt. Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſſimi; & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis.] Non habeo, quo miſericordiæ martyrum, charitatem, in Deum, altiùs proueham.

Quomodo de charitate in proximos non concedant.

13. Eadem porro opera, expreſſus eſt præcellens eorum amor in proximos, iuxta illud Lau...tij Iuſtiniani in ligno vitæ tract. de charit. cap. 14. [Quanto quis magis atigerit ad perfectionem charitatis, tantò magis per compaſſionem, proximi pro ſalute ſe deſerit. Nam qui amare proximum negligit, profectò diligere Deum neſcit, & tunc plenius in Dei dilectione proficimus, cum in eius dilectionis gremio, proximi priùs charitate lætamur. Amor Dei, amorem proximi generat, & amorem proximi calefacit amor Dei. Tunc enim ad ſummam perfectionem charitas mirabiliter ſurgit, quum ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit; & quo benigniùs deſcendit ad ima, eo perfectiùs recurrit ad ſumma. Quod paucis verbis notiſſi

notificat Dominus, dicens: maiorem hac dilectio- «
nem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro «
amicis ſuis.] Itaque quoad hanc in proximos chari- «
tatem, liquet, his quorum cauſam agimus, verè animam ſuam proximo impendentibus, non eſſe ſuperiores, eos qui pro fide martyres occumbunt.

Imo verò eſſe non paucis partibus inferiores, quantum eſt ex vi martyrij fidei, collati cum martyrio charitatis, videtur per ſe perſpicuum. Præcellentia enim amoris, quo iſti charitatis pugiles in proximum efferueſcunt, citra omnem expenſionem ſe prodit. Celebrat quidem D. Auguſtinus tract. 84. in Ioan. martyrum fidei in proximos charitatem, quod ſedentes ad menſam potentis, conſideratis iis quæ à rectore appoſita erant, corpore inquam & ſanguine Domini pro nobis fuſo, elegerint Chriſti imitatione pro fratribus animas ponere. Hoc verò quomodò perfecerint martyres, quando [in fraternorum peccatorum remiſſionem «
nullius ſanguis martyris funditur,] vt D. Auguſti- «
nus rectè ſtatuit, non eſt ad intelligendum facile: niſi ſi cum Clemente Alexandrino 4. ſtrom. cap. 2. dicamus, martyrium eſſe *exemplar conuerſationis:* Et idcirco cenſeri martyres fidei pro aliis animas ponere, quia illis exempla fortiter agendi, Deóque inſeparabiliter adhæreſcendi, ſubminiſtrant, ac magiſterij genere efficaciſſimo, mundum docent, vt eſt apud Ambroſium ſerm. 76. Docent inquam, plus Deum amare quàm ſeculum, & plus Deum timere quam gladium, vt mellitiſſimè diſſerit Eucher. homil. de SS. Martyribus Epipodio & Alexandro. Docent quod Saluianus egregiè vrget

get l. 3. de prouid. vt quod illi in bello præſtiterunt,
« nos in Eccleſiæ pace non refugiamus, [& qui ad
« probandam fidem experimentis durioribus non
« compellimur, inferioribus ſaltem officiis Domino
« plus placere debeamus.] Nam vt addit in præfatio-
« ne operis ad Eccleſ. [& hoc ipſo à nobis plus debet
« diligi, quia nos à malis non patitur affligi.] Docent
denique martyres, nihili ducere quæ verbo aut fa-
cto leuiora patimur; iuxta illud Auguſtini ſerm. 6.
« de verb. Dom. [laniatus membrorum, martyres
« pertulerunt, & timent Chriſtiani iniurias tempo-
« rum Chriſtianorum? [Hæc vt diſcerent Chriſtiani,
prouidit Deus omni ſeculo martyres: ne (quod de
prouiſo diuinitùs Demetrio, dixit Seneca) virtuti
eo ſeculo teſtis deeſſet. Priora ſanè Eccleſiæ ſecula
martyribus abundaſſe, neminem latet. De poſte-
rioribus, exempla diſtinctè digeſſit Thomas Boſius
l. 7. de ſignis c. 3. & lib. 12. c. 22.

Martyrum fidei fructus in proximos ferè vnicus, exemplum bonum.

14. Negare non poſſumus, ex hoc capite mar-
tyrium in cauſa fidei toleratum, eſſe proximo fru-
ctuoſiſſimum. Quod luculenter verbis illis expreſ-
ſit S. Maximus homil. de SS. Martyribus Taurinen-
« ſibus. [licet vniuerſi ſancti, vbique ſint, & omni-
« bus proſint, ſpecialiter illi tamen pro nobis inter-
« uenimt, qui & ſupplicia pertulere pro nobis. Mar-
« tyr enim cum patitur, non ſibi tantùm patitur, ſed
« & ciuibus. Sibi enim patitur ad præmium, ciuibus
« ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, ciuibus ad
« ſalutem. Exemplo enim eorum, didicimus Chri-
ſto

ſto credere, didicimus contumeliis vitam æternam « quærere, mortem didicimus non timere. Videte « ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tor- « tus eſt, vt alius ſaluaretur: alter carnificem pertu- « lit, vt Chriſtum alter agnoſceret: alter morti ad- « dictus eſt, vt alius vita potiretur æterna: & ad po- « ſtremum Sanctus occiſus eſt, vt peccator euaderet. « Beati igitur martyres nec ſibi vixerunt, nec ſibi « ſunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt « benè viuendo conuerſationis; tolerando fortiter, « paſſionis. Nam ideò Dominus per totum mundum « diuerſis in locis pati martyres voluit, vt tanquam « idonei teſtes, nos præſenti quodam fidei exemplo « ſuæ confeſſionis vrgerent: Vt humana fragilitas « quæ prædicationi Dominicæ auditu longiore vix « credit, vel præſenti oculorum teſtimonio martyrio « crederet beatorum.] Hac ipſa ex cauſa Origenes « tomo 9. in Ioan. dixit, martyres pro Chriſti fide morti datos, mortem interfeciſſe, eiúſque in cœteros aculeum infregiſſe, ac hebetaſſe: id quod pereleganti hac ſimilitudine exponit. [Qui interficit, « aut carmine ſopit animal venenatum, aut ipſum vi « quapiam, vacuum reddit à veneno, is in multos « beneficia confert, qui in poſterum aliquid paſſuri « erant, niſi interfectum illud, vel ſopitum fuiſſet, « vel veneno euacuatum. Atque etiam ſi alicui morſo « manifeſtum fiat, & liberatus ille à nocumento per « morſum contracto, defigat oculos in mortuum, « qui læſit, vel inſcendat mortuum, vel attingat « mortuum, vel guſtet huius partem, fiet ſanè anteà « paſſo medicina, & beneficium ab eo qui interfe- « ciſſet id quod lædebat. Simile quiddam fieri morte « piiſſimorum martyrum exiſtimandum eſt, multis «

ex

« ex ipſorum morte, indicibili quadam vi, adiumen-
« tùm ſumentibus.]

16. Expendens item hunc martyrij fructum Clemens Rom. 5.conſtit. c.5. è contrariò, eos qui in martyrio deficiebant, vocat interfectores fidelium, quos prauo exemplo nutare faciunt, cum firmare eoſdem, ac alios etiam adiungere potuiſſent, perſtantes in bono. Nihil enim ad amplifi, candam,& latiùs diffundendam religionem aptiùs, martyrio generosè excepto, propter inſignem vim tam ardui operis ad bonum prælucentis. Ea ex cauſa Tertullianus cap.vlt.Apolog. ſanguinem martyrum, vocauit *ſemen Chriſtianorum*, inſultátque Ethnicis, quod Chriſtiani plures efficerentur, quo plures ab eis meterentur. Similiáque tradit S. Auguſtinus in præfat. ad Pſal.40. & l.de catechiz. rud. cap.24. Sed pulcherrimè ſerm.151. de temp.& in Pſalm.140. ad illud *ſicut craſſitudo terræ*, vbi tradit, martyres eſſe fimum, quo ingeſto fœcundatus eſt ager Eccleſiæ. Sed quia id diffusè verſat Auguſtinus, ſatis huic loco erunt, quæ ex eo in illum ver-
«ſum contraxit Proſper, [Audient verba mea quo-
«niam præualuerunt. Euangelium veritatis, nulla
«perſecutione ſuperabitur: cedent impij, cedent
«loquaces, & ingenia aduerſantium diſcipulos
«Chriſti facient Doctores. Non eos exilia, non
«damna, non mortes, non crux ipſa terrebit; quo-
«niam præualebunt verba mea, & paſſionibus mar-
«tyrum multiplicabitur gloria triumphorum. Sicut
«craſſitudo terræ, diſrupta eſt ſuper terram, diſper-
«ſa ſunt oſſa noſtra ſecus infernum. Mortibus mar-
«tyrum, & ſanguine occiſorum Sanctorum, quo-
«rum oſſa diſperſa ſunt, incraſſata eſt terra: & ſicut

agri

agri de cinere, ac de ſtercore, ac de viliſſimis excrementis, vires vbertatis accipiunt, ita cruore cæſorum teſtium Chriſti, totus fœcundatus eſt mundus, vt vbique ſeges martyrum creſceret, & inſererentur cælo, qui deputabantur inferno.]

16. Hoc eſt, quod nudè, & omnibus retectis inuolucris dixit S. Ambroſius lib. de fide reſurrect. [Morte martyrum, religio defenſa, cumulata fides, Eccleſia roborata eſt. Vicerunt mortui, victi perſecutores ſunt. Itaque quorum vitam neſcimus, horũ mortem celebramus. Vnde & Dauid propheticè gloriatus in ſuæ mentis exceſſu, precioſa, (inquit,) in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius. Mortem maluit præferre quàm vitam. Ipſa mors martyrum, præmium vitæ eſt.] Nec diſſimiliter S. Leo ſerm. 1. in natali Apoſt. Petri & Pauli. [Non minuitur perſecutionbuis Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete vberiore veſtitur, dum grana quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.] Cuius rei rationem, illam ipſam quam hîc vrgemus, explicatiſſimè tradit initio ſermonis de S. Laurentio, verbis illis. [Cum omnium dilectiſſimi ſumma virtutum, & totius plenitudo iuſtitiæ, de illo amore naſcatur, quo Deus proximúſque diligitur, in nullis profectò hic amor ſublimiùs excellere clariúſque fulgere, quàm in beatiſſimis martyribus inuenitur: qui Domino noſtro Ieſu Chriſto pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui ſunt imitatione charitatis, quàm ſimilitudine paſſionis. Quamuis enim illi dilectioni, qua Dominus nos redemit, nulla cuiuſquam benignitas poſſit æquari, quia aliud eſt pro iuſto mori, hominem ſua neceſſitate moriturum; aliud pro impiis occumbere à de-

« bito mortis alienum : multum tamen vniuerſis ho-
« minibus etiam martyres contulerunt, quorum for-
« titudine, ita eius largitor vſus eſt Dominus, vt pœ-
« nam mortis & atrocitatem crucis, nulli ſuorum vel-
« let eſſe terribilem, ſed multis faceret imitabilem. Si
« ergo nullus bonus, ſibi ſoli eſt bonus, nec cuiuſ-
« quam ſapientis, ſibi tantùm ſapientia eſt amica, &
« hæc verarum natura virtutum eſt, vt multos à te-
« nebroſo abducant errore, qui earum clarus eſt lu-
« mine, ad erudiendum Dei populum, nullorum eſt
« vtilior forma, quam martyrum eloquentia. Facilis
« ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum: va-
« lidiora tamen ſunt exempla, quàm verba; & plenius
« eſt opere docere, quàm voce.]

17. Concinit elegantiſſimè S. Ephrem in poſteriori SS. Martyrum encomio, ſic præter cœtera mar-
« tyres alloquens. [Mors iſta veſtra, vitam nobis pe-
« perit ſempiternam. Intuiti ſunt ſapientes huius ſe-
« culi, immenſam ſtragem veſtram, & in ſtuporem
« tota ſapientia illorum conuerſa eſt; attonitique ad
« ſe inuicem aiebant. Verè magnus & potens eſt
« Deus Chriſtianorum, in quem ipſius diſcipuli ita
« firmiter crediderunt, vt nullis minis, nulliſque tor-
« mentis, ab eius fide diuelli, amouerique potuerint.]
S. item Chryſoſtomus, mutam hanc cohortationem quæ fit à martyre, ſi vel tantùm ſpectetur; inſignis omnino fructus eſſe demonſtrat, tomo 5. Græcol. hom. 67. quæ eſt de S. Droſide. Id quod etiam attigit Eucherius homil. de S. Blandina. Et eodem S. Hyeronimus q. 11. ad Hedibiam illud Apoſtoli retulit 2. Cor. 2. *Deo autem gratia qui ſemper triumphat nos in Chriſto IESV & odorem notitiæ ſuæ ſpargit in omni loco.* Id enim per martyres, ſi vel conſpiciantur,
« præſtari, ita tradit ibi Hieronimus. [Triumphus Dei
eſt,

eſt,paſſio martyrum, pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. Cùm enim quis viderit, tanta perſeuerantia ſtare martyres, atque torqueri,& in ſuis cruciatibus,gloriari;odor notitiæ Dei,diſſeminatur in gentes;& ſubit tacita cogitatio, quod,niſi verum eſſet Euangelium, nunquam ſanguine defenderetur. Neque enim delicata, & diuitiis ſtudens ac ſecura,confeſſio eſt;ſed in carceribus, in plagis,in perſecutionibus, in fame,in nuditate,& ſiti.hic triũphus eſt Dei,Apoſtolorúmque victoria.]

Tandem Nazianzenus or.18.n.6.fructum qui ex martyrum exemplo ritè perpenſo exiſtit, fidelibus, nulli poſtponit aliorum mediorum quæ ad virtutem ſunt ſubminiſtrata,plurima & efficaciſſima. [Cum multa nos ad melioris vitæ ſtudium ducant,atque ad virtutem erudiant, ratio, lex, prophetæ, Apoſtoli; ipſique adeò Chriſti,primi martyris, cruciatus, qui crucem conſcendit, méque ſecum duxit, vt peccatum meum affigeret,& de ſerpente triumpharet,& ſanctitatem ligno afferret, & voluptatem vinceret, & Adamum ſalute afficeret, ac prolapſam imaginem erigeret, atque inſtauraret: cùm tot,inquam, tantáque habeamus, non minùs tamen ad vitam rectè inſtituendam nobis vtilitatis afferunt martyres, holocauſta ratione prædita, victimæ perfectæ, oblationes Deo gratæ & acceptæ, veritatis præconia, mendacij proſciſſiones, legis quæ ſpirituali modo intelligitur, expletio, erroris oppreſſio, vitij inſectatio,peccati diluuium,mundi luſtratio.]

Noſtri pugiles, quàm directiùs iuuent proximos.

18. Martyres igitur in fidei cauſa excedentes,

proximis prodeſſe moriendo,& eatenus charitatem in alios expromere exemplis prouocando ad bonũ, non reuoco in dubium. Verùm quis non videt, hæc quàm indirecta ſit iuuandorum proximorum ratio, quámque non ſemper martyrio pro fide excepto adiungatur; cum plurimorum Sanctorum martyrum,non nomina duntaxat, ſed & cædes ipſa lateat mortales?qui proinde per eos, ne exemplo quidem iuuari queunt, ſolo Deo compertis illorum facinoribus. At martyres miſericordiæ, directiſſimè, nec exemplo tantùm,ſed impenſa quoque opera, imo vita, adiuuant proximos. Vt proinde nulla poſſit ſubeſſe dubitatio, quin charitate in proximos martyribus pro fide occumbentibus antecellant: ſitque proinde eorum martyrium ex hoc capite longè illuſtrius, & apud Deum hominéſque commendabilius. Id quod confirmare licet luculento Dyoniſij Alexandrini teſtimonio, quod ex eius epiſtola ad
« Nouatum deſcripſit Euſeb. 6. hiſtor. c. 37. [Opor-
« tuerat (inquit,) omnia incommoda potius ſubiiſſe,
« quàm Eccleſiæ Dei diſcidiſſe concordiam: atque
« illud martyrium,quod quis perpetitúr,ne dirimatur
« Eccleſię conſenſio,non minus certè,ſed multò plus,
« meo quidem iudicio,habet commendationis,quàm
« illud quod ſuſcipitur, ne idolis omnino immole-
« tur. Nam in hoc pro vna quiſque anima ſuffert mar-
« tyrium,in illo autem pro tota Eccleſia.] Martyrem in cauſa fidei pro vna anima pati ait, ideſt vt ſuam ipſius animam à peccato infidelitatis præſtet indemnem. Eum verò qui ad auertendam conſciſſionem tunicæ Chriſti, & fraternæ charitatis abruptionem, moriatur, ait pati pro Eccleſia vniuerſa: quod multo præcellentius eſt,quàm pro ſe vno,ſiue

ſibi

ſibi vni proficiendo,animam ponere.Similiter ergo qui miniſterio charitatis in proximum Dei cauſa immoritur, quia non ſibi vni moriens proficit, ſed aliis quibus vitam impendit ſuam, meritò à glorioſiore martyrio commendandus venit, eſtque charitas eius celebranda tanquam perfecta,cum in Deū, tum in proximum : iuxta illud ex Auguſtino prolatum à Thoma Anglico. 1. Ioan. 3. [ſi quis tantam « habuerit charitatem, vt paratus ſit pro fratribus « mori,perfecta eſt in illo charitas.] Vnde quod apud « D.Thomam quodlib.4.artic.19. quæritur, poſſitné quis abſque perfecta charitate ſubire martyrium, quamuis in martyrio pro cauſa fidei vocetur in controuerſiam, tamen in re præſenti, videtur difficultate vacare, ſi pro alio morientis charitas, eo ipſo perfecta eſt. Quàm benè verò hæc perfecta charitas.quæ Tertulliano l.de patien.c. 12. *ſummum fidei ſacramentum,& Chriſtiani nominis theſaurus*,dicitur, in noſtris pugilibus cum patientia nectatur,eiuſque diſciplina erudiatur,vt idem Tertullianus loquitur, de ea connexione pleniús agens; perſpicuum erit ex ill s quæ proximè ſubijciam de fortitudine, cuius præcipua functio,eſt patientia.

CAPVT III.

Honeſtas ſupernaturalis fortitudinis qua mortem pro fide irrogatam, maximè illuſtrem facit, quantopere in martyrio miſericordia ſplendeat.

1. SEcundùm virtutes Theologicas, de quarum in vtroque preſsè dicto martyrio compara-

tione hactenus actum, proferenda inprimis fuiſſet religio, quæ cæterarum virtutum infuſarum, hoc eſt moralium, primas ſibi ſine controuerſia vendicat, eiúſque eſt actus ſacrificij, quem martyribus mox arrogabimus. Sed quod fortitudo, tametſi gradu excellentiæ inferior religione, illuſtriſſimè omnino in martyrio ſplendeat, placet ab ea auſpicari, & vbinam liquidiùs ac vberiùs fulgeat, conſiderare. De aliis verò moralibus virtutibus, nihil neceſſe erit addere, ad ea quæ nunc de fortitudine trademus: quod poſita alicubi vna virtute morali in gradu perfecto, reliquæ cum ea connectantur, & facilè ex vna fortitudine, apud æquum æſtimatorem poſſit de reliquis liquere. [Martyribus (ait Theodoretus l.8. contra Græcos,) res actæ in vita, non ſolùm fortitudinis, ſed iuſtitiæ, temperantiæ, ac prudentiæ fidem conciliant? Quid enim eſſe illis temperantius poſſit, qui noluerunt ab incœptis illis dogmatíſque diſcedere, quæ olim bona eſſe crediderint? Quid verò ſit illis etiam iuſtius, qui diuina munera ſibi execto iugulo compararũt, ſuáque ipſi corpora pro eo tormentis omnibus obiectarunt, qui cruci corpus ſuum pro nobis tradidit? Quid verò prudentius, quid ſapientius dici queat, iis qui hoc conſilij captauerunt, vt quæcunque ſunt in hoc terrarum orbe contemnerent, velut ea quæ nihil habent ſtabile ac manſurum; illa autem toto pectore adamarent, quæ ſermone vllo exprimi non poſſunt.] Quare de fortitudine agamus, & in vtro martyrio præcellat, diſquiramus.

Fortitudo martyrum fidei, quanta.

2. Martyrum in cauſa fidei morientium, fortitudinem,

tudinem, Nazianzenus Iambico 18. num. 79. docet, ſuperiorem ſine controuerſia fuiſſe fortitudine quorumuis apud Ethnicos illuſtrium fortitudinis nomine. Anaxarchi inquam, qui vtrem ſuum tundi iubebat: Epicteti, cui crus ante fractum eſt, quàm doloris vi in verbum aliquod abſonum erũperet. Clembroti, qui magno captus mortis amore, ex perlecto Platonis Phædone, præcipitiò vitam finiuit. Menæcæi, qui vt ſalutem Thebanæ vrbi conciliaret, non pigro pede abiit ad mortem. Filiarum Leω, quæ morte ſua, vt oraculi reſponſum tulerat, cecropiæ gentis mala redemerunt. Tandem Socratis, qui lethiferum poculum impigrè exhauſit, & per inſolitam philoteſiam, Critiæ propinauit. His omnibus, & ſi qui fuere alij, quos profana gentilitas fortitudinis laude celebrauit, Theologus, Chriſtianos martyres longè anteponit: quod illi vel in malis quæ declinare non poterant conſtantes eſſent; vel temerè & cum ſcelere, ementitam illam fortitudinem expromerent, ſui ipſorum carnifices. Chriſtiani verò pugiles, non ſic: ſed oblata licet impunitate, ac temporaria ſalute, effuſam in ſe aliorum crudelitatem patienter exceperunt; & quantilibet excitatis decumanis, immoti ſtabiléſque durarunt. Itaque ex eorum perſona, iactatorem fortitudinis Ethnicæ, ſic repellit.

[Sæpiſſimè cum liuor in nos plurimos
Hoſtes furentes perſequentes & fidem,
Trucibúſque ſimiles belluis commouerit,
Non turbulento tempori vnquam ceſſimus.
Quin pax habebat languidi ſi quidpiam,
Aut ſi quis aliàs moribus prauis erat,
Hic cuncti ad vnum pectus obfirmauimus,

Atque ſolidati flammeo zelo, hoſtium
Tulimus furorem, ſplendidè & victi ſumus.
Nemo ſalutem nam capit lubentiùs,
Pericla, quàm nos, vera laus quibus comes.
Quis ignẽ, & enſes, barathra, quis crucem, famem,
Saxáſque, luxus inſtar, excepit feras,
Tormenta, & artus ſedibus vulſos ſuis,
Oculóſque ruptos, membra laniata vndiquè,
Frigoráque, tenebras, corpora in præceps data,
Longíque variam, quo nihil (gnaris loquor,)
Eſt grauius animo, temporis tragœdiam.

Idem orat. 3. Chriſtianorum martyrum fortitudinem, & prædictis, & aliis quibuſdam anteponit, « [quia cum igni, & ferro, & belluis, & tyrannis, « & præſentibus malis, & denunciatis, alacri animo « velut in alienis corporibus imo quaſi corporum ex- « pertes dimicarunt, ne pietatem vel verbo tenus « proderent.] Et mirabile ſanè diuinæ virtutis ſpecimen fuit, vaſa teſtea, opus manuum figuli, in tam potenti colliſione non fuiſſe confracta. Horrendum enim vel lectu eſt, quæ & quam dira ſancti martyres, molliter plerunque enutriti, imo puellæ interdum ac virgunculæ, ſuſtinuerint, ne fidei puri- « tatem quoquo modo temerarent. [Quæ pœnarum « genera non nouimus, (ait S. Gregorius 33. moral. « c. 13.) quæ non iam vires martyrum exercuiſſe « gaudemus? Alios namque improuiſo ictu immer- « ſus iugulo gladius ſtrauit; alios crucis patibulum « afflixit: in quo & mors prouocata repellitur, & re- « pulſa prouocatur, alios hirſutis ſerra dentibus at- « triuit; alios armato ferro inſulcans vngula carpſit, « alios belluina rabies morſibus detruncando commi- « nuit; alios ab intimis viſcerum per cutem preſſa vis

verberum rupit; alios effoſſa terra viuentes operuit; «
alios in altum demerſos, in mortem præcipitium «
fregit; alios in ſe proiectos, aqua replendo abſor- «
buit; alios edax flamma vſque ad cineres depaſta «
conſumpſit.] Subiectis exemplis, omnem illam «
multiplicis mortis varietatem, expreſſam diſtinctè
& ſigillatim habes apud Ludouicum de la Cerda
aduerſar. ſacro. c. 128. longiſſimo. Diligenter item
de vniuerſo illo expromptæ in martyres crudelitatis apparatu, tum quoad inſtrumenta, tum quoad
ſupplicia, Card. Baronius in notat. ad Rom. Martyrologium ſparſim, ex quo Gallonius opus de eo
argumento concinnauit.

3. Ad tantæ autem carnificinæ, non oſtentationem modò, ſed etiam irrogationem, ſtetere in magna conſtantia ſancti martyres: ex quo capite, iure
eorum fortitudinem præcellentem, celebrat in
hunc modum S. Ephrem in ſecunda SS. martyrum
laudatione. [Stabant in magna conſtantia tempore «
certaminis, validiſſimi pugiles Dei, pœnas quaſ- «
cunque ingenti alacritate animi, pro nomine vni- «
geniti filij Dei, ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, per- «
ferentes. Quàm autem in pugna ſtrenui, quantá- «
que laude fortitudinis præditi illi fuerint, vel hinc «
conſtare vnicuique poteſt, quòd ſubiecta oculis «
expaueſcenda tormenta aduerſum ſe parata, non «
ſolùm nihil reformidarunt, ſed & maiori conſtan- «
tia decertantes, omnia perferendo, fortiter ſupe- «
rarunt. Aſpiciebant ardentem rogum, ignitas ſar- «
tagines, & ollas efferueſcentes. Quæ ardore atque «
feruore nimio, guttas picis & adipis longiùs à ſe eia- «
culabantur. Intuebãtur quoque ferratas & aculeatas «
rotas, inter ignium globos, nimia velocitate verſari, «

« ac circumuolui. Cernebant vngulas ferreas, & lami-
« nas candétes, fuſtes, vectes, aculeos, terebra, vincula,
« compedes, atque catenas, omnémque planè ar-
« tem ac machinam, quam veritatis inimicus contra
« Martyres & Confeſſores Domini Saluatoris, adin-
« uenire potuit. Omnia quippe tormentorum gene-
« ra, martyribus in conſpectum callidus ac impro-
« bus hoſtis adduxit, vt terrorem eis incuteret, &
« in formidinem Sanctos verteret, aſpectúque ipſo,
« ac ſuppliciorum perterrefactione, lingua eorum
« non ampliùs confiteri Dominum Ieſum, metu
« præpedita tentaret, atque præſumeret. Quid por-
« rò fideliſſimi illi, promptiſſimíque athletæ Chri-
« ſti, inter eiuſmodi ante oculos propoſita, horribi-
« lia, inauditáque tormentorum genera? Fortiores
« atque alacriores effecti maiore fiducia atque con-
« ſtantia animi, citra vllam hæſitationem intrepidè
« coram iudicum ac præfectorum tribunalibus, Chri-
« ſtum Dominum, Saluatorem confitebantur. Non
« enim rogus ardens, non ſtridens flamma, non
« ignitæ ſartagines, non ollæ feruentes atque ebul-
« lientes, non expaueſcendæ aculeatarum rotarum
« vertigines, non candentes laminæ, non ferratarum
« vngularum dentes, non reliqua ſupplicia, non
« vincula, non compedes, non immenſa catena-
« rum pondera, non Tyrannorum minæ, non Prin-
« cipum fremitus, non omnia machinamenta Dia-
« boli, miniſtrorúmque eius, deterruerunt animo-
« ſiſſimos ac fortiſſimos Chriſti milites; non pieta-
« tem abnegare impulerunt, neque à charitate Dei
« & Saluatoris noſtri eos abduxerunt: At contra; hi
« clypeo fidei muniti, vniuerſas inimici machinas
« euerterunt, & proculcauerunt, nihilque omnino
ipſos

ipſos à ſancto firmóque propoſito deterrere,atque auellere potuit. Perſpexiſti bonorum & fidelium ſeruorum fortitudinem?Perſpexiſti pugilum Chriſti conſtantiam ac gloriam?] Hæc eo admirabiliora videri debent, quo plerunque deſcendunt in hunc agonem infirmiores perſonæ, vt infantes & mulieres. Quo ex capite præter Chryſoſtomum homil.de Machab.micantem in Chriſtiani martyrij fortitudine, vim cœleſtem,celebrat Petrus Damiani de SS. Virginibus Flora & Lucilla ſcribens hiſtoriam *initio*, & optimè S. Auguſt. ſerm. 105. de diuerſ. c.1.

Parum eſt quod conſtantes ac fortes in excipiendis quamtumuis immanibus tormentis prædicentur beati martyres. Ipſum fortitudinis florem, gaudium inquam de perpeſſionibus, & earum aucupationem, conſiderat in martyribus S. Hilarius l.10. de Trinit. cum monſtrare contendit, Chriſtum Dominum non ex ignauia, vel ex impotentia vitandi mortem,extimuiſſe ſub eius tempus.[Nam pueri quidem Babylone coniecti in fornacem, nec vri potuerunt, nec timere. Daniel Prophetæ prandio alendus leonum lacum non timet. Apoſtoli cædi ſe pro Chriſti nomine, & pati gaudent. Paulo libatio ſua, corona iuſtitiæ eſt. Deſecanda colla ſua percuſſoribus, cum hymnis martyres tendunt, & ædificatos ſibi congerie lignorum ignes, cum canticis ſcandunt. Vſque eò ſenſus fidei, perempto in corporibus naturalis infidelitatis metu, corpora ipſa ad ſenſum non ſentiendi doloris emutat, vt per animæ propoſitum firmitas corpori inuehatur; animatumque corpus, in id ſe tantùm ſentiat, in quod animæ ſtudio commouetur, vt quod pati

animus

" animus gloriæ cupiditate contemnit, id ſe pati cor-
" pus, anima vegetante non ſentiat. Hæc in homini-
" bus naturalia ſunt, per animæ ad gloriam ardentis
" calorem, vt paſſiones ſuas neſciant, & vulnera
" ignorent, & mortes non intelligant.] Quo ſenſu naturale dicat eſſe in martyribus, tormenta deſpuere, expoſitum ſuperiùs eſt p. 2. c. 3. num. 22. Eandem martyrum in ſuſtinendo alacritatem, pulcherrimè expreſſit idem S. Hilarius in Pſal. 65. his præ-
" ter cœtera. [Tentationum genera, & diuerſas mar-
" tyrum victorias contuentes, ſcimus quibus modis
" anima ponatur in vitam, cuius contemptu deſæ-
" uientibus pœnarum ingeniis, à fidei greſſu & te-
" ſtimonio non mouentur. Alij enim in vinculis car-
" cerum gloriantur; alij cæſi, in verberibus gratulan-
" tur; alij poteſtati irreligioſorum, deſecanda colla
" ſubmittunt; plures in extructos rogos currunt, &
" trepidantibus pœnæ miniſtris, ignem ſaltu deuotæ
" feſtinationis inſiliunt; alij in profundum demer-
" gendi, non in aquas necaturas, ſed in refrigerium
" æternæ beatitudinis decidunt, toto ipſo ſe corpore,
" DEO hoſtiam tanquam holocauſta præbentes. Per-
" currit ergo per hæc paſſionum genera ex perſona
" Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, pro-
" pheticus ſermo; dicens: Igne nos examinaſti. In-
" duxiſti nos in laqueum; id eſt, in cuſtodiarum ca-
" tenas. Poſuiſti tribulationes in dorſum noſtrum;
" pœnas ſcilicet verberum, in quibus cum Apoſtolis Petrus gaudet, & Paulus exultat.] Hoc eſſe fortitudinis ſummum culmen, de perpeſſionibus gaudere, tradit optimè Theodoretus, ſerm. 10. de prouid. agens de his (vt vocat) pietatis turribus & veritatis columnis, de quibus nunc S. Hilarius. Vniuersè

uerſè autem idem ſtatuit S.Chryſoſtomus homil.1. in 1.ad Theſſal.

4 Quod ſi horrificus tormentorum apparatus, ad terrorem incutiendum oſtentatus, & multo magis atrocitas tormentorum, ſuccutiunculam quandoque aliquam inferebat SS.Martyribus; aduerſus illam tamen carnis non æneæ turbationem, firmabantur robore illo & ære triplici, quod pectoribus circundatum cœlitus erat: Sanctiſſimæ inquam Triadis in eis pugnantis, & ſcuto diuinæ veritatis illos communientis, aduerſus timores nocturnos. [Pone martyrem (inquit S.Ambroſius ſerm.21. in " Pſalm.118.v.1.) pone inquam martyrem inter pe- " ricula conſtitutum, cùm inde immanitas beſtia- " rum, ad incutiendum terrorem infremat, aliunde " ſtridor candentium laminarum, & flamma forna- " cis ardentis exæſtuet; ex parte alia perſonent tra- " ctus grauium catenarum. Hinc carnifex cruentus " aſſiſtat. Pone, inquam, circumſpectantem omnia " plena ſuppliciis. Deinde cogitantem mandata di- " uina; Illum ignem perpetuum, illud ſine fine in- " cendium perfidorum, illam pœnæ recrudeſcentis " ærumnam, trepidare corde, ne dum præſentibus " cedat, perpetuis ſe dedat exitiis; perturbari animo, " dum futuri iudicij romphæam illam terribilem, " quadam conſpectus ſpecie contuetur. Nonne ad " hanc trepidationem, fiduciæ viri conſtantis, æqua- " lis in eundem concurrit effectum, confidentia cu- " pientis æterna, & diuina trepidantis? Itaque ex " carnis infirmitate, trepidarunt quandoque martyres, & ſubito veluti horrore tantiſper correpti ſunt, non tamen ignauè ceſſerunt, ſed ab ipſo ferro opem animúmque ducentes, firmati diuini-

tus

tus ſteterunt immobiles pœniſque ſuis fortiores, vt S. Cyprianus egregiè dixit initio libri de laude martyrij, vſurpauitque ex eo Lucifer Calarit. l. quod moriendum ſit pro Dei filio. Qui illud item ex Cypriano vſurpatum, inferiùs audacter enun-
« ciat. [Torquentibus ſtamus fortiores; inanima-
« mur, vt tuam vngulam artus noſtri pulſati ac la-
« niati ſuperent. Quomodo etenim inexpugnabilem
« fidem ſuperare poterit ſæuiens diu plaga repetita,
« cùm omnis miles Chriſti, ſciat ipſum pro quo pa-
« titur, ſecum eſſe præſentem, gaudentémque de
« ſuorum tolerantia ſeruorum? Stamus vtique famu-
« li Chriſti, eius maieſtate firmati, voce libera,
« mente incorrupta.]

Firmari ſanctos martyres, Dei maieſtate affirmat, quia aſtare Deum agonibus martyrum, eóque veluti ſpectaculo tantæ virtutis, quodammodò recreari & oblectari, ſuóſque pugiles firmare, & ex ſcripturis, & ex Patrum frequenti teſtificatione, compertum eſt. Minutij verba ſunt, nu. 67. [Quàm
« pulchrum ſpectaculum Deo, cum Chriſtianus
« cum dolore congreditur: cum aduerſus minas, &
« ſupplicia, & tormenta componitur: cum ſtrepitum
« mortis, & horrorem carnificis irridens inculcat:
« cum libertatem ſuam aduerſus Reges, & Princi-
« pes erigit; ſoli Deo cuius eſt, cedit: cum trium-
« phator & victor, ipſi qui aduerſum ſe ſententiam
« dixit, inſultat. Vicit enim, qui quod contendit,
« obtinuit. Quis non miles ſub oculis Imperatoris,
« audaciùs periculum prouocet?] Expreſſit apertè Senecam lib. de prouid. Sed profanum hominem, à ſacro hoc ſpectaculo arcens, aduoco Cyprianum
« epiſt. 56. [Ad agonem (*inquit*,) ſecularem, exer-

centur

centur homines, & parantur, & magnam gloriam "
computant honoris ſui, ſi illis ſpectante populo, & "
Imperatore præſente, contigerit coronari. Ecce "
agon ſublimis & magnus, & coronæ cœleſtis præ- "
mio glorioſus, vt ſpectet nos certantes Deus, & "
ſuper eos quos filios facere dignatus eſt, oculos "
ſuos pandens, certaminis noſtri ſpectaculo per- "
fruitur. Præliantes nos & fidei congreſſione pu- "
gnantes, ſpectat Deus, ſpectant Angeli eius, ſpe- "
ctat & Chriſtus. Quanta eſt gloriæ dignitas, quan- "
ta fœlicitas, præſente Deo congredi, & Chriſto "
iudice coronari?] S. item Auguſtinus de hoc ſpe- "
ctaculo egregiè diſſerit ſerm. 63. de diuerſ. c. 1. docens prouidiſſe Deum ſuis, ne oblectationibus conuenientibus fraudarentur, ſpectacula varia; ipſum inprimis Chriſtum, quem in ſpectaculum eſſe propoſitum monſtrat ex nonnullis ſcripturis. Deinde ſanctos martyres quos & Deo & Angelis & hominibus ſpectaculum factos exhibet; ipsóſque ſpectatores bonos producit mirantes fidei integritatem. Nam vt ait, [magnum ſpectaculum præbet "
oculis cordis integer animus, corpore diſſipato.] "
Hæc ſpectucula, piis Chriſtianis fuiſſe loco profanorum, quorum aliqui erant tunc appetentiſſimi, docet ibidem Auguſtinus, & idem attingunt Tertullianus ac Cyprianus, vterque in calce operis de ſpectaculis, & Valerianus Cemelienſis homil. 10. Non eſſe autem, hæc & hominum, & Dei ipſius ſpectacula, reſpectu Dei contuitionem nudam, ſed cum cœleſtium ſuppetiarum ſubminiſtratione, obſeruat frequenter D. Auguſtinus, & nominatim in Pſalm. 39. & ſerm. 105. de temp.

Lapſorum

Lapſorum quorundam ruina, nihil fortium roborì derogat.

5. Non inficior aliquos interdum Chriſtianos, tormentis fractos, emollita animi firmitate, æterno Dei conſilio & iuſto iudicio ſibi permiſſos, ceſſiſſe immanitati cruciatuum diuturniorum, & viuos fuiſſe abſorptos, vt ait D. Auguſtinus in Pſ. 63. Argumentum id potiùs fuit humanæ humanæ fragilitatis, & pertinacis inſecutorum ſæuitiæ, quàm fucatæ initio fortitudinis, vt S Cyprianus egregiè docuit lib. de lapſis num. 50. verbis illis. [Queri de tormentis poteſt, qui per tormenta ſuperatus eſt: excuſationem doloris obtendere, qui victus eſt in dolore. Poteſt rogare talis & dicere: certare quidem fortiter volui, & ſacramenti mei memor, deuotionis ac fidei arma ſuſcepi: ſed me in congreſſione pugnantem, cruciamenta varia & ſupplicia longa vicerunt. Stetit mens ſtabilis, & fides fortis, & cum torquentibus pœnis, immobilis diu anima luctata eſt. Sed cum duriſſimi iudices recrudeſcente ſæuitia, iam fatigatum; iam laſſum corpus; nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc vngula effoderet, nunc flamma torreret; caro me in colluctatione deſeruit, infirmitas viſcerum ceſſit; nec animus, ſed corpus in dolore defecit. Poteſt citò proficere ad veniam, cauſa talis: poteſt eiuſmodi excuſatio, eſſe miſerabilis.]

Hæc mihi de lapſis illis Cypriani doctrina magis arridet, quàm quæ habetur apud S. Baſilium hom. 29. quæ eſt de pœnitentia, vbi de martyribus deſigna

deſignatis retro aſpicientibus, ita philoſophatur, vt aliquos dicat, lingua tantùm deficere, & ideò poſtmodùm redire ad cor, Deo tormenta ex parte iam excepta, obſeruante & remunerante: alios autem qui in peccato ſuo moriuntur, non lingua tantùm, ſed & animo abieciſſe fidem. Et in bello (inquit) victor quoque vulneratur, nec ob id non coronatur, quod vulneratus eſt: ſed vulneratus eſt plurimum, dum operi bellico incumberet. Vnumne malum reputat Deus, multa verò bona non reputat? Quot martyres primum quidem Chriſtum abnegarunt, poſt verò ad pugnam redierunt, ſed qui lingua tantùm, non animo abnegarant. Caro enim infirma eſt. Qui negat, excidit, qui rurſus confitetur, pugnam repetit. Nõ enim ita Deus quæ mala ſunt obſeruat, vt quæ bona ſunt reprobet. Et fit plerumq; vt in tortura cõſtitutus aliquis, non ferendo cedat, non animi propoſito, ſed dolore ſuperatus: is vbi demiſſus ab equuleo, ac reſpirationem nactus fuerit, ad pugnam redit. Modicum ne dictum obſeruabitur à Deo, tormenta verò non recenſebuntur? Verùm Deus iudicabit, non hominum audacia. Audes Deo leges præſcribere, qui & infirmitatem humanam nouit, & auxilium ſuppeditat, & victoriam largietur?] Hæc Baſilij doctrina, neque vniuerſaliter vera videtur quoad redeuntes ad cor, neque quoad cadentes abſque ſpe. Quare magis arridet, quod de lapſis prædictis ex Cypriano referebam: humanam ſcilicet fragilitatem, & tormentorum atrocitatem, non ſatis cohæſiſſe, & idcirco à cognoſcentibus figmentum noſtrum, commiſerationem exigere.

6. Nec aliter de iis ſtatuendum, quos cum for-

midoloſa carnificum pompa non terruiſſet, nec diuiſi lateris ſulcus infregiſſet, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuiſſent *diaboli* tamen *illecebræ. & via ad Deum ferentis impedimenta*, vt loquitur Nazianzenus orat. 18. num. 22. emolliuerunt: Quos inquam vis amoris in ſuos, inflexit, & molli quadam ac conciliatricula vxoriæ ſedulitatis affectione traduxit; vel teneræ ſobolis gratia, vt dulci ad amorem, ita facili ad lapſum, auocauit à recto. Dedi ferè S. Ambroſij verba ſerm. 15. in Pſal. 118. ad v. 1. mollitiem illam deplorantis: Cui arieti pietatis declinando S. Hilarius in Pſal. 118. ad literam Samech, annotat indictum à Domi-
« no odium parentum & ſanguine iunctorum. [Scit
« enim (*inquit*) eſſe Dominus plures tam inconſulti
« amoris, vt ſi perſiſtere in martyrij gloria filios
« ſuos videant, vt tempori cedant, rogent; vt ſenten-
« tiam mutent, precentur; & pietatis impiæ erga eos
« vtantur affectu; cum anus mater, & pater ſenex mi-
« ſerabiles canos filiis in ipſo martyrij certamine cum
« inuidia prædurae voluntatis eorum, oſtendant. Hinc
« & vxor adſit, filiorum ambitioſa comitatu, oret vt
« potiùs ſibi illiſque viuat: Hinc fratres & ſorores
« blandis nominum ſuorum familiaritatibus depre-
« centur. Ipſa quoque anima, illecebris iampridem
« capta viuendi, tacitis quibuſdam conſiliis, ad conni-
« uentiam deflectendæ voluntatis irrepat. Hoc igitur
« in tempore odiſſe nos patrem, matrem, vxorem, fi-
« lios, fratres, ſorores, & ipſam quoque animam Do-
« minus præcepit. Nam hunc eundem ſermonem ita
« clauſit, poſt odium vniuerſorum dicens; & ſi quis
« non portat crucem ſuam, & venit poſt me, non po-
« terit meus diſcipulus eſſe. Ergo tunc odio habendi

ſunt,

ſunt,cum portare nos martyrij crucem nolint; cum "
ſequi Deum,exemplo paſſionis dehortentur.Hone- "
ſtum hoc odium & vtile eſt, eos qui ab amore "
Chriſti abducere conantur, odiſſe.] Qui autem "
amore ſuorum emolliri ſe ſinerét, damnati meritò ſunt ignauiæ & elumbis mollitiei:quam nego aſſertæ hactenus martyrum conſummatorum fortitudini, quicquam derogare: cum potiùs in eorum decus cedat, eorúmque extollat robur, quos nulla inimica vis dimouere, nullus contrarius impetus extrudere à recto valuit, ſiue validus & ferox hoſtium, ſiue mollis & blandus domeſticorum atque charorum.

Poteſt verò ad vtrumque caput reuocari,illud in quo exerendam vniuerſam martyrum fortitudinem cenſuit S. Cyprianus l. de laude martyrij, nempe inſultus verborum. Nam & verba quædam ſunt perpeſſu aſpera,vt ſannæ, & maledicta, ac contumeliæ;& quædam ſuper oleum mollita,quamuis & ipſa ſint iacula:& in vtriſque retundendis, non parũ emicuit Chriſtiana fortitudo. S.Cypriani ſententia eſt lib.illo de laude martyrij num.10. [Tunc omne "
fidei rubur expanditur, tunc credulitas comproba- "
tur,cùm in ſermones vulgi atque in opprobrium "
veneris: cúmque te contra illas populares inſanias "
religioſa mente firmaueris, conuincens ſcilicet ac "
repugnans,quidquid ſuper perſona tua in iniuriam "
Chriſti profanus ſermo iactauerit: vt cum aduerſo "
mari moles oppoſita reluctatur,feriant licet fluctus, "
& reuolutum æquor idemtidem pulſet; tamen hæ- "
ret immobilis virtus,nec vndis circumſpumantibus "
adoperta ſuccumbit, donec per ſcopulos vis digeſta "
ſe ſupprimat,& ſuperiacens ſaxis, in aperta littoris "

ſpatia victum æquor euadat. Quid enim eſt in illis
" aliud, quàm ſermo vacuus, & inane colloquium, &
" inanium voluptas praua verborum?]

Excitatio ignauiæ mollium Chriſtianorum, ex tanta martyrum fortitudine.

7. De martyrum fidei, ſumma fortitudine, apertè liquet. Eam ſanè D. Auguſtinus cum alibi tum pulcherrimè ſerm. 168. de tempore obiicit delicatis Chriſtianis, vt eos ſcitè nominat Tertullianus c. 28. de ſpectac. iis inquam qui voluptates captant, cum eas à SS. martyribus tam generosè abiectas audiant; qui ob inane conuicium, aut miſeri cuiuſpiam obloquium, à charitate Dei ſeparantur, cum tamen non ignorent SS. Martyres nec atrociſſimis tormentis potuiſſe à charitate Dei, atque adeò etiam proximi, diuelli; conteſtante Apoſtolo inter martyres eminentiſſimo, ac in omnium martyrum, quippe eodem ſpiritu actorum, perſona: Quis nos ſeparabit à charitate Dei? & negante vllam id poſſe creaturam. Expreſſiſſe autem. B. Pauli in iis verbis ſpiritum, omnes martyres, S. Ephrem autor eſt in calce prioris encomij SS. Martyrum. Qui etiam in poſteriore eorundem laudatione, propoſita martyrum heroica fortitudine, egregiè & fortiſſimè caſtigat ſegnitiem mollium Chriſtianorum. Eandem martyrum fidei ſummam fortitudinem ad diſcutiendum Chriſtianorum torporem, & roborandam imbecillitatem, ab Eccleſia perpetuò ingeri, tanquam ad id accommodatiſſimam, optimè obſeruauit Laurentius Iuſtin. l. de caſto connubio verbi & ani-
" mæ c. 8. verbis illis. [Quid eſt aliud ſanctorum vita

quàm

quàm infirmorum exhortatio, & pugnantium vigor? In theatro quippe Chriſtianæ militiæ, omnes conſtituti ſunt. Singuli ſua quæque proponunt fortia geſta. In ipſo pueri, puellæ, iuuenes, virgines, viri, ſenes, & decrepiti. Omnes fidei oculo inſpiciendi ſunt, & quanta virtute certauerint conſiderandi. Præ cæteris tamen, agones martyrum multùm fideles quoſque ædificant ad certandum. Vnde ipſa Dei ſapientia, vt eorundem glorioſiſſimum exercitum proferret in exemplum puſillis, voluit in eccleſia paſſiones illorum iugiter recitari, inter quos extitere nonnulli vtriuſque ſexus, qui vltra hominis naturam pugnauerunt acerrimè. Quis etenim non confundetur tepore dormitans? Aut quem non accendet pugnantem pro Chriſto & tribulationibus laborantem ad tolerantiam, ſi audierit, qualiter beata Agatha lætiſſimè & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata, ſuum agonem precibus Domino commendabat, ipſaque quàm fortis in mammillarum tortura, in mortis perpeſſione extiterit? Cæciliam quoque quum carnem cilicio domuiſſe, quum organis cantantibus, ipſam in corde Domino; vt corpus ipſius fieret immaculatum decantaſſe, quum plurima tormentorum genera ſuperaſſe cognitum fuerit, nónne & ipſa ſuo multùm prouocabit exemplo? Cuncta beatiſſimorum martyrum vulnera, vincula, carceres, aculeorum cruciatus, lampadum aduſtiones, membrorum ſectiones, excoriationes, perſecutiones, verbera, opprobria, exquiſita & auditu horrenda tormenta, ſuis vocibus clamant, vt fortiter dimicetur.]

Ἀλληλουχία *fortitudinis, pugilum charitatis & fidei.*

8. Saluis omnino, & nullatenus imminutis tantæ fortitudinis iuribus, in fidei martyribus, pergo ad declarandam inſignem fortitudinem, quam in alta Eccleſiæ pace, produnt charitatis martyres. Quod vt perſpiciatur, operæpretium eſt, atrocitati tormentorum & cruciamentorum circa quæ martyrum fidei ſtrenuitas proditur, aliam nihilo mitiorem, plerunque etiam horribiliorem carnificinam componere. Eorum inquam ſymptomatum, & peſſimorum corporis affectuum, quorum lues ferax eſt. Expatiatus in eo argumento eſt Lucretius extremo libro 6. quem ex parte expreſſit Maro 3. Georg. à v. 480. & Naſo. 7. metamorph. fabu. 2. à. v. 80. & apud Tragicum chorus 1. Oedipi, qui preſſum funere funus, longúmque ad manes ordinem agminis mœſti, cum deſcripſiſſet, exclamat.

[O dira noui facies lethi,
Grauior letho! Piger ignauos
Alligat artus languor, & agro
Rubor in vultu, macúlaque caput
Sparſere leues. Tum vapor ipſam
Corporis arcem flammeus vrit,
Multóque genas, ſanguine tingit,
Oculíque rigent, & ſacer ignis
Paſcitur artus: reſonant aures,
Stillátque niger naris adunca
Cruor, & venas rumpit hiantes.
Intima creber viſcera, quaſſat
Gemitus ſtridens. Iámque amplexu

Frigida preſſo ſaxa fatigant.
Quos liberior domus elato
Cuſtode ſinit, petitis fontes,
Alitúrque ſitis latice ingeſto.
Proſtrata iacet turba per aras,
Orátque mori.]

9. Verum quàm miſerè ac diuerſimodè, per peſtem afficiatur corpus contactum, & quomodò prout virulentia morbi grauior, & aptius ad ſenſum eſt corporis temperamentum, acerbior ex ea exiſtat dolor, non tam ex Poëticis deſcriptionibus, vel lectione librorum de lue, qui plurimi extant à Medicis conſcripti, quàm experimento contactorum nuper didicimus: quorum aliqui vi morbi planè acti in rabiem, vt niſi validiſſime conſtricti fuiſſent, edituri ſtragem non modicam viderentur: Alij emota mente per feneſtras acti præcipites, ſolo alliſi egerunt animas: Quidā quod ille olim cecinit,

[*Ardebant, ipsíque ſuos iam morte ſub ægra*
(Dij meliora piis, errorémque hoſtibus illum,)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.]

Nuper hîc piſtor præ luis virulentia in furorem actus, vxorem buxo oblongo ac tereti quo maſſa farinaria ſubigitur, cum aliquandiu contudiſſet, & pene exanimaſſet per veſpillones, conſtrictus in contactorum diuerſorium cum abduceretur, flammas queis ardebat temperaturus deſiluit in flumen quod præteruehendus erat, & merſus eſt. Quæ ſors aliis quàmplurimis ſui item præ interno ardore impotentibus fuit communis. Faber ferrarius firmiſſimo & prævalido corporis habitu, ſui item factus impos, vxorem ſtrangulare diu conniſus, cum illa poſt aliquam colluctationem ſubduxiſſet ſeſe, &

ſubtus lectum ſe abdidiſſet puerum tenellum penè interemit. Correptum enim infœlix pater, de ſecundæ contignationis feneſtra præcipitem egit; illico & ipſe conſecutus: cúmque non noua fatuis fœlicitate euaſiſſet indemnis, in fluuium non ita procul poſitum concito curſu deſiluit, & merſus eſt. In Patris Emondi Augerij carmine de Lugdunenſi lue anni 1564. lego mulierem de ſummo tecto filiam deieciſſe, móxque ipſam quoque ſubſecutam, ambas eidem pauimento illiſas ſanguinem ſuum miſcuiſſe, & miſerrimè extinctas eſſe. Tantum in matre, vis morbi potuerat. Hæreo in proxima calamitate. Permulti, conſtante mentis ſanitate, intolerabilibus ſe doloribus vexari, profeſſi, queîs nunquam acerbiores perſenſiſſent; & quod pleríſque caſtitatis amatoribus accidebat longè moleſtiſſimum, iis ad venerem motibus prurire, quamuis inguere mortem, ac ſi laſciuiæ habenas permitterent, æternum impendere exitium non dubitarent, vt deſperanda in eo œſtro repreſſio videretur: quod pleriſque de æterna ſua ſalute & peccati fuga ſollicitis, ſupra vim morbi cæteróqui importabilis acerbiſſimum fuiſſe, non ſemel comperi per tempus calamitatis proximæ. Accepi certis nunciis rem ruboris pleniſſimam. Apud Cauares, adeò cum lue exarſit impuri amoris incendium, vt media in vrbe ſexus infirmior viros vltrò raperet. E noſtris duo, Ioſephi exemplo renouato, dimiſſis palliis mobiles illas petulantiæ pyras, ægrè euaſerunt. Heu pudoris cladem, omni per peſtem corporum clade atrociorem.

Ilias malorum, cui miſericordiæ martyres, fortiter ſe exponunt.

10. Ex hac rudi adumbratione peſſimi ſtatus corporum, totiúſque hominis per peſtem, æſtimari debet fortitudo martyrum miſericordiæ. Hominem enim ſano corpore & animo, propter Deum, & ad proximi commodum, vltrò, imo alacriter in eam dolorum immanitatem, & mentis emotionem miſerabilem immittere ſeſe, quantæ quámque eximiæ fortitudinis ſpecimen videri debet? At hoc probabiliſſimè in charitatis ſuæ ſtipendia ſibi obuenturum, ſperare mox debet quiſquis ad lue contactorum miniſterium accingitur: quod quanquam aliqui diuina benignitate illæſi abeant, tamen id & infrequens admodum ſit, & nemo inueniatur, qui illam ſibi indemnitatem ſpondere certò, vel etiam veriſimiliter queat. Itaque comparatum eſſe animo oportet, ad omnem illam malorum iliadem, corpore ſuo excipiendam: Eámque oculis aut animo obuerſantem, deſpiciat neceſſe eſt, quiſquis ad hoc ægrorum ſubſidium aggreditur. Quæ quanta ſit fortitudinis excellentia, non habeo quomodò pro dignitate exponam, niſi ſi illa vſurpem ex S. Cypriano libro de mortalit. num. 24. Chriſtianos confirmante aduerſus peſtis horrorem. [Hoc quod nunc « corporis vires, ſolutus in fluxum venter euiſcerat, « quod in faucium vulnera conceptus medullitus ig- « nis exæſtuat, quod aſſiduo vomitu inteſtina qua- « tiuntur; quod oculi vi ſanguinis inardeſcunt, quod « quorundam vel pedes, vel aliquæ membrorum par- « tes contagio morbidæ putredinis amputantur; quod «

« per iacturas & damna corporum prorumpente lan-
« guore, vel debilitatur inceſſus, vel auditus obſtrui-
« tur, vel cæcatur aſpectus, ad documentum proficit
« fidei. Contra tot impetus vaſtationis & mortis, in-
« concuſſis animi virtutibus congredi, quanta pecto-
« ris magnitudo eſt? Et quanta ſublimitas, inter rui-
« nas generis humani, ſtare erectum; nec cum eis
« quibus ſpes in Deum nulla eſt, iacere proſtratum?]

11. Hoc verò, vt de Iobo, & quibuſuis SS. Martyribus, propter eorum fortitudinem dixit S. Maximus centur. 4. ex variis cap. 78. hoc inquam, eſt, exhibere ſe *lucernas præpotentes*, quæ reflantibus ventis validiſſimis, & tentationum flabris vehementiſſimis, ex tanto incommodorum cumulo, inextinctum tamen ſeruent lumen ſalutis, nec animis cadant. Et differtur quidem interdum pij miniſtri à morbo correptio. Reuera tamen ea ad aliquod tempus à contagio immunitas, longiorem exercendæ fortitudinis materiam ſubminiſtrat, & plerunque maioris perfectionis indigam, quàm depoſceret prompta vitæ abreptio per immanem cruciatum. Quod egregiè expreſſit Nazianzenus Iambico 18. num. 81. ſupra ignes, enſes, barathra, cruces, feras, famem, luxatos & pedibus ſuis vulſos artus, oculos ruptos, frigus, tenebras, corpora in præceps data, ſupra omne denique carnificis in tormentis ingenium, extollens tormentum quo animus, per aliquod temporis interuallum, non vano timore ingruentium grauium malorum percellitur. Huic acerbitati, nullum eſſe æquale tormentum affirmat.

[*Ardor doloris, nam metum mox eximit.*
Timere verò ſemper, eſt ſemper pati:

Mor

Mortéſque ferre plurimas loco vnius.]

Cum ergo luis contrahendæ, & incommodorum omnium quæ luem conſequuntur, mortíſque etiam ipſius, iuſtus & plus quàm probabilis metus, hominem lue contactorum miniſterio addictum occupet, quo plus ab ea labe nitens ac purus perſeuerat, eò diutiùs animi pendeat, & immanem illam animi lanienam diutiùs perferat, neceſſe eſt.

Vltro auelluntur à charis, & aduerſus verborum iacula obfirmantur.

12. Nec deſideratur hoc loco illud fortitudinis argumentum, in quo pleróſque à martyrio fidei iam inito emollitos, ex S. Ambroſio obſeruabam: nempe diuulſio à dulci charorum conſuetudine. Ex quo enim homo charitate ſaucius, huic ſe ſancto operi addixit, æquè per vniuerſum miniſterij tempus refugitur, ac lethifer morbus, quem iure in alios transfuſurus timetur. Quare adhuc ſanus & incolumis, horrorem ſui, iuſtúmque timorem aliis ingenerat; vt etiamnum viuentem, præmori quodammodò ſuis, & à ciuili ſocietate extraneum fieri oporteat, quæ non eſt exigua fortitudinis materia: & ratione eius pugiles Chriſti, quod S. Maximus centur. 5. ex variis cap. 75. egregiè expendit, Melchiſedechum quodammodò referunt, facti ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, non habentes quo pacto à carne & natura teneri poſſint, propter comparatam affinitatem cum ſpiritu robuſtorum. Et cernitur hîc quoque ſancta illa ebrietas, quam in fidei martyribus ſuos deſpicientibus, celebrat S. Auguſtinus in pſal. 35. & 74.

Ad

Ad extremum, habet quoque hîc locum, fortitudo aduerſus verborum iacula, quam in fidei martyribus expoſcebat S. Cyprianus. Eius enim fortitudinis, nuſquam vſus non eſt Chriſtiano, viuenti & agenti Chriſtianè, cui nunquam deſunt qui obſtrepant, & intortis maledicentiæ iaculis, ſint infeſti. Neque igitur in tam ſancto támque Chriſtiano miniſterio, cos pietatis, & proba germaniſſimæ humilitatis, ex ore filiorum huius ſeculi; qui quandoque per errorem craſſum, aliquando per malitiam meram, & ex libidine in alienam famam graſſandi, piam mentem ſanctorum Chriſti athletarum, ſiniſtrè interpretantur, & aliorſum auertunt, atque diſtorquent dicta eorum, factáque. Sunt etiam qui ſummæ charitatis opus, à gratuitæ operæ miniſtris, tanquam debitum exigant. Nec deſunt qui per ſummam ingratitudinem cauſas ſibi fingentes querelarum à ſannis non temperent, aut eos conuitiis proſcindant, quorum greſſibus accidere, & exoſculari demiſſiſſimè veſtigia, ſi mens non læua fuiſſet, conſentaneum foret. Vt taceam vlteriorem malorum pro bonis repenſionem, quæ in hoc genere noua non eſt. Nam S. Cyprianus, vt in eius vita ſcribit Pontius, nullo in Ethnicos lue contactos officij genere prætermiſſo, poſtmodum abſterſa lue, exilio multatus eſt. Quæ omnia expromendæ Chriſtianæ fortitudinis materiam ſuppeditant, nec exiguam, nec infrequentem.

Eorum eminentiſſima fortitudo, concluditur.

13. Ratum igitur eſto, fortitudinem in miſericordiæ martyrio requiſitam, æmulari robur animi neceſſa-

neceſſarium martyrio in cauſa fidei: & ad hos quoque in Eccleſiæ pace martyres, accommodari iure poſſe, quæ de fortitudine martyrum ſub typo militum Gedeonis, lagenas confractas educentium in præliū, pulcherrimè tradunt S. Auguſtinus q. 49. in iudices S. Proſper 2.p.de promiſſ.c.18.S. Gregorius 30.moral.c.33.& 34.& Rupertus l.1.in Iudic.c.11. Bellè quoque in eóſdem cadit, quod de fortitudine Chriſtianorum pugilum Ethnicis agoniſticis collatorum, traditur à Tertulliano c. 6. Scorpiaci, refellente Gnoſticos Deum crudelitatis incuſantes, ob approbatum martyrium. At è contra Tertullianus, maximè decuiſſe demonſtrat, hanc fortitudinis exercendæ materiam ſuis præbere, qua & clariores efficiantur, & ad immarceſcibilem coronam ius comparent: cum ſine probro agonothetes, ad ictus & vulnera quæ ipſi pyctes non refugiant, aduocet certaturos. [Ab æuo (inquit Tertullianus,) « digniſſimum creditum eſt, ſtudiorum experimen- « tum, committere artes, corporum & vocum præ- « ſtantiam expendere, præmio indice, ſpectaculo « iudice, ſententia voluptate; qua nulla ſunt prælia, « nulla ſunt vulnera, pugni quaſſant, calces arietant, « cæſtus dilaniant, flagella dilacerant: nemo tamen « agonis præſidem ſuggillauerit, quòd homines vio- « lentiæ obiectet. Iniuriarum actiones extra ſtadium: « ſed quantum liuores illi, & cruores, & vibices « negotiantur intendis, coronas ſcilicet, & gloriam, « & dotem, priuilegia publica, ſtipendia ciuica, « imagines, ſtatuas, & qualem poteſt præſtare ſæ- « culum de fama æternitatem, de memoria reſurre- « ctionem. Pyctes ipſe non queritur; dolere ſe non « vult, corona premit vulnera, palma ſanguinem «

obſcu

obſcurat, plus victoriarum eſt quàm iniuriarum. Hunc tu læſum exiſtimabis, quem vides lætum? Sed nec victus ipſe, de agonotheta caſum ſuum exprobrabit. Deum dedecebit artes & diſciplinas ſuas educere in medium, in hoc ſæculi ſpatium, in ſpectaculum hominibus, & Angelis, & vniuerſis poteſtatibus? Carnem atque animam probare de conſtantia, atque tolerantia? Dare huic palmam, huic honorem, illi ciuitatem, illi ſtipendium.] Hæc in noſtros quoque chariratis agoniſticos, quàm rectè cadant, cum tanta generoſitate, & ſuorum incommodorum contemptione certent cum compare inuulnerabili, (peſtem dico,) & læti, contractæ vt plurimum virulentiæ, mortem inferenti inſultent, nemo non videt. Itaque extra dubium eſt, congruentiſſimè, certè aptiùs in hos cadere, quæ S. Cyprianus l. de opere & eleemoſinis, de erogantibus eleæmoſinam in hunc modum diſputat, quandoquidem hæc quoque ſumma eſt eleæmoſina, ac ſubuentio, qua cogitari non poſſit « maior, aut fructuoſior ei cui impenditur. [Munus « bonum eſt eleæmoſina, omnibus qui faciunt eam « coram ſummo Deo. Quale munus eſt, fratres cha« riſſimi, cuius editio Deo ſpectante celebratur? Si « in Gentilium munere, grande & glorioſum vide« tur, proconſules vel Imperatores habere præſen« tes, & apparatus ac ſumptus apud munerarios ma« ior eſt, vt poſſint placere maioribus: quanto illu« ſtrior muneris & maior eſt gloria, Deum & Chri« ſtum ſpectatores habere? Quanto iſthic & appara« tus vberior, & ſumptus largior exhibendus eſt, vbi « ad ſpectaculum conueniunt cœlorum virtutes? « conueniunt Angeli omnes: Vbi muneratio, non

quadri

quadriga, vel conſulatus petitur, ſed vita æterna præſtatur: nec captatur inanis & temporarius fauor vulgi, ſed perpetuum præmium regni cœleſtis accipitur?] Diceres ſcripta de hac eleæmoſina; tam appoſitè in eam cadunt.

CAPVT IV.

Perfecta in vtroque martyrio configuratio cum Chriſto qui eſt teſtis fidelis.

1. QVia verum martyrium, vt ſcitè dixit Lucifer Calaritanus l. quod moriendum ſit pro Dei filio, *ſingularis imitatio eſt dominicæ fortitudinis*; meritò poſt factam fortitudinis in vtroque martyrio micantis contentionem, gradum facimus ad eorum analogiam cum Chriſti martyrio.

Chriſtus verè ac propriè martyr.

Illud verò ante omnia ſupponendum eſt, Chriſtum Dominum verè ac propriè martyrem fuiſſe, ac etiam martyrij principem & magiſtrum. Agnoſcunt martyrem Chriſtum, graues Scholaſtici. Altiſſiodorenſis l. 3. ſummæ tract. 7. cap. penultimo, Richard. quodlib. 1. art. 1. q. 6. Martinus de Magiſtris q. 3. de martyrio *initio*, & alij. Imo nihil in Chriſto à martyrio vacaſſe, ait Gulielmus Paris. lib. de leg. c. 28. *ſub finem.* Patres quoque, Chriſtum martyrem ſtatuunt. Origenes tomo 9. in Ioan. ad illud *ecce Agnus Dei*, vocans martyres, *victimas primæ victimæ cognatas*, id eſt Chriſto, & idcirco *conſpectas à Ioanne iuxta cœleſte altare.*

Quod

Quod ex S. Ambroſij ſermone, notatum quoque eſt a Paſchaſio Rathberto l. de Corp. & Sanguine Dom. pag. 141. & ex parte etiam expreſſum fuit à Nazianzeno carmine de vita ſua num. 127. vbi vocat martyres *ſecundas victimas*, nempe præ Chriſto. Sed & orat. 18. num. 7. vocat Chriſtum *primum martyrem*. Et orat. 3. vocat ſimpliciter & abſolutè *martyrem*, exprobrans Iuliano, quod aduerſus Chriſti ſacrificium ſua piacula ſtatuiſſet; aduerſus eum cruorem quo mundus purgatus eſt, cruores ſuos; bellum aduerſus pacem; aduerſus reſurrectionem inſurrectionem: (alia huiuſmodi antitheta congeminat.) tandémque concludit: *aduerſus martyrem, ne martyres quidem*. Quod ibi Elias ita accipit, vt ſenſus ſit, aduerſus Chriſtum antonomaſticè martyrem (quippe confeſſum coram Pilato bonam confeſſionem,) ne martyres quidem eſſe pateris: verùm conaris vt Chriſto hinc quoque mœrorem inferas, eorum martyrium obſcurare, confictis aliis cædium cauſis. Qui ſenſus æquè negotio præſenti inſeruit, ac ille alius quem Billius rectè præfert tanquam genuinum. Nempe Iulianum habuiſſe quidem aliquid, (etſi impium & nefarium,) quod Chriſto opponeret, vt ſanguinem aduerſus ſanguinem; ſacrificia aduerſus ſacrificium, manum aduerſus manus in cruce extenſas, inſurrectionem aduerſus reſurrectionem, &c. At quos martyri, (hoc eſt Chriſto, antonomaſticè ſic dicto,) martyres opponeret, nullos omnino habuiſſe. Vtraque interpretatio æquè fert quod intendimus. Conſonat S. Auguſtinus in Pſalm. 63. initio, vbi ait Chriſtum eſſe primum qui paſſus eſt, & ex eius contuitu reliquos martyres fortes euaſiſſe. Ideóque eum

eum *Regem martyrum* appellat. At ſerm. 48. de Sanctis, aliis vocibus, eodem ſenſu, vocat *martyrem martyrum, teſtem teſtium.* Summum martyrem, vocat auctor libri de dupl. martyrio apud Cyprianum. Solum nomine martyris donandum, cenſuerunt Lugdunenſes martyres apud Euſebium lib. 5. hiſtor. c. 3. refugientes perhonorificam martyrum appellationem, qua donabantur cum eſſent martyres deſignati. S. Cyprianus, aut quiſquis auctor libri de oper. Chriſti Card. ſerm. de Paſſion. ſanctum latronem, ait factum Chriſto collegam martyrij: Itémque S. Ephrem in encomio SS. 40. martyrum, ait, Chriſtum paſſionis ac martyrij ſui ſocios, vbique inſtruxiſſe: quæ locutiones, Chriſti martyrium diſertè ſupponunt; quod item agnoſcunt S. Maximus ſerm. 1. de S. Cypriano, exponens calicem martyrij, Damaſcenus 4. de fide c. 10. in ſeptima baptiſmi ſpecie, Rupertus latè & optimè, loco poſtea proferendo, Richardus Victor. ſuo cap. 13. in Cantica. Seruus Dei, Epiſcopus Afer apud Gennadium & Honorium Auguſtodunenſem in catalogis, refellens eos qui aiebant, Chriſto in martyrij remunerationem fuiſſe conceſſum poſt reſurrectionem, vt tum primùm videret Deum oculis carnis. Denique Stephanus Durantus l. 1. de ritibus c. 1. num. 11. eodem refert priſcam denominationem inſignis baſilicæ à Conſtantino magno exædificatæ, & ſolemniſſimo apparatu dicatæ in Caluariæ monte, quam *magnum martyrium*, dici placuit. Perperam enim interpres apud Euſebium l. 4. de vita Conſtantini à c. 40. vertit *martyrum domum*, cum abſolutè fuerit retinenda Græca vox latio donata *martyrium*, quam in eo ſenſu vſurpat Augu-

 ſtinus

ſtinus 22.ciuit. c.8. Iſidor. 15.Orig. c.4.& Vualafr. cap.6. rerum Eccleſ. Dicta autem eſt Eccleſia illa, *magnum martyrium*, à Chriſto, ibidem paſſô martyrium. Ait quidem Cyrillus Hieroſol. cathec. 14. eam ſolùm a Conſtantino extructam baſilicam, inter cæteras ſacras ædes montis Caluariæ, ſortitam nomen *martyrij*, quia ibi Apoſtoli, accepto Spiritu ſancto, facti ſunt teſtes reſurrectionis Chriſti: quo aptat illud Sophoniæ 3. *expecta me, in die reſurrectionis meæ in futurum.* Ipſe legit *in teſtimonium*: Tamen cum Apoſtoli, Spiritum ſanctum, eo viſibili apparatu quo initium factum eſt publicæ teſtificationi Euangelij, non acceperint in Golgotha, ſed in ciuitate, vbi induti ſunt virtute ex alto, veriſimile admodum eſt, quod ex Durantio dixi: nempe baſilicam illam primariam, dictam fuiſſe *magnum martyrium*, à martyrium ibidem paſſo *martyrij magiſtro*, prout Chriſtum appellat S.Irenæus lib. 3. c. 12. Hæc pleniore manu, ex PP. & Eccleſiaſtica antiquitate congeſſi; quod mirari ſubiuerit Pamelium, diligentem cæteróqui ſcriptorem, ad librum de duplici martyrio, (qui inter nothos D.Cypriani partus habetur) num. 5. affirmare, locutionem qua Chriſtus martyr appellatur, abhorrere ab vſu veterum, ideóque non eſſe probandam. Hoc vides, manifeſtè falſum eſſe, quamuis non diffitear, differentiam longè maximam eſſe inter Chriſti cœterorúmque martyrium; & meritò reliquos dictos eſſe *ſecundas victimas*, quod Chriſtus multis partibus omnes martyres ſuperet, vt latè expendit S. Auguſtinus tract.84. in Ioan. & Eſpencæus in 2. ad Timoth. c.2.

Prior titulus martyrij in Chriſto.

2. Sic conſtituto vero ac proprio Chriſti Domini martyrio, quale ferunt allegata Patrum teſtimonia, móxque ex nonnullis Scripturis firmabimus, occurrit duplex modus quo Chriſtum, martyrem fuiſſe, exponi poteſt. Neque enim nouum eſt, vt quis ex duplici, (vt ſic dicam,) totali titulo, martyrium ſubeat; quandoquidem multæ virgines, & quia Chriſtianæ, & quia inquinationem refugientes, martyrio ſunt perfunctæ. Similiter ergo, martyrij in Chriſto duplex titulus, & vterque idoneus, proferri poteſt. Priorem attigit Billius ex Niceta ad orat. 18. Nazianzeni, & Elias Cretenſ. ad orat. 3. quod ſcilicet Chriſtus, idcirco habendus ſit martyr, quia interemptus eſt, cum ob traditas pleraſque veritates morales, ob quas in Phariſæorum & aliorum corruptiſſimorum hominum odium incurrit: Tum maximè, quia conſtanter euulgauit illam ſublimiſſimam fidei veritatem, qua patrem ſuum dicebat DEVM. Quam bonam confeſſionem confeſſus eſt, teſtimonio reddito coram Pilato, vt loquitur Apoſtolus. 1. Timo. 6. Vbi etiam cap. 2. additur, Chriſtum dediſſe ſe teſtimonium Græcè *μαρτύριον*, quod ibi S. Chryſoſtomus & Theodoretus, de martyrio Chriſti in paſſione interpretantur. Eodem ſenſu Chriſtus initio Apocalypſeos, vocatur fidelis teſtis, Græcè *μάρτυρ*. Quod luculenter in eum locũ his verbis enucleauit Rupertus. [Verè teſtis, quod « græcè dicitur martyr, quia & natus ob teſtificandam « veritatem, & mortuus eſt pro teſtimonio veritatis, « quemadmodum ipſe Pilato dicit: ego in hoc natus «

Nn 2 ſum,

" ſum, & ad hoc veni in mundum vt teſtimonium
" perhibeam veritati. Nam & pater quidem teſtis, de
" quo ipſe Ieſus Chriſtus, & teſtimoniū, (*inquit*,) per-
" hibet de ne, qui miſit me, pater: & Spiritus ſanctus
" teſtis, de quo idem, cùm, (*inquit*,) venerit paracletus,
" quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis,
" qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit
" de me. Sed hæc ſola eſt perſona, quæ pro teſtimonio
" veritatis mortem ſuſtinuit, vnde & dignè ſolus hic
" idem filius dicitur teſtis. Et multi quidem teſtes
" veritatis mortem perpeſſi ſunt propter verbum
" teſtimonij ſui; vnde & græco nomine, martyres eos
" ſancta Eccleſia nominare conſueuit: ſed non parua
" diſtantia eſt, ob quam & iſte, etiam cum additamen-
" to, ſplendidè dicitur teſtis fidelis. Nam quod te-
" ſtis iſte teſtificatus eſt, priùs vidit & audiuit, quàm
" in hunc mundum veniret: priùs inquam vidit &
" audiuit, & poſt in hoc natus eſt, & ad hoc venit in
" mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati,
" quemadmodum & coram præſide iam dicto, ipſe
" dixit. Hinc & Baptiſta Ioannes: qui de cœlo venit,
" ſuper omnes eſt: & quod vidit & audiuit, hoc teſta-
" tur Omnes alij de terra venerunt, & priùs nati ſunt
" quàm aliquid ſcirent, & poſt acceperunt aliunde ab
" alio indice, quod teſtificando dicerent, & hoc ipſum
" non perfectè, ſed ex parte, vno ex ipſis Paulo Apo-
" ſtolo dicente: ex parte enim cognoſcimus, & ex par-
" te prophetamus. Solus ergo teſtis ille fidelis, id eſt
" talis, qui antequàm huc veniret ad teſtificandum,
" rem viderit & audierit; tam certus, vt non ex par-
" te, ſed totum perfectè cognouerit & propheta-
" uerit.]

3. Eodem denique referenda videtur plagula
illa

illa orationis S.Methodij de martyribus, exſcripta à Theodoreto dialo. 3.verbis illis. [Adèo admirabile, « & tanto ſtudio expetendum eſt martyrium, quod « ipſe Dominus Ieſus Chriſtus filius Dei,ſe id hono- « rare teſtatus ſit, non rapinam arbitratus ſe eſſe « æqualem Deo, vt etiam eo dono, hominem ad « quem deſcendit,coronaret.] Senſus Methodij non « videtur eſſe alius, quàm quod Chriſtus quoque, martyrium ſubire voluerit, illudque ſubeundo honorare,dum non arbitratur rapinam, eſſe ſe æqualem Patri, exemplo nequam illius inter Ethnicos filij, qui Saturnum patrem rapaciter ablato regno exauctorauit,iuxta perpulchram loci illius Apoſtolici interpretationem explicatiùs traditam ab Iſidoro Peluſiota:Cum Chriſtus è contra,Patrem ſuum, Deum dixerit, ſéque ei æqualem, & eam ob cauſam,mortem exceperit.

Poſterior titulus martyrij in Christo.

4. Alter titulus veri in Chriſto martyrij, altérque idoneus modus exponendi quomodò Chriſtus fuerit propriè martyr,ducitur ex eo quod Chriſtus, pro nobis à captiuitate redimendis, & conciliandis cum Patre, ſanguinem ſuum fuderit, tandémque vitam ſanctiſſimam abiecerit. Hic quidem titulus, non quadrat cum martyrio voce tenus ſpectato; quia iuxta hunc titulum, Chriſtus (ſaltem directè,) non obiit ad alicuius veritatis teſtificationem; ſed tantùm ad æternam calamitatem ab alijs auertendam, & ſalutem æternam iiſdem ſua temporaria morte curandam.Vt tamen titulus ille ſit ad verum martyrium idoneus, ſatis eſt, quod mors eo titulo

excepta, ſit ſufficiens ad concilianda homini puro ſic morienti, illa ipſa decora quæ martyrio ad veritatis teſtificationem excepto parantur; illud nimirum gratiæ & gloriæ ſuperpondium, quod aduehitur martyrio voce tenus conſiderato, ſiue ad teſtificationem diuinæ alicuius veritatis excepto. Quæ omnia probata manent ex diſputatis tota parte 3. qua tituli illius idoneitas, ad eos veri marttyrij fructus, vltra operantis merita & veluti ex opere operato conuehendos, latè fuit ſtabilita. Neque verò nouum eſt, vt vox quæ penes eius corticem ad vnum aliquid arctanda eſſet, poſtea ad aliud ſimile vel affine, ei ve ſubrogatum, aut non diſparibus prærogatiuis gaudens extendatur; quamuis non conſentaneè ad extimam vocis faciem, & primæuam notionem. Ita ergo accidere potuit in hoc negotio. Tametſi difficile quoque non foret, teſtificationem alicuius veritatis à Chriſto ſic moriente factam proferre. Atteſtatus enim eo pacto eſt, inſigni illi amori quo ſic Deus dilexit mundum, vt omnis qui credit in ipſum non pereat; tradens in eum finem vnigenitum ſuum. Qui item vt cognoſceret mundus, quàm diligeret Patrem id exoptãtem, tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Agnoſcunt hunc martyrij in Chriſto titulum Scripturæ & Patres, à quibus paſſim ea mortis per Chriſtum exceptæ cauſa traditur, vt bono noſtro conſuleretur; & deſtructis peccati nexibus, captiuitate exſolueremur. Et quamuis prior titulus videatur vulgatior, & cum vocis *martyr*, cortice cohærentior; tamen hic ſecundus, eſt apud Patres, & in ſcripturis vulgatior, quippe commodior ad ſuſcitandam pietatem noſtram,

vrgen

vrgendóſque mortales, vt ſi amare piget, at redamare, non pigeat.

5. Nexuit vtrumque titulum Clemens Romanus 5. Conſtit. cap. item 5. verbis illis quibus Chriſtianos animat ad alacriter ſubeundum martyrium imitatione Christi, *martyrij Magiſtri* vt eum iam ſupra ex Irenæo nominauimus. [Quicunque artem « quampiam diſcit, cùm videt magiſtrum ſuum opere « & experientia artificium ſuum perficientem, idem « quoque ſtudet opus iniunctum ſimile efficere: « quod quidem ſi aſſequi non queat, non eſt in eo per- « fectus. Et nos ergo cum magiſtrum habeamus Do- « minum noſtrum Ieſum Chriſtum, cur doctrinā eius « non imitamur? Quoniam ille à ſe repudiauit relaxa- « tionem, voluptatem, gloriam, diuitias, ſuperbiam, « copias auxiliares, matrem & fratres, imo etiam « vitam ſuam: Idque tum propter pietatem erga « Deum Patrem; tum propter charitatem erga ho- « mines; perpeſſus non ſolum perſecutionem & ver- « bera, probra, & ludibria, ſed etiam cruci affigi, « vt Iudæos, & Gentiles ad pœnitentiam adductos « ſeruaret. Si igitur ipſe propter nos requiem reſpuit, « neque in ſubeunda cruce erubuit, neque mori in- « glorium exiſtimauit, quare nos paſſiones eius non « imitamur, & eius cauſa ipſam etiam vitam no- « ſtram, ipſo nobis tolerantiam præbente, non deſerimus? Ille enim propter nos, nos verò propter « nos ipſos. «

Et fidei, & miſericordiæ martyres, Chriſto configurati.

Iam quomodò in alterutro martyrij titulo, Chri-

ſtum teſtem fidelem exhibeant, cum fidei, tum miſericordiæ martyres, non eſt obſcurum. Vtrique certè configurantur Chriſto per ſocietatem paſſionum illius, & exceptam reipſa mortem, quæ eſt illuſtriſſima cum Chriſti morte configuratio, & expreſſior quam quę per baptiſmum perficitur iuxta Apoſtolum, vt rectè docet Clemens Rom. capite illo 5. agens de catechumeni martyrio, & docens eum ſaluari, non minùs quàm ſi aqua lotus fuiſſet, cùm perfectiùs commoriatur & conſepeliatur Chriſto, quàm is qui baptizatur immiſſus aquæ, eáve perfuſus. Eiuſdem verò libri quinti cap. 1. idem Clemens cohortans fideles ad erogandam largè benignitatem martyribus in carcere detentis, rationem reddit quæ hanc martyrum cum Chriſto configurationem expreſſiorem, optimè exhibet. Sic enim ait, [Qui propter nomen Domini Dei noſtri damnatus eſt, hic eſt ſanctus martyr, frater Domini, filius altiſſimi, receptaculum Spiritus ſancti, per quem illuminationem gloriæ Euangelij ſinguli fideles acceperunt, cùm digni habiti ſunt immortali corona, & teſtimonio paſſionum eius, ac ſocietate ſanguinis ipſius, vt conformarentur morti Chriſti in adoptionem.]

6. Exemplo item Chriſti, & fidei & miſericordiæ martyres, doctrinæ reuelatæ atteſtantur, nobiliſſimo modo, vt tractatum ſupra eſt agendo de teſtificatione fidei per martyres cap. 1. huius partis. Vtrique denique ob hanc expreſſionem Chriſti, & cum eo configurationem, eundem Chriſtum habent fortitudinis, ac patientiæ, & totius gratiæ ad talem mortem ſubeundam neceſſariæ, fontem vberrimum. Qua in re perplacet pius æquè

ac

ac elegans de more Bernardi locus, ex ſerm.61. in Cant. quo duplicem in Chriſto Domino ſtatum conſiderans, crucis ſcilicet & gloriæ, hanc in ſplendore, illam in pallore eſſe dicit, eóque transfert illud Pſaltis Pſalm.67. *poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Eo autem aſpirare ſponſam Eccleſiam, præſertim ratione martyrum, affirmat, dicens Eccleſiæ quoque poſteriora, eſſe in pallore auri [quæ " fuſcum non erubuit crucis, vſtionem paſſionis " non horruit, liuorem vulnerum non refugit: et- " iam complacet ſibi in illis, & optat nouiſſima ſua " eſſe horum ſimilia. Idcirco denique audit; colum- " ba mea in foraminibus petræ, quòd in Chriſti vul- " neribus tota deuotione verſetur, & iugi medita- " tione demoretur in illis. Inde martyrij tolerantia, " inde illi magna fiducia apud Deum eſt altiſſimum.] " Ex ea Chriſti pallentis & martyris configuratione, ex ea martyris per amorem & imitationem inhabitatione intra Chriſtum, oriri, vt paulo ante tetigit, vniuerſam martyrij tolerantiam, in hæc verba paulo poſt tradit. [Stat martyr tripudians & trium- " phans, toto licet lacero corpore, & rimante late- " ra ferro, non modò fortiter ſed & alacriter, ſacrum " è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi er- " go tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe " in petra, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus ni- " mirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet " viſceribus ſcrutans ea, ferrum profectò ſentiret. " Dolorem non ferret, ſuccumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, ſi exul à corpore, dolores non ſentiat corporis. Neque hoc facit ſtupor, ſed amor. Submittitur enim

« ſenſus, non amittitur: nec deeſt dolor; ſed ſupera-
« tur, ſed contemnitur. Ergo ex petra, martyris for-
« titudo, inde planè potens ad bibendum calicem
« Domini. Et calix hic inebrians, quàm præclarus
« eſt, præclarus inquam atque iucundus, non minus
« imperatori ſpectanti, quàm militi triumphanti.
« Gaudium etenim Domini, fortitudo noſtra.] Itaque & qui pro fide cæduntur, & qui in miniſterio charitatis occumbunt, Chriſto martyrum primicerio configurantur, intra eius vulnera pro nobis excepta, ſedem habent; indéque cœleſtes ſuppetias ac fortitudinem, ad martyrium quiſque ſuum, alacres hauriunt.

Poſteriores, expreſſiùs.

7. Auſim tamen contendere, martyres charitatis, illuſtriùs & expreſſiùs configurari Chriſto martyrij principi: atque adeò quia per viciniam ad primum in vnoquoque genere, quod eſt menſura cœterorum, attenditur perfectio omnium quæ ſunt ſub eo genere, conſtare inde poterit, quanta, quamque pretioſa ſit martyrij huius perfectio. Eam verò illuſtriorem martyrum charitatis cum Chriſto configurationem, non difficile erit ex illis colligere, quæ S. Auguſtinus tract. 84. in Ioan. proponit, tractans martyrum fidei cum Chriſto comparationem. Eos enim præ Chriſto depreciat, cum ex aliis capitibus, tum ex eo quod non habuerint poteſtatem ponendi animam ſuam, nec liberum eis fuerit, dicere: Nemo tollit eam à me. Item ex eo quod non ſint mortui pro aliis, ſiue ita vt mors eorum ceſſerit in abſterſionem peccatorum alieno-

rum

rum. Quæ tametſi Chriſto, peculiari ac præcipuo iure ſunt tribuenda, tamen per analogiam quãdam, in martyres quoque charitatis cadunt. Verè enim nemo tollit ab eis animam, ſed ipſi ſponte eam ponunt exemplo Chriſti: quia cum ſani eſſent, poſſéntque ſe periculis ſubducere, lubentes volentéſque, ſola vrgente proximorum charitate, in illa irruerunt. Et cedit aliquatenus ea mors, in remiſſionem peccatorum alienorum. De illis enim præcipuè agimus, qui vt proximos in ſpiritu iuuarent, miniſtrandis Sacramentis, ac ægris Chriſtiano ritu expiandis, & ad bonam mortem diſponendis, prodeunt in hanc arenam. Quanquam idem quoque aliqua ex parte valet quoad laicos, qui eo ſpiritu quo ſupponimus, in hoc opus incumbunt; cuiuſmodi magnam partem erant Alexandriæ ſexcenti illi parabolani de quibus l. 18. C. de Epiſc. & Cleric. Nam & ſalutem præſertim æternam eorum quos iuuant, propoſitam habent: & ad eam, cùm piis alloquiis, tum exemplo charitatis ſuæ, & egregiorum virtutis factorum, ægros incendunt: Vt proinde mortem obeuntes in ſancto illo miniſterio ex prædictis finibus ſuſcepto, aliquatenus dici poſſint obire propter ſalutem proximorum, & remiſſionem peccatorum eorum: Non quidem litrum pro illis appendendo, (frater enim non redimit, redimet homo?) ſed tamen curando, vt impenſa pro eis à Chriſto redemptio, caſſa non euadat, ſed intentum à Chriſto exitum, fructúmque cõſequatur. Itaque charitatis pugiles, (quod de fidei martyribus à S. Cypriano dictũ eſt, ſub finẽ libri de laude martyrij,) *ſocio Chriſti cruore decorari*, & quidẽ excellentiſſimo modo, ſatiſ ſupérque videtur confirmatum.

CAPVT V.

Mors in miniſterio charitatis, holocauſtum eſt, quo ſe homo, non minus quàm in martyrio pro fide, Deo conſecrat.

1. ET hoc quoque, ad aliquam cum Chriſto Domino configurationem ſpectat. Nam Chriſtus obtulit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis, ita vt eius martyrium, veram ac propriè dictam ſacrificij rationem habuerit: Quod ex variis Apoſtoli locis, Sacerdote item & ara expreſſis, luculenter in hunc modum tradidit S. Chryſoſtomus, orat. in crucem
« & confeſſionem latronis. [Paſcha nóſtrum immo-
« latus eſt Chriſtus. Vbi immolatus eſt? Cedo. In
« excelſa cruce. Nouum & peregrinum altare, cum
« nouum & inuſitatum fuerit ſacrificium. Idem enim
« & ſacrificium, & ſacerdos erat; ſacrificium ſecun-
« dùm carnem, ſacerdos ſecũdùm ſpiritum. Idem im-
« molauit, & immolabatur. Audi iterum Paulum di-
« centem. Omnis enim Põtifex ex hominibus aſſum-
« ptus, pro hominibus conſtituitur, in his quæ ſunt ad
« Deũ: Vnde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod
« offerat. Ecce ſeipſum offert. Alibi verò iterum ait.
« Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum ex-
« haurienda peccata. Ecce hic oblatus eſt: Ibi ſeipſum
« obtulit. Vidiſti, quomodò idem, ſacrificium, ſeu
« victima & ſacerdos fuerit? Fuit crux, etiam altare.]

Martyrium fidei, ſacrificium.

2. Martyres igitur, Chriſti Domini imitatione,

Deo

Deo delibantur, vt Apoſtolus de ſeipſo dixit, ***Ego iam delibor***, quod paſſim antiqui Patres legunt, ***Ego iam immolor.*** Eámque immolationem Deus acceptiſſimam habet, ita vt quamuis apud ſeculum æſtimata ſit afflictio exitus illorum, & quod à nobis eſt iter, exterminium, tamen Deus iuxta ſapientem cap. 3. quaſi holocauſti hoſtiam illos acceperit: quod Lucifer Calarit. l. quod moriendum ſit pro Dei filio, & paſſim Patres cæteri, de martyribus interpretantur. Et in eundem ſenſum accipit S. Hilarius illud Pſalmi 65. *introibo domum tuam in holocauſtis*, latè de martyrij holocauſto diſſerens. Sed pulcherrimè S. Dorotheus in expoſitione 1. dictorum quorundam S. Gregorij Nanzianzeni decantatorum in SS. Martyres. Non memini quidem legere apud Nazianzenum ea verba quæ ex eo interpretatur Dorotheus. Tametſi orat. 25. num. 41. ea ipſa vſurpat de Catholicis. Tamen quin alibi à Theologo dicta ſint de martyribus, ſic referente & exponente S. Dorotheo, dubitare non licet. [Videamus (ait S. Dorotheus,) quid docere nos geſtiat D. Gregorius de SS. Martyribus: Ait enim; ſacrificia viuentia, holocauſtomata rationabilia. Quid eſt ſacrificia viuentia? Sacrificium dicitur, quicquid ſacrum Deo libatur, ſubiice veruecem, vel bouem vel aliud quid ſimile. Quid autem ait de ſanctis martyribus, ſacrificia viuentia? Aries ductus ad ſacrificium, iugulatur primùm & occiditur, poſtea diuiditur, & in fruſtra conciditur, atque ita immolatur Deo. Sancti autem martyres, viuentes conciderunt carnes ſuas, excoriati, ſecti, cruciati, multis laboribus & tormentis afflicti. Quorum aliis tortores manus abſciderunt, aliis linguam extraxerunt,

« runt, aliis oculos effoderunt, aliis latera diſſuerunt,
« ita vt ordinem & harmoniam inteſtinorum ſuo-
« rum poſſent cernere. Quæ omnia & viuentes, &
« habentes adhuc in corporibus animas patiebantur.
« Quare optimè, ſacrificia viuentia appellati ſunt.
« Holocautomata verò rationabilia, quare dicti sũt?]
Interſerit longuam expoſitionem ſacrificij ſimpliciter dicti, & holocauſti, & diſcriminum vtriuſque: quæ breuiter ad hoc reuocantur, quod in priore, aliqua tantùm victimæ pars offerebatur, in holocauſto autem tota victima comburebatur in ſignum perfectorum hominum qui ſe totos Deo donant &
« incendunt in odorem ſuauitatis. Tum addit. [Sic igi-
« tur ſancti martyres, totos ſeſè Deo obtulere, ne-
« que ſolùm ſeipſos, ſed & quæ ipſorum fuerant, &
« quæ circa ipſos. Aliud enim nos ſumus, vt ait Baſi-
« lius, aliud noſtra. Aliud nos, aliud quæ circa nos.
« Nos ſumus mens & anima, noſtrum eſt corpus,
« circa nos ſunt poſſeſſiones, & alia huiuſcemodi. Ob-
« tulerunt ergo ſeſe, primùm Sancti Deo, toto cor-
« de, tota anima, tota virtute, vt ſcriptum eſt, dili-
« ges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex
» tota mente, ex tota anima tua. Non ſolùm enim fi-
« lios, vxores, gloriam, pecunias, & cæteram om-
« nem ſubſtantiam contempſerunt, ſed & ſua pro-
« pria corpora tradiderunt. Quare rectè dicuntur, ho-
« locautomata. Rationabilia autem, quia rationa-
« le animal eſt homo, & ſacrificium perfectum Deo.]
Pergit de iiſdem SS. martyribus exponere illa alia
« Nazianzeni verba, [Deum cognoſcentes, & à Deo
« cognitas oues, quarum mandra lupis eſt inuia.] In quibus non hæreo quod ad martyrum ſacrificium de quo agimus, non ita proximè ſpectent. Eſt igitur

tur martyrium in cauſa fidei toleratum, genus ſa-crificij Deo acceptiſſimum.

Et refugit quidem Deus, execratúrque humanas hoſtias, contra quam Satan eius generis victimarum auidiſſimus: vt propterea olim tam multis locis ſibi humano ſanguine litari curauerit, vt Tatianus, Porphyrius, Euſebius, Theodoretus, aliique à nobis ſuo loco prolati, latè referunt. Imo quia cibus eius electus, lego apud oculatum teſtem omni exceptione maiorem, in occiduarum Indiarum ampliſſima ciuitate Themiſtitana, priuſquam à Chriſtianis obtineretur, cordibus puſionum & puellarum ſupra viginti millium, quotannis, eidem cruentiſſimo & capitaliſſimo generis humani aduerſario, fuiſſe litatum. Hanc carnificinam, & omnem humani ſanguinis effuſionem, ſpecie religionis patratam, abominatus ſemper eſt Deus; tametſi internum ſacrificium ſibi à martyribus inter excipiendam mortem oblatum, habuerit acceptiſſimum. Appello ſacrificium internum, patientiam propter Deum qua martyr tormenta & mortem excipit, flagránſque diuino amore, ſuauiſſimum & fragrantiſſimum odorem, adolet Deo, vt loquitur D. Auguſtinus 10. ciuit. cap. 4. Quid verò aliud in toto martyrij ambitu gratum Deo poſſet accidere? Nam trucidatio quidem martyris quatenus eſt actio perſecutoris, immane ſcelus eſt, nec tantùm contra iuſtitiam, quia innoxius cæditur & abſque iure, ſed etiam contra virtutem pro qua martyr occumbit, & contra Dei maieſtatem cui martyr atteſtatur. Quod ergo Deus habet in martyrio acceptum, eſt interna oblatio qua martyr per patientiam ſe offert Deo, & quod exteriùs perficit carni-

fex

ſex in eius corpore, hoc ipſe interiùs præſtat in cultum numinis: Ac proinde id quod Deo gratum eſt in martyrio & ſacrificio hominis, non eſt externa immolatio, ſed id cuius hæc eſt index ac ſignum, nempe internum ſacrificium, quod vnum in antiquis ſacrificiis Deo placuiſſe, autor eſt S. Auguſtinus lib. 10. ciuit. cap. 5. & ſæpè alibi.

Non arrogo cuiuis vero martyrio, veram & propriam rationem ſacrificij; quod rem ad viuum reſecando, falſum eſt, vt rectè attigit Vaſques 3. p. d. 83. num. 40. defuit enim omnibus martyribus (præterquam Chriſto,) delectus ad fungendum ſacerdotio in ſui ipſorum oblatione; cum tamen oporteat ſacrificium perfectúm peragi per perſonam ad munus illud diuina vel publica auctoritate delectam. Nihilominus martyres, quantum in ipſis eſt, adhibent quicquid eſt neceſſarium ad veri ſacrificij perfectionem: & cædes eorum, vel ex formali intentione quam eliciunt, refertur in cultum Dei, vel implicitè ſaltem & ſuapte natura eo refertur, vt agnouit S. Damaſcenus orat. 3. de imagin. & Thomas Vvaldenſis tomo 3. cap. 117. num. 4. ac Corduba lib. 1. q. 5. dub. 6. & quotquot martyrium, inter actus religioſos, & cultui numinis deſtinatos, recenſuerunt.

Idem oſtenditur de martyrio miſericordiæ.

4. Hæc omnia de martyribus fidei paſſim vulgata; æquè de martyribus charitatis rata eſſe debent. Nam præterquàm quod, in ipſis quoque, per mortem, ſacrificij conſummatio perficitur, interna oblatio eſt in eis perfectiſſima, imo ex quibuſdam capitibus,

pitibus, videtur perfectior & oblationi Chriſti conformior, quàm oblatio martyrum occumbentium in cauſa fidei. Nam imprimis magna pars martyrum fidei, ab alio cingitur, ducitúrque quo non vult. Ferè enim abripiuntur ad mortem; quam ſi poſſent, refugerent: cum prouocatio perſecutoris, per ſe loquendo, magnum ſcandali peccatum contineat, vt diſputatum eſt parte 2. Ei næuo adiuncta eſt labes tetrior. Immane inquam peccatum perſecutorum, ſine quo martyrium in cauſa fidei præcluderetur, ſecluſo raro euentu erroris inuincibilis quo perſecutor laboret. Et quanquam ea macula eſt martyribus innoxia, tamen liquet, ab ea opus cui adiungitur velut infuſcari, & muſcarum immorientium more, ſin minùs perdi, at infici quoquomodo ſuauitatem vnguenti. Non enim dubium eſt, quin extenſiuè purior, & nitentior foret oblatio, quæ neque victimæ oblatæ, neque miniſtrorum, vel aſtantium, labe vlla contaminaretur, tametſi ea inquinatio adiuncta, ſit oblationi planè extrinſeca, mereque concomitans. At charitatis martyres, non ab alio, ſed à ſeipſis liberrimè immolantur, poteſtque eorum quilibet, illud Chriſti ſuum facere, *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me*. Et quæ ſumma eſt eorum fœlicitas, nullum ſacrificio quod perficiunt adiungitur ſcelus, ſed vndecunque nitens, & omni ex parte rationabile obſequium Deo offerunt, & inſigni admodúmque apud Deum pretioſa mixtura, ſacrificium quod eſt ſupremum religionis opus, cum miſericordia nectentes, ſacrificium cruentis omnibus ſacrificiis prælatum, & Deo maximè acceptum exhibent: quod D. Auguſtinus 10. ciuit. cap. 5. *in fine* ſcitè

confirmat ex illis Apoſtoli verbis. *beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Et ex illis apud Prophetam. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Quibus verbis ait
" S. P. [nihil aliud quàm ſacrificio ſacrificium prælatum, oportet intelligi: quoniam illud quod ab hominibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificij. Porrò autem miſericordia, verum ſacrificium eſt.]

5. Iuuat ad præcellentiam huius ſacrificij miſericordiæ liquidiùs demonſtrandam, non prætererire quæ S. Chryſoſtomus homil. 20. in ad Rom. & fortiùs etiam ac potentiùs homil. 20. in 2. ad Corinth. diſputat de excellentia ſacrificij miſericordiæ vulgaris, per erogationem modicæ eleæmoſinæ,& paucorum plerunque obolorum impenſionem. Inde enim manifeſtò deprehendetur, quanta ſit huius miſericordiæ ſacrificij ſublimitas, quo non pauci oboli, ſed. vita ipſa, proximo egenti impenditur.
" [Diuitiarum contemptus, (inquit Chryſoſtomus agens de opum vſu & erogatione in pauperes,)facit glorificari Deum, & feruidam reddit charitatem, magnanimóſque efficit, & ſacerdotes conſtituit, & ſacerdotium quod magnam mercedem affert: Qui enim miſeretur, non indutus eſt podere, neque tintinnabula in circuitu habet, neque corona redimitus eſt, ſed indutus quidem eſt ſtola miſericordiæ, quæ ſancta veſte ſanctior eſt. Vnctus verò oleo, quod non ex ſenſibili materia compoſitum, ſed à Spiritu ſancto cultum: & habet coronã ex miſerationibus; ſicut dicit. Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus:& pro petali geſtamine,qui habet nomẽ Dei,ipſe par ſit Deo.Quomodo?

modò? Eritis enim,inquit, ſimiles patri veſtro qui eſt in cœlis. Vis & altare illius videre?Non Beſeleel iſtud extruxit,neque alius quiſpiam,ſed ipſe Deus, non lapidibus,ſed materia cœlo clariore, animabus rationalibus.Sed dicis,ſacerdos ingreditur in ſancta ſanctorum. Licebit & tibi ſacrificanti hoc ſacrificium, ad tremenda ingredi, vbi nullus adeſt, ſed pater tuus qui videt in oculto,vbi nullus alius videt. Et quomodo dicis non videri, cùm in propatulo ſit altare? Nam hoc mirabile eſt, quòd tum quidem geminæ fores, & vela ſeceſſum faciebant;nunc autē licet publicè ſacrificare, quaſi in ſanctis ſanctorum, & facere hoc multò venerabilius. Quando enim non ad oſtentationem hominum feceris, licèt totus orbis viderit, nemo tamen viderit, quandoquidem tu ſic feciſti. Non enim dixit ſimplíciter, non facite coram hominibus:ſed adiunxit; vt videamini ab illis. Hoc altare ex ipſis Chriſti membris compoſitum eſt, & corpus Domini, altare tibi ſit. Reuerere iſtud ipſum, in carne ſacrificas Domini ſacrificium.Hoc altare,etiam hoc quod nunc,magis horribile eſt;non illo,quod olim ſolùm Sed ne turbemini. Nam hoc quidem admirabile eſt propter ſacrificium,quod ſuper illud ponitur.Illud verò hominis miſericordis, non propter hoc ſolùm, ſed quod ex illo ſacrificio,quod hoc facit, compoſitum eſt.Nam hoc mirabile,lapis enim quidem eſt natura,ſanctus autem fit,quoniam corpus accipit Chriſti:illud autem altare,ſanctius; quoniam ipſum corpus eſt Chriſti, ita vt hoc, illo lapideo ſit horribilius; cui tu qui laicus, aſſiſtis. Igitur tibi, neque Aaron aliquid videatur,ſi ad hæc conferatur, neque corona, neque tintimabula, neque ſancta ſancto-

" rum. Quid enim vltra cum illo altari conferri po-
" teſt? vbi ſcilicet & ad hoc quod confertur, tam cla-
" rum apparuit? Tu autem hoc quidem altare hono-
" ras, quod accipit corpus Chriſti: illud autem quod
" eſt ipſum corpus Chriſti, contumelia afficis, & deſ-
" picis pereuntem. Hoc altare vbique poteris videre
" ſitum, & in angiportis, & in foris, & per ſingulas
" horas poteris in illo ſacrificare. Nam & hic ſacrifi-
" cium celebratur, & quemadmodum ſacerdos ſtat
" ſpiritum inuocans, ita & tu ſpiritum vocas, non
" voce, ſed factis. Nihil ſic continet, & accendit ignem
" ſpiritus, vt hoc oleum largum, quod effunditur.]

6. Quis non videat, quanto potiore iure, quantiſque partibus, impenſio ſui ipſius in ægri ſubſidium ac ſolatium, anteponenda ſit ei modicæ ſtipis ſacrificio, quod tantopere celebrat eo loco Chryſoſtomus? Quo porrò maior eſt ſpiritualis miſeria, & in plurès cadens, eo maior quoque eſt miſericordia, quæ tantæ támque protenſæ miſeriæ impenditur, ſubleuandis iis qui alioqui de æterno bono ſtatu periclitarentur. At per tempus cladis, de qua præſertim agimus, multiplicari ſpirituales huiuſmodi egenos ſuper numerum, & in ſummo, ac ſupra quã exaggerari poſſit, maximo verſari periculo, extra
" controuerſiam eſt. [Quis igitur fumus (vt cum
" Chryſoſtomo ibidem concludam,) quæ fragrantia
" altaris & ſacrificij prædicti? Gloria & gratiarum
" actio. Et quouſque procedit? Nunquid vſque ad
" cœlum? Minimè, ſed cœlum ipſum tranſcendit, &
" cœlum cœlorum, & ſe regio throno ſiſtit. Dicit
" enim, preces tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt
" coram Deo. Et ſenſibilis quidem illa fragrantia non
" multùm aëris penetrat; iſta verò ipſas cœlorum apſi-

des

des aperit; & tu quidem taces, opus verò clamat, & «
fit ſacrificiũ laudis, non dum occiditur vacca, neque «
pellis exuritur, ſed anima ſpiritualis ſua offerens. «
Omni enim miſericordia, hoc ſacrificium clarius «
eſt. Igitur quando videris pauperem fidelem, ar.m «
te videre putes.] «

Quàm præcellat aliis, minus propriè dictis ſacrificiis.

7. Alia quidem permulta, & in Scripturis & apud Doctores myſticos, ſacrificiorum genera commendantur. Sed nullum reperio fructuoſius, aut Deo acceptius. Fuſus hac in parte eſt Gulielmus Pariſ. lib. de legibus c. 28. *ſub finem.* Ex Scripturis, decem ſacrificium genera profert S. Chryſoſtomus in Pſal. 95. nempe ſacrificium paſſionis Chriſti; ſacrificium martyrij; ſacrificium orationis & eleuationis manuũ, quod Dauid vocat veſpertinum; ſacrificium laudis; ſacrificium iuſtitiæ; ſacrificium ſubleuationis afflictorum, quæ iuxta S. Iacobum eſt munda & immaculata religio; ſacrificium vociferationis ſiue plauſus victorialis; (ἀλαλάγμον vocant, & ab ὀλολύγμῳ ſiue clamore incondito ſecernunt Græci;) ſacrificium cordis contriti & humiliati; ſacrificium prædicationis, quæ Ro. 15. vocatur oblatio accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto; & denique ſacrificiũ largitatis in alios. S. Gregorius 9. moral. c. 3. religioſam profeſſionem, diſertè appellat ſacrificium. Et homil. 12. in Ezech. holocauſto, quod erat veterum ſacrificiorum perfectiſſimum, illam confert, aſſipulantibus S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 7. & Valdenſi tomo 3. tit. 9. cap. 87. Idem ſacrificium agnoſcit, alioque

præterea cumulat, & vtrumque ad miſericordiam pertinere, docet S. Auguſtinus 10. ciuit. c. 6. ſic ſcribens [Ipſe homo, Dei nomini conſecratus, & Deo deuotus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat, ſacrificium eſt. Nam & hoc ad miſericordiam pertinet, quam quiſque in ſeipſum facit. Propterea ſcriptum eſt; miſerere animæ tuæ, placens Deo. Corpus etiam noſtrum cùm per temperantium caſtigamus, ſi hoc quemadmodum debemus, propter Deum facimus, vt non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ Deo, ſacrificium eſt, ad quod exhortans Apoſtolus ait: Obſecro itaque vos fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam inſtrumento vtitur anima, cùm eius bonus & rectus vſus ad Deum refertur, ſacrificium eſt; quanto magis anima ipſa, cùm ſe refert ad Deum, vt igne amoris eius accenſa, formam concupiſcentiæ ſecularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ ſubdita, reformetur? hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine accepit, fit ei ſacrificium.]

8. Sed nullum eſt ex propoſitis ſacrificiis per homines puros exhibitis, quod conferri queat cum eo de quo agimus. Nam præterquàm quod, illorum à Chryſoſtomo commemoratorũ ſacrificiorum in purum hominem cadentium, pleraque adunantur in iſto, vixque fieri poteſt vt abſque omnium illorum interuentu, homo ſacrificium de quo agimus, exequatur; non eſt ambiguum, quantus ſit in hoc opere, fulgor omnium illorum actuum qui alibi ſeorſim

ſumpti

ſumpti tantopere ſplendent. Quanto enim hæc proximi afflictiſſimi ſubleuatio, præſtat ei quæ egentium vulgaribus incommodis impenſa, mundum & immaculatum ſacrificium à D. Iacobo nominatur? Quanto hæc largitas pretioſior eſt, erogatione pecuniolæ; vel etiam vniuerſæ ſubſtantiæ profuſione? Nam pellem pro pelle, & vniuerſa quæ habet, dabit non grauatè homo vice animæ ſuæ ac vitæ, vt Pater mendacij veriſſimè dixit. Itaque non immeritò quis cenſuerit, hanc eſſe principalem illam hoſtiam, præſignatam à Propheta, ſymbolo vituli, quod concinnè martyri accommodat Bleſenſis ſerm. de S. Iacobo.

CAPVT VI.

Eminentia & ſublimitas martyrij miſericordiæ, ex dictis concluditur: Eidem encomia & honores, alterius item propriè dicti martyrij, accommodantur.

1. RECtè ex omnibus hactenus diſputatis colligere poſſe videor, nihilo vilius coram Deo & hominibus haberi debere, vt cum Ruffino loquar, martyrium miſericordiæ, pro quo hactenus pugnaui, quàm martyrium in cauſa fidei, cuius tot tantáſque gratiæ & gloriæ prærogatiuas part. 2. propoſui. Omnes illas prærogatiuas cum martyrio miſericordiæ communicandas, euincit vniuerſa diſputatio proximè inſtituta. Itaque & certa gratiæ menſura vltra eam quæ operi operantis reſpondet, rependenda eſt immorientibus ſancto iuuandorum ægrorum miniſterio, & certa item portio gloriæ

eſſentialis, ac certum decus accidentarium ſtabile & perpetuum, hoc eſt aureola. Imo quia conſtitutum ſupra eſt, gratiam martyri ex opere operato obtingentem, dari auctiorem pro maiore perfectione diſpoſitionum paſſi; has autem poſſe præcellere diſpoſitionibus multorum martyrum pro fide morientium, eſt extra controuerſiam; dubitandum non eſt, quin martyrij charitatis vberior & auctior gratia obtingere poſſit ex opere operato, quàm eodem modo obtingat martyri occumbenti in cauſa fidei. Fructus item reſpondentes operi operantis, certum eſt poſſe eſſe auctiores in martyre charitatis, cum opus eius meritorium quo ad ſanctum miniſterium adiunctámque ei mortem ſe accingit, poſſit in eo eſſe perfectius & luculentioris præmij dignius, quàm quod in procinctu ad mortem elicitur à martyre fidei. Quinetiam vt plurimum ac per ſe loquendo, perfectior illa paſſi aptatio ex qua prouenit fructus ex opere operato vberior, infert etiam auctius præmium ex opere operantis, cum per ſe loquendo, ea aptatio contineatur actionibus aut condignè aut ſaltem congruè ad modum diſpoſitionis vltimæ meritoriis gratiæ, & condignè meritoriis gloriæ. Quamuis interdum per accidens, ob bonam fidem paſſi peccato inuincibiliter ſordentis, diſpoſitio non eſt ſimpliciter meritoria gratiæ, ac ne ex congruo quidem, ad modum vltimæ diſpoſitionis gratiam inuehentis ex opere operantis; & tamen adeſt ſufficiens aptatio ad gratiam ex opere operato ſuſcipiendam; quia cum aliquali peccatorum dolore acceptatur pro Chriſto mors, cui repoſitus à Deo eſt certus fructus gratiæ, eique commenſus gloriæ modulus.

Marty

Martyrij encomia, breuia & plena.

2. Hæc cum ita ſe habeant, ſintque vtriuſque martyrij propriè dicti communes apud Deũ gratiæ ac gloriæ fructus, æquum eſſe videtur, non negari martyribus charitatis ſocietatem encomiorum & honorum quibus Eccleſia & Patres, pugiles Chriſtianos in cauſa fidei certantes & cadentes decorarunt: Tametſi quia calamitates martyrium charitatis inferentes, non ſunt adeò frequentes, parcius & infrequentiùs commendatos à Patribus videamus martyres charitatis; quàm fidei martyres, quorum trophea ſplendidè ac crebro celebrant: aliquando quidem iuſtis tractatibus, aut orationibus: aliàs verò, tametſi obiter, ſplendidè tamen atque magnificè. Quanquam quod ingenuè profeſſus eſt S. Cyprianus, initio libri de laude martyrij, nulla oratio dignitatem martyrij ſatis æquat, & cum de eo exornando agitur, [potentia rei oneratur facultas ingenij, vt quantum ſe in exprimenda martyrij dignitate protulerit, tantum ipſo pondere laudis oppreſſa, atque æſtimatione rerum omnium, de quibus cùm maximè loquitur, debilitata ac fracta, intra ſeipſa illaqueata oratione deficiat; nec habenis liberis ac ſolutis in apertum ſermonis eloquium vim tantæ laudis expromat.]

3. Verùm inſtar omnium quibus celebratur martyrium, eſſe poſſint pauca illa quæ non ita multo poſt ſubiicit S. Cyprianus, eodem libro. [Quid eſt martyrium? Delictorum finis, periculi terminus, dux ſalutis, iter patientiæ, magiſter domus vitæ; quo profecto ea etiam occidunt, quæ in futuro diſ-

" crimine potuiſſent tormenta reputari. Per hoc &
" teſtimonium nomini redditur, & maieſtas nominis
" redampliatur. Non quod per ſeipſa minui poſſit,
" vel de ſcelere tractantis magnitudo eius infringi,
" ſed quod redundet ad gloriæ cumulum, dum cir-
" cumſtrepentis populi terror impauidos animos dat
" dolori, & minis frendentis inuidiæ addit ad titu-
" lum: quòd tantum ſibi mens creſcat in pugna,
" quantum ſe ille putauerit vincere, per quem Chri-
" ſtus hominem voluerit coronare.] Magna ſanè martyrij dignitas, coronari per deiectionem, & vt ait Lucifer Calarit. l. quod moriendum ſit pro Dei filio, complexus compendio dignitatem martyrij, *nouum ſalutis genus, homini datum, interire ne pereat.* Quod aliis verbis dixit S. Ambroſius l. de fide reſurrect. *Ipſa mors martyrum, præmium vitæ eſt.*

3. Infinita in martyrij celebrationem petere licet ex variis qui martyrium ex inſtituto exornarunt; cuiuſmodi præſertim ſunt Tertullianus l. ad martyres, & l. de fuga in perſecut. & lib. de pudicitia, ac in Scorpiaco. S. Cyprianus l. de laude martyrij, & altero libro de exhortatione martyrij, & in pleriſque Epiſtolis ad martyres & confeſſores, præſertim Epiſtola 9. & 16. & 26. & 56. 57. ac 81. (Commendat epiſtolicas S. Cypriani ad martyrium cohortationes, Nazianzenus orat. 18. num. 22.) Exornat item latè martyrium, Lucifer Calarit. l. quod moriendum ſit pro Dei filio, Theodoretus toto lib. 8. contra Græcos, S. Eulogius in memoriali Sanctorum, & in exhortatione martyrij ad SS. Virgines Floram & Mariam. Sed dulciſſimè ac vberrimo cum ſenſu pietatis, S. Ephrem duplici in omnes SS. Martyres encomio: ad quorum poſte-

rius,

rius, à Gerardo Voſſio inſignia quædam SS. martyrum encomia nondum edita, recenſentur: nempe Aſterij Epiſcopi Amaſeæ in omnes SS. Chriſti martyres panegyrica oratio: & duplex eodem argumento à S. Chryſoſtomo habita; præter binos alios aureos ſermones de martyribus, iampridem factos publici iuris. Heſichij denique Hieroſolymitani Presbyteri laudatio SS. Martyrum adhuc inedita, & SS. Auguſtini ſermones plurimi de eo argumento. Lego item apud S. Hieronymum in catalogo Scriptorum, Phileam Thmueos in Ægypto Epiſcopum poſtea martyrem, de martyrum laude elegantiſſimum opuſculum conſcripſiſſe. Ex Methodij quoque oratione de martyribus, plagulam à Theodoreto dialog. 1. prolatam ſupra exhibuimus. Origenis librum de martyrio, memoratum video in Apologia pro Origene, Pamphilo martyri adſcripta, *ſub finem.* Et perſpicuum videtur, eo libro Origenem martyris filium, & à prima ætate, martyrij amore ſuccenſum, laudum eius parcum non fuiſſe.

Honores martyrum deſignatorum.

Quid verò hinc inde, quæ ſunt ad martyrum & martyrij exornationem à Patribus tradita, veluti ſpicilegium faciens carpo, cum vel ipſum *martyris* nomen, tantæ ſemper in Eccleſia fuerit gloriæ, vt nihil ſupra eam? Idcirco ſanè SS. Martyres Lugdunenſes, nomen martyrum, tanquam nimis magnificum, & puſillitati ſuæ incongruum, repudiaſſe, prodit Euſebius l. 5. hiſtor. c. 2. Ipſique Ethnici quod ſupra p. 2. c. 1. obſeruabam, rati Chriſtianos

ad

ad martyrium incendi, cupiditate gloriæ quam inter ſuos per martyrium conſequebantur, alias irrogatæ mortis cauſas, non ſemel commenti ſunt. Ea porrò gloria, quam iam olim Eccleſia martyribus impenſam voluit, partim ſpectat tempus quo tantum erant deſignati martyres, partim tempus conſummati iam agonis, & exceptæ pro Chriſto mortis. Ad honores prioris temporis, pertinet, quod martyres deſignati quamdiu in vinculis perſtabant, vel ſi poſtea exſoluerentur vinculis, & liberi dimitterentur, ſummo vbique in pretio ac veneratione erant. Quinetiam dum in ergaſtulis & vinculis hærerent, omni ſubſidij genere tanquam duplici honore digni ſubleuabantur. Eſt de ſubleuandis omni charitatis genere martyribus carceri mancipatis, iiſdémque viſitandis, ac ſi res ferat litro exhibito redimendis, locus illuſtris apud Clementem Romanum 5. conſtitut. c. 1. vbi nomine Apoſtolorum, hortatur fideles ad eam charitatem largè præſtandam, nulliſque in ea ſumptibus parcendum. Et aſſenſos Chriſtianos, docent quæ habet Tertull. l. ad martyres c. 1. & 2. commemorans vbera Eccleſiæ, & ſubuentionem ex operibus fratrum; & iuſtum nihil, martyrum deſignatorum carni negatum, per fratrum agapem. Perſpicuè idem habet S. Cyprianus epiſt. 37. & S. Auguſtinus l. 2 contra literas Petilià. c. 13.

4. Eorundem maryrum adhuc deſignatorum, & in vinculis ob Chriſti confeſſionem detentorum, ſumma erat in Eccleſia auctoritas: vſque adeò, vt lapſi, aliique abſtenti, pacem Eccleſiæ ſibi exorarent acceptis à martyrum quopiam literis communicatoriis, quibus communiti iterum in

Eccle

Eccleſiam reſtituerentur. Cúmque nonnulli martyrum deſignatorum eſſent ea in parte faciliores, indéque non exigua diſciplinæ Eccleſiaſticæ eneruatio conſequeretur, laborandum ſæpe S. Cypriano fuit, in temperatione adhibènda, hac in parte; vt conſtat ex libro de lapſis, & ex variis epiſtolis, præſertim 10. 11. 12. 13. 14. & 18. Tertullianus item iam hæreticus, quorundam criminum dimittendorum facultatem negans Eccleſiæ, grauiter expoſtulat lib. de pudicitia, poteſtatem remittendi peccata, effuſam in martyres apud Catholicam Eccleſiam. Quod ſcilicet martyres deſignati, adeuntibus ad ſe peccatoribus, literas impertirent, quibus in Eccleſiaſticam communionem reſtituerentur, abſque alia ſatisfactione. Eo enim duntaxat pertinebat illa martyrum deſignatorum facultas circa lapſos & abſtentos, vt illos neceſſitate ſatisfaciendi exſoluerent, propter conceſſam illis partem ſatisfactionum ſuarum atque laborum, non autem vt culpam eis condonarent, quod nullus vnquam potuit laicus, quales plurimi martyrum erant. Quoad abſterſionem verò reatus temporalis pro peccato admiſſo contracti, certum eſt, ius eſſe iuſtis quibuſcunque, transfundere inuicem ſuas ſatisfactiones, quibus ea abſterſio perficitur: Ita enim depoſcit communio, quæ inter Eccleſiæ tanquam eiuſdem myſtici corporis viua membra, vigere ſupponitur ex vulgari fidei teſſera. Multo autem magis agnoſcendum eſt in martyribus, ius prædictum, quia in illis vniuerſus pœnæ reatus qui ex anterioribus culpis ſuperſtes eſſe potuit, mortis pro Chriſto perpeſſione, aboletur ex opere operato: vnde ſatisfactiones propriæ quibus abundabant,

bant, ſuperfluæ illis cum eſſent, congruum fuit, vt in amicos egentes eas effundere pro arbitrio poſſent, præmiſſa tamen ex parte recipientium diſpoſitione ad eum fructum conſentanea. Reipſa enim, apud Deum reatus non eluitur, quin præceſſerit culpæ abſterſio; quam martyres, (quâ martyres,) iure vt ſic dicam, & cum poteſtate præſtare non poterant: Tamen poterat ex opere operantis, anteceſſiſſe emundatio à culpa. Ea autem nondum ablata, potuit conceſſum à martyre deſignato beneficium, prodeſſe lapſo vel abſtento, vt Eccleſiaſticæ communioni reſtitueretur in foro externo, acciperétque iam tunc ius, vt accepta per ſacerdotem culpæ remiſſione, ſatisfactionũ participatione gauderet. Quod ſi aliqui martyres deſignati, *ante purgatam*, vt eſt apud Cyprianum lib. de lapſis, *conſcientiam manu ſacerdotis*, & quod etiam ſupponitur, ne contritione quidem lapſi interpoſita, putabant ius ſibi eſſe dandi lapſis pacem, etiam internam; & cum abſterſione vel culpæ ſimul & pœnæ, vel pœnæ ſolius, culpa ſuperſtite, fatendum eſt martyres illos deſignatos fuiſſe ea in parte deceptos, plúſque ſibi ea in facultate, quàm reuera poſſent, arrogaſſe. Temperatiores porrò martyres, literas ſuas fructuoſas lapſis eſſe nolebant, ante conſummatum martyrium: vt liquet ex facto Luciani, nomine S. Pauli martyris, referente S. Cypriano epiſt. 22. ex cuius epiſtol. 10. intelligimus curæ S. Cypriano fuiſſe, vt id in vſum induceretur ac retineretur. Aliqui etiam martyrum deſignatorum, multò temperatiores erant hac in parte: quippe qui, deſideria ſua in lapſi fauorem, Epiſcopo expoſuiſſe contenti,

ti, illud vnum rogabant, vt Epiſcopus diſcuſſa lapſi cauſa, vel in martyris gratiam benignè pacem redderet, vel negaret. Quam ſobrietatem, & in Præſides reuerentiam, S. Cyprianus admodum collaudat epiſtol. 10. 11. & 12. Tandem verò Concilium I. Arelatenſe indictum à Conſtantino Magno in cauſa Donatiſtarum, vſum, huiuſmodi (vt vocabant) pacificarum, abrogauit, ne data Eccleſiæ pace plena, illud multorum abuſuum ſeminarium perſtaret.

Quæ gloria dimiſſorum quandoque poſt tormenta.

5. Non raro accidit, vt aliqui martyres deſignati, poſt vincula, & carceres, vel etiam, leuiora aliqua vulnera, liberi dimitterentur: cuiuſmodi multos fuiſſe, cum Maximinus Imperator, crudelium in Chriſtianos edictorum palinodiam cecinit, Euſebius autor eſt 8. hiſtor. cap. 1. Tum verò, magno in pretio & honore reliqua vita erant inter fideles, qui ſic de Satana & eius partiariis ſtatuiſſent trophæum, & quibus martyrium defuiſſet, non ipſi martyrio: nihilque frequentius legimus, quàm qui eiuſmodi eſſent, in Eccleſiarum rectores fuiſſe aſſumptos. Quibuſdam etiam ingeſtum tumorem inde fuiſſe, & inflationem ex adito generosè periculo conceptam, ruinæ eis occaſionem præbuiſſe, produnt ſacræ hiſtoriæ. Quod ſi qui ex hiſce manumiſſis, corpore erant aliquatenus ob fidei confeſſionem vitiato, nihil erat fidelibus dulcius, quàm ſtigmatibus illis oſcula figere. Sic Prudentius hymno 5. periſteph. deſcribens fidelium concurſum ad

S. Vincentium, poſt immanes cruciatus vinculis exemptum, inter alia pietatis officia Sancto martyri præſtita, ait,

[Ille vngularum duplices
Sulcos, pererrat oſculis,
Hic purpurantem corporis,
Gaudet cruorem lambere.]

Illuſtriſſimum in hoc genere eſt, quod de Conſtantino Magno ſcribit Theodoretus l. 1. hiſtor. cap. 11. Nempe pium illum, (vt idem Theodoretus alibi vocat,) noſtri gregis Zorobabelem, in Concilio Nicæno, ſanctos 318. Præſules, quaſi trecentos iuxta S. Ambroſium Abrahæ magni vernaculos, beneuolentia ſumma complexum, omnibus cœnam & regia apophoreta dediſſe, nullúmque charitatis & ſynceriſſimi in eos affectus argumentum, prætermiſiſſe. Conſpicatum autem ex eis quoſdam queis dexter oculus fuerat effoſſus, cauſam amiſſi luminis edoctum, fidei ſcilicet confeſſionem; eximia planè pietate ac ſenſu inſolito, admouiſſe labra locis ſauciatis, ratum ſe inde lectiſſimam benedictionem ſugere. Habent porro Græcorum Menæa 23. Decembris, SS. illos Patres ferè omnes, truncos ex prædicta cauſa fuiſſe, hunc vno oculo, illum altera manu, alium tibia, aliis membris alios; pérque omnium mutilatos artus, exerraſſe Conſtantini oſcula; nominatímque Pauli Neocæſarienſis mutilas manus oſculantem, vix ſatiari potuiſſe.

Martyrum conſummatorum, honor ſepulturæ.

6. Iam honor martyribus conſummatis ab Eccleſia exhibitus, inſignis omnino fuit. Sepulturæ inprimis

imprimis ritus, omnibus Chriſtianis paſſim ac promiſcuè adhibiti, multo minus in curatione ſanctorũ corporũ deſiderabantur. Nam quod Chriſtiani, humana corpora vt ſanctarum animarum domicilia & organa; (ratio eſt Origenis l. 5. & 8. contra Celſum, & S. Auguſtini 1. ciuit. c. 13. quem locum deſcribit l. de cura pro mortuis c. 3.) honorificè tractare in vſu ſemper habuerint, multo magis id ſeruatum oportuit erga ſanctorum martyrum corpora, de quibus tam locuples argumentum exhibitum eſſet, inhabitantis in eis dum viuerent, Spiritus ſancti. Itaque aſportatis cum licebat ſacris corporibus, plerumque etiam magno pretio redemptis, nec rarò à piis furibus & viuis martyribus, vt eos vocat S. Chryſoſtomus orat. in SS. Iuuent. & Max. non ſine vitæ diſcrimine ad ſepulturam ſubductis, omne circa ea pium officium, ſtudioſiſſimè ac deuotiſſimè exequebantur. Vnde & lotiones quas mortuorum Chriſtianorum corporibus adhibitas, liquet ex Tertulliano c. 42. Apolog. & ex S. Gregorio l. 3. dialog. c. 17. & lib. 4. c. 16. & 27. Vnguenta item, quæ à priſcis Chriſtianis reſeruata funeribus, obiiciebat Cæcilius apud Minutium; & candida lintea, quæ prætendi mortuis ſolita, prodidit Prudentius Hymno in defunctorum exequiis, & quoad Ægyptios notauit S. Athanaſius in Magni Antonij vita; & denique vniuerſus ille apparatus curationis mortuorum Fideliũ, quem plenè deſcribit Onuphrius lib. de ritu ſepel. Chriſt. c. 6. & Stephanus Durantius l. 1. de ritib. c. 23. n. 13. multo magis circa ſanctorum martyrum exuuias eſt adhibitus. Diligenter abluta, & multis delibuta vnguentis, ac nitente linteo conueſtita, ſacra

martyrum corpora, ex decreto Eutychiani Papæ, quod refertur in libro Anaſtaſij de Romanis Pontificibus Damaſo Papæ perperã adſcripto, amicienda erant purpurato colobio. Genus id erat tunicæ humero tenus exertæ, & abſque manicis, vt cenſet Onuphrius l.de vocibus Eccleſiaſt.obſcur. §. *de generibus ſacrarium veſtiũm*.& S.Dorotheus doctr.1.n. 17. Quanquam alij ad cubitum duntaxat reſectas colobij manicas voluerunt, quales ferè hodiè ſunt ſacrorum miniſtrorum dalmaticæ. Et ita de monaſticis colobiis Caſſianus.1.inſtit.c.5. vbi fusè ex variis Gazæus.Videſis præterea Baronium anno Chriſti 283.& in Martyrol.Rom.ad 31. Maij.ac Roſuedium in Onomaſtico.

7.Sic curata martyrum corpora, apud quoſdam Ægyptios,vt in vita S.Antonij refert & expoſtulat S.Athanaſius, non ſepeliebantur in locis ſacris, ſed ſuper lectulos in priuatis domibus aſſeruabantur. At ex recepto Eccleſiæ vſu, inferebantur ſacris cœmeteriis.Quo nomine apud Cretenſes,referẽte Athenæo lib. 4. ſignabantur publicæ domus peregrinis excipiendis addictæ. Chriſtiani verò, eadem voce deducta à Κοιμάω, quod eſt *dormio*,ſedem dormientum verè peregrinorum denotarunt. Quod autem conſtet, conſueuiſſe ad cœmeteria orationis cauſa conuenire Chriſtianos;& ibidem ſtationes ac ſynodos habitas, adminiſtratum baptiſma, celebratas Miſſas atque vigilias,aliaque religionis officia obiri ſolita multis veterum teſtimoniis compertum habeatur; inde Onuphrius citati libelli de Chriſtiana ſepultura cap.11.intulit idem prorſus fuiſſe cœmeterium & Eccleſiam;non quidem quamcunque,ſed ſepulturæ fidelium addictam,atque adeò extra vrbis

mœnia

mœnia locatam. Nam vrbanis Eccleſiis inferri corpora tumulanda, iure Romano 12. tabularum vetitum erat & perſtabat vigor legis, tempore S. Chryſoſtomi, vt habetur ex eius homil. 74. in Matth. Is tamen vſus ſenſim exoleuit, ex quo illatis in vrbanas Eccleſias martyrum corporibus, fideles à Sanctorum tumulis non abiungi tumulos ſuos, expetierunt. Cœmeteria, quæ Romæ ad quadraginta tria recenſet ſupra Onuphrius cap. 12. modò à loci conformatione *cryptæ*; modò à fine *catatumbæ*, vel *catacumbæ*; modò à ſoli natura, *arenariæ*, vel vt eſt apud Aldelmum lib. de virgin. *ſablones*, (Columella ſabulones, vocauit,) & apud Afros *areæ*, dicebantur. Eò enim pertinet quod refert Tertullianus l. ad Scapul. c. 3. Ethnicos ſub Hilariano Præſide meſſes ſuas non egiſſe, & areis caruiſſe, cum in areas Chriſtianarum ſepulturarum acclamaſſent, *areæ non ſint.* Cœmeteria igitur, eo præſertim nomine quod in illis ſacra martyrum oſſa conderentur, omni pietate frequentabantur à fidelibus. Et ibidem condi promiſcuè Chriſtianum vulgus, religioni ducebatur: quam interpoſita lex firmauit, vt habetur l. 2. C. de ſacros Eccleſ. Conſtantinus certè, magno duxit honori, fieri ſanctorum martyrum oſtiarius, vt dixit S. Chryſoſtomus homil. 26. in 2. ad Corinth. & ea homilia ſiue tractatu cui titulus eſt Demonſtratio quod Chriſtus ſit Deus, referens eum conditum in veſtibulo templi S. Apoſtoli Petri in quo martyres plerique quieſcebant, qua de re ante Chryſoſtomum Euſebius lib. 4. de vita Conſtant. cap. 60.

Irrepſit tamen (vt dixi,) vſus iam olim, ſtimulante deſiderio propinquitatis ad ſacra corpora, vt fide-

les iiſdem locis inferrent corpora ſuorum, quibus SS. Martyres conditi iacebant. Quod eorum ſtudiũ, refert, & redditis nonnullis rationibus commendat S. Auguſtinus l. de çura pro mortuis cap. 1. & 4. & 5. reſpondens ad quæſita S. Paulini. Qui carmine 15. teſtatur curæ ſibi fuiſſe, vt quem aliquando ex Theraſia ſuſceperat filiolum præcoci morte ſublatum, ædes ſacra SS. martyrum Complutenſium exciperet. Sic enim Celſum infantem affatur, in panegyrico de eius obitu ad Pneumatium & Fidelem, eius parentes.

[*Qualis & ille fuit noſter, tuus ille beati*
Nominis, accitus tempore quo datus eſt.
Exoptatæ diu ſoboles, nec præſtita nobis,
Gaudere indignis poſteritate pia:
Credimus æternis illum tibi, Celſe, viretis,
Lætitiæ & vitæ ludere participem.
Quem Complutenſi mandauimus vrbe, propinquis
Coniunctum tumuli fœdere, martyribus.
Vt de vicino Sanctorum ſanguine ducat,
Quo noſtras illo purget in igne animas.]

Pulcherrimè in eandem ſententiam diſputat S. Maximus ſerm. de SS. Taurinenſibus, & Dungalus l. contra Claudium Taurinenſem Iconoclaſtam, & ex recentioribus Roſuedius ad illud 15. Paulini carmen, ac ex variis Baronius anno Chriſti 226. *in fine.*

Concurſus ad ſacra martyribus Loca.

8. Quod ſi vniuerſum cœmeterium, poſteáque vrbanum templum, propter ſepulchra martyrum habebatur ſacerrimum, multo magis ſepulchrum

pulchrum ipſum. Itaque omni genere pij cultus frequentabatur, vt diſcimus ex illis S. Paulini verſibus natali 6. Sancti Felicis.

[*Cedo alij pretioſa ferant don aria, méque*
Officij ſumptu ſuperent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,
Siue coloratis textum fucata figuris.
Hi lenes titulos lento poliant argento,
Sanctáque præfixis obducant limina lamnis.
Aſt alij pictis accendant lumina ceris,
Multiforéſque cauis lychnos laquearibus aptent,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas.
Martyris hi tumulum ſtudeant perfundere nardo,
Et medicata pio referant vnguenta ſepulchro.]

Is verò erat ad hæc pia officia in ſacra martyrum loca commeantium ardor, vt hæreret & in magnis denſa cohors ſpatiis, iuxta Prudentium fusè denſam hanc populorum coitionem deſcribentem hymno 11. periſt. quodque ſcitè de more dixit Nyſſenus orat. 2. de SS. 40. martyribus [animatum illud « Eccleſiæ mare, multitudine aliorum ſuper alios « confluentium & ingruentium inundans, ad impe- « tum & impulſionem eorum qui ſemper vi irrum- « perent, fluctuaret & æſtuaret, ſonitu quoque ipſo « verum imitãs mare, veluti rupibus littoralibus, au- « ribus vndarum ſtrepitum infringens & illidens.] « Hoc nimirum erat, *ſemina æternitatis,* vt S. Ambroſius ſerm. 91. dixit, honorare in conditoriis quibus excipiebantur. Penè exciderat, ſummum (mea quidem ſententia,) honoris genus quod habetur ex S. Auguſtino epiſto. 137. nempe ancipites controuerſias finiri ſolitas, concepto ad martyrum ſepulchra iuramento; quaſi eius gloriæ quæ per verum iura-

mentum Deo defertur, teſtes aſſumerentur SS. Martyres.

9. Acuebant verò pietatem Chriaſtianorum, ac ſtudium frequentandi ſacra loca queis conditæ ſacræ martyrum exuuiæ, plurima quæ ſupra naturam in charorum ſuorum gratiam, à Deo patrata legimus. Eo enim ſpectaculo; euocatos ad martyrum templa, etiam ipſos Imperatores, autor eſt Iſido. Peluſiota l. 2. epiſto. 5. & S. Chryſoſtomus homil. 26. in. 2. ad Cor. qui eiuſdem fidelium concurſus ad martyrum templa-meminit lib. 1. de prouid. ſolans Stagirium, qui fruſtratus erat concepta ſpe curationis ab inſidente dæmone, multis Sanctorum martyrum locis aditis, quod ibi dæmones humana corpora queis inſederant libera dimittere, frequens eſſet, vt idem S.P. latè tradit, initio homiliæ de Machabæis, & pulchrè S. Ambroſ. orat. de obitu Theodoſij verbis illis [Bona fides, quæ frequenter operatur in mortuis. Denique aduerſarius & legiones ſuæ quotidiana martyrum virtute torquentur. Vnde arbitror quod fila chordarum citharæ ideò fides dicantur quoniam & mortuæ ſonum reddunt.] Eiuſdem ad martyrum loca concurſus meminit idem Chryſ. in pſal. 115. ad illud *pretioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius*. Et optimè ac latè homil. in SS. martyres, quæ eſt 65. tomi 5. Græcolatini, vbi de fructu inde obueniente Chriſtianæ plebi, hæc
« præter cœtera. [Nihil aliud ſunt martyrum cap-
« ſulæ, quàm ſecuri portus, ſpiritualium laticum
« fontes, inuiolati opum theſauri, qui nunquam ex-
« hauriuntur. Et quemadmodum portus dum mul-
« tis fluctibus circumfuſas naues excipiunt, in
« tuto eas collocant; ſic nimirum & martyrum

capſulæ

capſulæ dum ſecularibus negotiis circumfuſas animas noſtras excipiunt, in multa illas tranquillitate ac ſecuritate conſtituunt. Et quemadmodum gelidarum fontes aquarum; afflicta laboribus, & calore defeſſa corpora recreant; ſic nimirum & iſtæ, prauis inflammatas affectibus animas refrigerant,& obſcœnam cupiditatem,inuidiam exedétem,irámque feruentem, & ſi quid aliud eiuſmodi, negotium faceſſit,ſolo aſpectu ſedat & extinguit. Enimverò theſauris etiam longè ſunt potiores. Siquidem pecuniarum theſauri, multa illis à quibus inuenti fuerint; creant pericula: cúmque multas diuiſa in partes fuerint, diuiſione minuuntur: Hìc verò nihil tale eſt, ſed expers periculi eſt inuentio.] Hanc ob cauſam S. Baſilius homil. in pſal.115. verè pretioſam ſanctorum martyrum mortem eſſe docet, componens priſcorum Iudæorum morticinia, & SS. Martyrum corpora: quod illa haberentur horrori, ita vt ſacerdotibus & Nazaræis,contactu corporum mortuorum interdiceretur, eáque contingentes immundi fierent, & veſtimenta abluere iuberentur. Cum [nunc è diuerſo,martyris oſſa quiſquis attigerit, ob gratiam corpori inſidentem, fiat quadantenus ſanctificationis particeps.] Eſt in eandem ſententiam illuſtris locus apud Photium Cod. 180. ex l.5. S. Eulogij Alexandrini contra Nouatianos, vbi virtutem oſſibus Sanctorum à Deo conſertam, & vitæ impertiendæ facultatem,confirmat ex Dauide Pſal. 33. affirmante Dominum oſſa ſuorum cuſtodire:& ex capſa Eliſæi corpus continente; cuius attactu reuixit mortuus. Quanto enim magis id poterunt capſæ mortuorum pro Chriſto? Breuiter Theodoretus extremo l. 9. contra Græcos, ait

« opinari Chriſtianos,[martyrum loculos eſſe bono-
« rum omnium fontes vberrimos.]

10. Quod verò ſubdit S. Chryſoſtomus homil. illa 65. non integra tantùm corpora martyrum, ſed eorum quoque modicas partes in ſumma veneratione habitas, & inſignium fructuum frequentantibus fidelibus fuiſſe feraces, confirmat Theodoretus lib. 8. contra Græcos non multum à principio. Et idem egregiè à Nazianzeno traditum eſt Iambico 18. ſic canente.

[Orbem totum,
Fulgore complent, ſyderum in morem, illius,
Mactatus eſt qui, martyres clariſſimi.
Venerationi támque magna eſt veritas,
Exiguus etiam puluis vt, vel oſſium.
Particula veterum quæpiam, aut paulum comæ,
Veſtéſue, ſparſi aut ſanguinis quædam nota,
Cultum parem habeant, atque corpus integrum.
Locíſque nomen martyris ſolùm inditum
Noui quibuſdam, martyris loco integri,
Habuiſſe prorſus vim parem, (ô miraculum!)
Meminiſſe nam vel martyrum ſolùm, vt reor,
Affert ſalutem.]

Quod de memoria Dei, delectante, & muniente ac bonis omnibus ditante hominem, alibi tradit idem Theologus, hoc de martyrum memoria proferre non extimeſcit. Egregiè item S. Chryſoſtomus, in calce orationis de martyribus toto orbe paſſis, memoriam martyrum, tanquam fontem vniuerſæ ſanctitatis deſcribit. Vult autem animæ parietes, hac florida pictura exornari: & in cordis latitudine, memoriæ penicillo aſſiduè pingi cum ſuis quoſque cruciamentis; hos iacentes in ſartagine, il-

los

los autem ſuper prunas extenſos, hos in lebetes deiectos, illos in mare demerſos, alios vngulis laceratos, alios in rota diſtortos, alios in præcipitium actos, hos cum beſtiis pugnantes, illos in barathrum deuolutos, vt cuique contigit mortem obeuntes, vt huius picturæ varietate, domus animæ, elegantiſſima euadat. Has picturas aſſiduè efformatas, hanc memoriam iugem ac viuidam, omnis in nobis boni fontem, omnis mali auerruncationem fore, ſpondet Chryſoſtomus.

Etiam pœnalia inſtrumenta, in honore, & frequentatio locorum queis condebantur.

11. Nec Sanctorum duntaxat martyrum corpora, eorúmve particulæ, ſummo ſemper in honore fuerunt apud fideles, ſed ipſa quoque feralia inſtrumenta quibus vincti aut vexati, vel cæſi eſſent Sancti pugiles: ob quorum contactum, illa quoque venerabilia ſunt viſa, accedentibus diuinæ beneficentiæ per ea præſtitæ, copioſis illuſtribúſque teſtimoniis; ita vt dicat Nazianzenus orat. 3. martyris corpus idem poſſe quod animam, & vel exiguas ſanguinis guttas, aut aliquod ex ſignis paſſionis pro Chriſto exceptæ, idem poſſe quod corpus: nec iam de Chriſti tantùm mortis inſtrumentis dolor crearetur aduerſariis, dicere adactis, ecce & clauus in honore eſt, ſed etiam de martyrum ſimilibus inſtrumentis. Quem verò latet veneratio, in qua iam olim fuere in Eccleſia & Latina & Orientali, S. Petri vincula? Sanctus certè Chryſoſtomus, aut quiuis alius, ex quo laudationem ſacrorum illorum vinculorum exhibuit Metaphraſtes, ea tantopere

eſſert, vt non videatur altiùs ſubuehere, & magnificentiùs celebrare potuiſſe. Specimen duntaxat
« profero. [Catenæ quæ venerandum Apoſtoli cor-
« pus attigerunt, quanto propiorem tactum habue-
« runt, tanto abundantiorem miraculorum vim par-
« ticiparunt: Catenæ, inquam, illæ omnino vene-
« randæ, ac precioſæ, quæ Apoſtolicum illud ac bea-
« tum corpus colligarunt; quæ manus illas miraculo-
« rum effectrices, adſtrinxerunt, quæ diuina gratia
« ab ipſis repletæ ſunt, ex quibus miracula abundè
« ſcaturiunt, quæ ægrotos homines à morbis libe-
« rant, quæ homines illos ſanctos efficiunt, qui cum
« fide ad eas accedunt: à quibus animarum maculæ
« myſtico quodam modo expurgantur, & morbidæ
« influentiæ reprimuntur: quæ denique in aëream
« celſitatem extenſæ, & vſque ad cœlos ipſos per-
« uenientes, à Dominico illo & diuino ſolio, tan-
« quam ab anchora quadam extenduntur. Has cate-
« nas, potentiarum quæ à Deo ipſo defecerunt, prin-
« ceps exhorruit, & nunc etiam exhorret, ac multo
« cum timore illas ſubterfugiens comprimitur. Has
« acies ſpirituum multitudo metuens ac tremens, ia-
« culiſque indè immiſſis percuſſa, longiùs profuga-
« tur. Non enim ferre poteſt Spiritus ſancti gratiam,
« has ipſas catenas obumbrantem, neque ſcintillas
« ex diuino illarum igne exilientes ſuſtinet. Sed ab ip-
« ſis incenditur, atque comburitur. Has compoſuit
« Dei patris verbum, eiuſdem æternitatis & princi-
« pij particeps, vt eius de Deo confeſſionis, præmium
« eſſent. Illas ignitas reddidit carbo ille, ab Eſaia an-
« teà viſus, & ad Deum intuendum efficaciſſimus:
« Spiritus ſanctus paracletus ſuo afflatu, ignem è car-
« bone illo exilientem, ad opus perficiendum maxi-
mè

mè idoneum reddidit. Quamobrem licèt ferreæ "
ſint naturæ, diuina tamen gratia & potentia plenæ "
ſunt.] Subdit quantopere erga ferrum illud quondam pœnalium vinculorum, afficerentur Christiani, & quantos ex veneratione illarum, corpore & animo fructus perciperent. Tum addit. [Deceret "
certè, deceret, non ſolùm catenas quæ manus illas "
adſtrinxerunt, magnoperè venerari, ſed etiam indicia omnia ad quæ Apoſtoli membra acceſſerunt, "
ſingulatim amplecti, ac reuereri, & in illis ſingulis "
diem feſtum ac panegyrim celebrare.] Et ſub finem totius encomij. [Ego & carcerem ipſum in quo cuſtoditus eſt, omni præconio dignum cenſeo, "
quippe qui omni veneratione plenus eſt: Dignus "
enim habitus fuit, qui tantum ſanctitatis domicilium intra ſe acciperet. Ego & ſolum illud in quo "
decubuit, & vinctus dormiuit, ſanctitate decorum "
exiſtimo, & Apoſtolica gratia refertum.] De honore vinculorum S. Pauli, ſplendidiſſimè indubitatus Chryſoſtomus homil. 16. ad popul. Quem honorem dabit ſeruis ſuis, qui tantum honorem dare voluit eorum pœnis? vt S. Auguſtinus de cruce dixit in pſal. 36. conc. 2.

Natales martyrum, quàm feſti, & SS. in eis panegyrici.

12. Vt locus quietis ſacrorum pugilum, vel cuiuſpiam ad eos quoquomodo attinentis, conditorium, ſic dies mortis, imo verò natiuitatis, ſummam habebat apud fideles venerationem. Natiuitatem vocaui, quia maiores noſtri, nefas duxere, mortuos dicere qui vitæ naſcebantur. [Nouit enim "
Eccleſia

« Eccleſia (vt dicitur apud Bernardum ſer. de S. Ioan-
« ne Baptiſta,) quia melior eſt dies mortis, die na-
« tiuitatis, & quòd ortus hominum triſtitia comite-
« tur. Inde eſt quod diem mortis martyrum non na-
« tiuitatis, ſolemnizat Eccleſia, mortem tamen eo-
« rum natalitiorum nomine nominans, quibus fa-
« ctus eſt de morte natalis. Tunc er' cæperunt de
« morte naſci ad vitam, cùm vitam [illegible] fuerunt pro
« vita.] Similiter S. Auguſtinus ſerm. 113. de diuerſ. agens de natali S. Cypriani, & exponens cur dies pretioſæ mortis ac paſſionis Sancti viri, diceretur ab Ethnicis quoque, natalis eius, rationem reddit,
« quia [illo die, ex faſtidioſæ matris vtero, iſtam pro-
« ceſſit in lucem quæ oculos carnis illecebrat; iſto au-
« tem die ex occultiſſimo naturæ ſinu, illam diſceſ-
« ſit ad lucem, quæ viſum mentis fœliciter & beatè
« illuſtrat.] Hoc verè dici, monſtraui pleniùs in meo SS. Lugdunenſium indiculo, cum de S. Iuſto, refellens nouitiam notationem *natalitiorum ſacrorum*, à Natali Toletano, æquali Conſtantini magni. Diſertè enim multi Patres eo loco à me prolati, notationem nunc propoſitam, ratam habent. Quæ ſi retinenda non eſſet, multo magis, præ illa nouitia planè inani, approbarem aliam eodem penè recidentem cum ea quæ propoſita eſt: Nempe quod ſacrorum martyrum dies natalis, dicatur, dies mortis eorum, quia per mortem regreſſi ab exilio ſunt in patriam, illico à morte, præciſis quibuſuis remoris, cœlo illati. Nam diem regreſſus ab exilio, vocatum *natalitium*, conſtat ex Tullio 2. ad Attic. vbi diem natalem reditus ſui celebrandum admonet. Ipſique reduces ab exilio, dicti renaſci. Quod ferunt illa Claudiani de bello Getico

[*Terriſque*

[Terriſque ſuis redduntur & agris
Damnati fato populi, virtute renati.

Et illud Papinij 5. ſylua. in Hetruſci lachrymis.

[Quas tibi deuoti iuuenes pro patre renato,
Summe ducum grates, aut quæ pia vota rependent?

13. Sacros igitur dies, queis martyres cadendo vicerant, à primis temporibus, in magna veneratione habuit Eccleſia, vt diſcimus ex Clemente l.8.conſtit.cap. 39. & Tertulliano l de corona mil. c.3. ac S. Cypriano epiſt. 34. & 37. Quo poſteriore loco idcirco mandat adnotari dies quibus martyres glorioſè occubuiſſent, vt quotannis eorum memoria recurreret, poſſétque pro eis, id eſt in eorum honorem offerri Deo ſacrificium, exigeretúrque cum Chriſtiana hilaritate dies ille, quem Deus pugilum ſuorum certamine atque victoria illuſtrem eſſe voluiſſet. S. certè Gregorius Thaumaturgus, referente Nyſſeno, ſuos Neocæſarienſes ad fidem recens traductos, ne dimiſſis idololatriæ profanitatibus, quaſi omnis hilaritatis argumento ſubmoto, triſtitia occuparentur, feſtas luces exigere docuit, quas ſanctorum martyrum obitus illuſtraſſet. Idem quoad Anglos, Auguſtino Cantuarienſi præſcripſit S. Gregorius. Eámque etiam ob cauſam Nicolaus Papa ad conſulta Bulgar. c.5. negat, ieiunandum, vel à carnibus abſtinendum eſſe in natalitiis præcipuorum quorundam martyrum, ſi ſexta feria inciderint. Et rationem hanc reddit, quæ anteriorem doctrinam de martyrum natalitiis egregiè confirmat. [Nam quod ſancta " Eccleſia vt fidelis anima, in feſtiuitate eorum ie- " iunia, vel abſtinentias, quæ non ſunt perpetuo vo- " to propoſitæ, ſoluere debeat, Dominus teſtatur "

in

« in Euangelio, dicens: mulier cùm parit, triſti-
« tiam habet; cùm autem pepererit puerum, iam
« non meminit preſſuræ propter gaudium, quia na-
« tus eſt homo in mundum. Mulierem dicit ſan-
« ctam Eccleſiam. Sicut enim mulier, nato in hunc
« mundum homine, lætatur, ita Eccleſia in vitam
« futuram fidelium populo migrante, digna exulta-
« tione repletur: pro qua eius natiuitate, multum
« laborans & gemens, in præſenti quaſi parturiens
« dolet. Nec nouum debet cuiquam videri, ſi natus
« dicitur qui ex hac vita migrauerit. Quomodo enim
« vſitato modo dicitur naſci, qu[illegible]lo quis ex vtero
« materno procedens, in hanc luc[illegible]n exit: ſic quo-
« que iure natus appellari poteſt, quilibet ab huius
« ſæculi tenebris, ad lumen pertingens viuentium.
« Pro qua ergo re aptè conſuetudine tenetur Eccle-
« ſiaſtica, vt ſolemnes beatorum Martyrum, vel
« Confeſſorum Chriſti dies, quibus de hoc mundo ad
« regionem migrauere viuorum, nuncupentur nata-
« les: Sed & eorum ſolemnia, non funebria tanquam
« morientium, ſed vt potè in veram vitam naſcen-
« tium, natalitia vocitentur. Ergo [illegible] tunc natis,
« vtique Deo cui omnia viuunt, in c[illegible]ius manu iu-
« ſtorum animæ poſitæ ſunt, quando viſi ſunt oculis
« inſipientium mori, mulier ſancta iam non memi-
« nit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo
« in mundum, id eſt, in lucem æternam. Quod ſi de
« eius natiuitate lætatur; non ieiuniis, non abſtinen-
« tiis, non denique vllis debet ipſo vacare die mœ-
« roribus.]

14. Ipſas dies martyribus ſacras aliis diebus illucere ſplendidiores & micantiores, quippe ex ortu luminarium longè micantiorum illuſtratas, ideóque

ideóque omnem bene affectorum animorum diſpellere mœrorem, dixit S. Chryſoſtomus homil. de Machab. rationem addens. [Multis enim ſolibus, illuſtriores ſunt martyres, & magnis luminaribus clariores. Propterea (*inquit*) hodie ſi dici poteſt, cœlo ipſo ornatior terra lætatur.] Per eleganti item proſopopeia Gregorius Nyſſenus in priore parte laudationis SS. 40. Martyrum, diem eorum feſtum inducit exultantem ac prærogatiuas ſuas, ſupra diem conditi & exornati orbis efferentem, & ad lætitiam fideles omnes excitantem. Piis item conuiuiis indulſiſſe per eam diem Chriſtianos, non procul à martyrum ſepulcris, vt ab Anglis neophytis fieri, autor fuit S. Gregorius, eóque pacto lætitiam ſuam teſtatos eſſe, notius eſt, quàm vt illuſtratione ſit opus. Tantùm obiter aduerto locum Auguſtini ex 8. ciuit. c. 27. vbi epulas quibus in conuiuiis illis veſcendum erat, illatas à Chriſtianis ante martyrum ſepulcra teſtatur, vt per merita martyrum ſanctificarentur, indéque veſcentes fructum ſperatum reportarent. Quod autem aliqui ab epulis illis in martyrum memoriis redirent ebrij, inde eſt quod idem S. Auguſtinus ſer. 101. de diuerſ. c. 8. ſartagines, lagenas, & ebrietates, martyribus inuiſas pronunciat. Verùm hanc non religionis, quæ ſanctam illam hilaritatem, ſed vinolentorum culpam fuiſſe, docet l. 20. contra Fauſtum cap. 21. refellens Fauſti grunnitus in eas dapes, & vniuerſum apud Chriſtianos martyrum cultum, tanquam idololatriæ plenum. Quam querelam hodiéque, Fauſti nepotes frequenter iterant, & egregiè retundit S. Auguſtinus ſerm. cit. c. 7.

Fruſtra verò monerem, ſub ſacras illas epulas,

&

& per totum diem martyrum memoriæ feſtiuum, decantatas fuiſſe eorum victorias, laudéſque concelebratas. Id enim & ex Prudentij hymnis περὶ στεφάνων, & ex natalibus S. Felicis apud Paulinum, & ex Græcorum hymnis qui ſeorſim editi extant, perſpicuum eſt. Nec quod profanis quibuſuis victoribus accidit, vt Theodoretus aduertit lib. 8. contra Græcos, defecit laus eorum de ore hominum. Prouidit enim Deus, vt qui hìc inglorij abiectíque vixerunt, inextincta, & nullo temporum tractu marceſcente gloria, illuſtrarentur: cum è contra, profanorũ ab honeſtate philoſophica olim celebrium, tametſi multa, & dura admodum perpeſſorum, Socratis, Anaxarchi, Zenonis, aliorúmque veneratio, breui euanuerit. [Nullus eorum (inquit Theodoretus;) quo martyres honore, digni ſunt habiti. Neque item illi quibus illuſtria & celeberrima excitata ſunt virtutis trophæa, Miltiades, Simon, Pericles, Themiſtocles, Ariſtides Lyſimacho natus patre. Hic verò non modò fortis patriæ propugnator, ſed iuſtiſſimus quoque homo eſt habitus. Verùm neque hic, neque Spartanus Braſidas, non denique Ageſilaus, non Lyſander, qui diſſoluit Athenienſium potentatum, non Pelopides Bæotorum Princeps, non Epaminondas qui Laconicam deuaſtauit, auſus ad vſque Spartana mænia hoſtilem exercitum admouere, non Romanorum præclariſſimi Imperatores, non Scipionum maior, non Brutus, illum nomine Brutum referens qui Tarquinios Roma exegit, non Cato, non Sylla, non Marius, non Pompeius, non ipſe Cæſar. Hi enim ductandis exercitibus, egregiáque in gerendis bellis fortitudine viguerunt, neque ſic tamen,

tamen, quaſi martyres honore affecti ſunt. Quid «
ego autem bellicos duces commemoro, cum ne ipſi «
quidem Reges habitabilis terræ, ita vnquam ho- «
neſtati, cultiqque fuerint? Non Cyrus, non Da- «
rius, non Xerxes, non Philippi filius Alexander; «
Inſignes enim duntaxat, clariſſimóſque propono. «
Non item Auguſtus, non Veſpaſianus, non Traia- «
nus, non Hadrianus, non Antoninus. Attamen hi «
omnes, cùm viuerent, illuſtres conſpicuique fue- «
runt, victoréſque deuictis barbaris pompas miſe- «
runt; ſolemnitatéſque celebrarunt. Mortui tamen, «
nihil à multitudine differunt. Neque enim conditi «
ſunt inſignibus monumentis, neque publico epulo «
feſtiuitatis annuæ honeſtantur.] «

15. Excurrit latè in eo campo, & quanta præ iſtis quandam glorioſis, poſtea altiſſima obliuione ſepultis, planéque inhonoratis, perſtaret poſt multos annorum decurſus, (imo ſeculorum,) vigens ac florida martyrum gloria egregiè demonſtrat: illud præſertim & iure miratus, quod ſancti martyres, magnam partem humillima & abiectiſſima ſorte fuerint; plerique ſeruili conditione, nonnulli è ſcenico genere; & tamen tam luculenta & nunquam intermoritura recordatione ſint donati.
[Ac Philoſophi quidem, præclarique oratores, «
obliuioni iam dati ſunt; Imperatorum verò ac ma- «
gnorum quàm plurimorum Ducum, ne nomina «
quidem multi hodie norunt; cùm tamen marty- «
rum nomina, magis quàm familiarium, cuncti «
mortales ſciant. Quin etiam naſcentibus filiis ea «
imponi curant, ita cuſtodiam illis tutelámque cer- «
tiſſimam comparantes.] Sancti quidem martyres «
Ægyptij quos memorát Euſebius 8. hiſtor. cap. 21.

abiectis nominibus idolorum quæ à parentibus acceperant, nomina ſibi ſanctorum Prophetarum ipſimet inponèbant: Compluribus antiquiorum, nomen Ioannis ob venerationem dilecti diſcipuli fuit gratiſſimum teſte Dyoniſio Alexandrino in fragmento quod ex eo profert Euſebius 7. hiſtor. c.20. vbi addit liberos fidelium crebrò tuliſſe nomina Sanctorum Petri & Pauli ob præcipuum affectum in eos Chriſtiani gregis arietes. At poſteriores indiſcriminatim vt S. Ioannes Chryſoſtomus autor eſt homil. 22. in 1. ad Corinth. (& homil. 22. in Geneſ. ad id hortatur) ſanctorum quorumcunque, & præſertim martyrum, quod Theodoretus etiam retulit,nomina liberis imponebant. Hoc verò fuit, toties martyres honorare, quoties nomina liberorum vſurparentur, refricata per iugem prolis appellationem,& pij in eos affectus primùm excitati, & illuſtrium certaminum recordatione. Quæ omnia hactenus propoſita, aliáque quàm plurima, laudis & honoris martyrum perpetua apud fideles argumenta, tam crebra denſáque fuerunt, apud quoſuis Chriſtiano nomine gloriantes, vt manum Domini amicos ſuos honorantis, liceat agnoſcere, quod Theodoretus ſub eiuſdem libri initium rectè obſeruauit. Foréque æternos illos honores SS. Martyrum, nec in ore fidelium intermorituram vnquam laudem tam inſignium certatorum, conteſtatur S. Paulinus, eo fragmento quod ex eius quodam natali S. Felicis, iniuria temporum deperdito, retulit Dungalus l. de imag. in hæc verba.

[Sydera ſi cælo, ſi poſſunt gramina terris
Defore, mella fauis, aqua fontibus, vberibus lac,

Hic

Hic poterunt linguis laudes ceſſare piorum,
In quibus & vita virtus, & gloria mortis,
Ipſe Deus; pro quo vitam voluere paciſci,
Et moriendo, piam ſancire fidem populorum.]

Vertit itaque Deus, opprobrium Eccleſiæ ex cæde ſuorum, & contemptum ex eorum itinere à nobis tanquam exterminio, vt Sapiens dixit, in ipſorum martyrum, & Eccleſiæ in qua certarunt, ornamentum. Quod opprobrium auferri à ſe, ſancta Christi ſponſa depoſcebat, verbis illis Pſalmi 118. *Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia martyria tua exquiſiui.* Ita enim legit, & in hunc ſenſum verba illa accipit, S. Auguſtinus conc. 9. in dictum pſalmum, addens ita planè factum eſſe, & exoraſſe Eccleſiam, quod orauerat. [Ecce martyrium Christi, & apud homines, & in hoc mundo, non ſolùm non eſt opprobrium, ſed magnum eſt ornamentum. Ecce non ſolùm in conſpectu Domini, verùm etiam in conſpectu hominum, iam pretioſa eſt mors ſanctorum eius. Ecce non ſolùm non contemnuntur, verùm etiam magnis honoribus præferuntur martyres eius. Ecce filius ille iunior qui pro porcis quos paſcebat; id eſt, pro immundis dæmonibus, quos colebat, particulam ſuam in pauciſſimis Chriſtianis præcedentem perſequebatur: iam nunc in tam multis & magnis populis gentium martyres, in quibus ingerebat opprobrium, religioſiſſimè prædicans, & maximis laudibus, quos contemnebat, exaltans, mortuus erat & reuixit; perierat & inuentus eſt. Hoc tam magno lucro correctionis, conuerſionis, & redemptionis inimicorum ſuorum, corpus Chriſti Deo dixit, aufer à me opprobrium & contemptum. Et quaſi quære-

« retur, de qua re opprobrium, de qua re contem-
« ptum, ſubiungit, quoniam martyria tua exquiſi-
« ui. Vbi eſt nunc illud opprobrium? Vbi eſt ille con-
« temptus? Abierunt atque tranſierunt: & quia in-
« uenti ſunt qui perierant, illa perierunt. Sed quan-
« do Eccleſia talia prædicabat & precabatur, illa pa-
« tiebatur.]

Ponderatio tantæ honorum humanorum vbertatis, & manuductio ad diuinos.

16. Hærendum hîc aliquantiſper, priuſquàm ab humanis ad diuinos martyrum honores fiat progreſſio. Monet namque Gregorius Nyſſenus orat. de S. Theodoro, eſſe quod iuuerit expendere, circa tot tantóſque hîc apud nos martyribus exhibitos honores. [Mihi (*inquit*) deinceps animum atten-
« dentes conſiderate, qui huius puri cultus miniſtri
« ac martyrum ſtudioſi eſtis, quanta res ſit iuſtus,
« quámque multas conſequatur remunerationes. De
« iis loquor remunerationibus quæ in mundo & apud
« nos præſtantur. Nam earum quæ viſum effugiunt
« magnificentiæ, nemo ſatis idoneus æſtimator eſt.)
« Et cognito pietatis fructu, imitamini conſilium, &
« aſpirate ad animum & voluntatem eorum qui ita
« præ cæteris honorantur, atque concupiſcite & af-
« fectate ea præmia quæ Chriſtus athletis pro merito
« cuiuſque diſtribuit. Atque in præſentia ſi placet, ceſ-
« ſante futurorum bonorum fructu, quem bona ſpes
« iuſtis in illud reiicit tẽpus quo rerum in vita noſtra
« actarum iudex aduenerit, præſentem Sanctorum
« ſtatum inſpiciamus, quàm præclarus magnificúſ-
« que ſit. Nam anima quidem ex quo ſublimis abiit,
in

in ſuo loco acquieſcit, & corpore ſoluta, cum ſui ſimilibus vnâ viuit. Corpus verò venerandum & immaculatum illius inſtrumentum quod vitiis & affectibus illius inhabitantis incorruptibilitatẽ non læſit, cum multo honore & cultu compoſitum atque ornatum, in auguſto ſacróque loco ſitum eſt: quod veluti res chara magníque æſtimatã atque recondita in tempus regenerationis reſeruatur, multis ſingularibus & eximiis rebus præditum propter quas ad alia corpora quæ communi ac vulgari more diſſoluta ſunt, ne comparandum quidem eſt, idque in ſimili materia naturæ. Nam cæteræ quidem reliquiæ, etiam abominabiles, pleríſque ſunt; ac nemo lubenter ſepulchrum præterit: aut ſi ex inopinato apertum offendit, deformitate nimirum earum rerum quæ inibi iacent, faciem operiens omni iniucunditate repletus, & humanæ naturæ conditioni grauiter ingemiſcens, prætercurrit. Quod ſi venerit ad aliquem locum, vbi memoria iuſti, ſanctæque reliquiæ ſunt; primùm quidem earum rerum magnificentia quas videt, oblectatur, dum ædem vt templum Dei, & magnitudine ſtructuræ, & adiecti ornatus decore ſplendidè elaboratum intuetur: Vbi & faber in animalium figuram lignum formauit, & latomus ad argenti læuitatem cruſtas lapideas expoliuit: induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes Tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatiſſimam conſummationem athletæ, certaminum præſidis Chriſti, humanæ formæ effigiem. Omnia nobis tanquam in libro quodam qui linguarum interpretationes contineat,

« coloribus artificioſè depingens, certamina atque « labores martyris nobis expreſſit, ac tanquam pra-« tum amœnum, & floridum, templum exornauit. « Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, « maximéque prodeſſe. Lapillorum item concinna-« tor, hiſtoriæ par opus, in pauimento quod pedi-« bus calcatur, effecit. His igitur arte laboratis operi-« bus quæ ſenſui expoſita ſunt, vbi oculos oblecta-« uit, cupit deinceps, etiam ipſi conditorio appro-« pinquare, ſanctificationem ac benedictionem, con-« trectationem eius eſſe credens. Quod ſi quis etiam « puluerem quo conditorium vbi martyris corpus « quieſcit, obſitum eſt, auferre permittat, pro mune-« re puluis accipitur, ac tanquam res magni pretij « condenda, terra colligitur. Nam ipſas attingere re-« liquias, ſi quando aliqua eiuſmodi proſpera fortu-« na contingat vt id facere liceat, quàm id ſit mul-« tum deſiderandum & optandum, ac ſummarum « precum donum, ſciunt experti, & eius deſiderij « compotes facti. Quaſi corpus enim per ſe viuens « & florens qui intuentur, amplectuntur. Oculis, ori, « auribus, omnibus ſenſuum inſtrumentis adhiben-« tes; Deinde officij & affectionis lachrymas marty-« ri, quaſi integer eſſet, & appareret ſuperfunden-« tes, vt pro ipſis deprecator intercedat ſupplices « preces offerunt; tanquam ſatellitem Dei orantes; « quaſi accipientem dona cum velit, inuocantes. Ex « his omnibus ô populo pie, diſcite, quod pretioſa « ac honorata coram Domino ſit mors ſanctorum « eius. Nam vnum quidem, & idem corpus omnium « hominum eſt, ex vna maſſa conflatum: Verùm id « quod ſimplici morte diſſolutum eſt, vt res quæli-« bet vilis, proiicitur. At quod martyrij affectione

gratio

ſum effectum eſt, ita eſt amabile, iucundum, & à multis deſideratum, & expetitum, vt ſuperior oratio demonſtrauit. Quocirca propter ea quæ apparent, iis quæ viſum effugiunt; propter experimentum earum rerum quæ in mundo viſuntur, futurarum rerum promiſſioni credamus. Nam multi qui ventrem, & vanam gloriam, & has mundanas paleas, omnibus rebus anteferunt, nihil putant eſſe futurum; ſed cum vitæ fine terminari omnia arbitrantur. Verùm qui ita ſentis, ex paruis magna diſce; ex vmbris principales formas; quales eæ ſint, intellige. Cui Regum talis honor habetur? Quis ex iis qui ſupra modum inter homines excellere viſi ſunt, tali memoria celebratur? Quis imperatorum qui vrbes munitas cœperunt, nationes innumeras ſubegerunt; adeò decantatus, & fama celebratus eſt?]

17. Non diſſimilem ab honoribus humanis queis Eccleſia martyres & ſuperſtites & conſummatos proſequitur ad diuinos manuductionem, lego apud Chryſoſtomum, ſic ratiocinantem, oratione in S. Iulianum in ipſo aditu, [ſi tales in terris honores martyribus deferuntur, poſtquam exceſſerunt ex hac vita, quales coronæ ſanctis [illegible]rum capitibus in cœlis nectuntur? Si tanta eſt ante reſurrectionem gloria, quantus poſt reſurrectionem erit ſplendor? ſi tanto eos conſerui cultu dig[illegible]antur, quanta eos Dominus beneuolentia complectetur? Si nos mali conſeruos, qui rectè ſe geſſerunt, ſic honoribus afficere nouimus ac ſuſpicere, propterea quod pro Chriſto decertarunt; quanto magis pater noſter cœleſtis, innumera bona dabit iis, qui pro ipſo labores exantlarunt? Eſt enim munificus, & benignus.

« Verùm non ob hoc ipſum modò, ingentes eos ho-
« nores manent, ſed quoniam debitor etiam eſt ipſo-
« rum. Pro nobis martyres mactati non ſunt, tamen in
« honorem illorum conuenimus. Quòd ſi nos, pro
« quibus mactati non ſunt, conuenimus, Chriſtus pro
« quo ſua capita deuouerunt, quid non præſtabit? Si
« quibus nihil debebat, tanta bona dedit, hos, quibus
« debitor eſt, quibus donis non remunerabitur? Nihil
« antea terrarum orbi debebat: omnes enim pecca-
« uerunt, ait Paulus, & egent gloria Dei; Imo verò
« pœnam ac ſupplicium debebat. Verumtamen cùm
« pœnam nobis ac ſupplicium deberet, vitam æter-
« nam largitus eſt. Si quibus igitur ſupplicium debe-
« bat, his regnum dedit; quibus vitam æternam debet,
« quid non dabit? Quibus non eos honoribus cumu-
« labit? Si pro illis, qui ipſum oderant, crucifixus eſt,
« & ſanguinem fudit; pro illis, qui ſanguinem pro e-
« ius confeſſione fuderunt, quid non perficiet? Si auer-
« ſantes ac reſilientes, ita dilexit; eos qui menſura
« ipſum maxima dilexerunt, (maiorem enim hac di-
« lectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat
« quis pro amicis ſuis,) quanta ſuſcipiet beneuolen-
« tia? Quibus officiis proſequetur?] Planè omnibus
« officiis omniqué honore proſecuturum Deum a-
« micos ſuos, extra dubium eſſe debet, ita vt nimis
« honorati videri queant, hoc eſt ſupra omnem men-
« ſuram honorati.

Honores SS. Martyribus à Deo exhibiti cum ſupereſſent.

18. Verum quia inter honores quos Deus ipſe ſuis pugilibus impendit, glorificantes ſe glorifi-

cans,

cans, aliqui eoſdem etiamnum ſuperſtites attingunt, de eis primùm pauca dicamus. Colloco in hoc ordine plurima & eximia quæ in ſanctorum martyrum honorem per tempus certaminis eorum, ſunt patrata diuinitùs. Præſertim quod in reſtituto, vel potiùs continuato truncatorum membrorum vſu, pleriſque ſanctis martyribus accidiſſe proditum eſt. Quale illud planè ſtupendum in S.Romano, qui euulſa de faucibus lingua, martyrium,(vt Eucherius ſcitè dixit,poſt Chryſoſtomum homil.2. de S.Romano,) ante martyrem paſſa, expeditè nihilominus loquebatur. Quod ad maximum ſancti martyris honorem pertinuit, vt propterea exclamet idem Eucherius homilia de eo, compellans Deum. [Quàm tibi tardum eſt benigna diuinitas, ſanctos tuos in poſterum glorificari? Illuſtre item, ſed olim propè quotidianum, & in SS.martyrum actis vbiuis obuium, quod de ſopita, & quaſi marcore damnata, ignium vi, de cicuratis feris, & retuſa pœnarum atrociſſimarum violentia, infinities legimus. Hoc quomodò ad honorem martyrum pertinuerit, optimè expoſuit Eucherius homilia de S. Blandina verbis illis. [Diuerſa multimodæ crudelitatis ingenia, nouóſque cruciatus, in ſemet Sanctorum pectora inuicta conſumunt, intolerandum pondus malorum contemnendo vincunt, & ſentiendo obtinent, vt ſentire non poſſint. Subiiciuntur ignes, ſed ad hoc tantum valere cognoſcuntur, vt conſecrent. Inſtigantur beſtiæ, ſed ad pr[illegible]m ſuam feritas impaſta miratur. Dilacerata [illegible] tormentorum genere membra, ſanctificant flammæ; dum paſcere neſciunt; honorant beſtiæ dum ſæuire non no-

« runt. Vbi ſunt qui dicunt, venerationem ſacris « martyrum deferendam non eſſe corporibus? Ecce « cruentæ feritatis immanitas, quæ religionis non « recipit ſenſum, defert venerationis obſequium: & « quæ diſcretionem rationis ignara non recipit, ad « malorum tamen damnationem quid honoris San- « ctis debeatur agnoſcit: ac ſic ſupplicij miniſterium, « vel inſtrumentum, miro modo meritorum effici- « tur teſtimonium; & dum pietati reuerentiam præ- « ſtat, profert tacitam de impietate ſententiam.]

Beneficiorum verò, per eoſdem SS. Martyres, etiam num ſuperſtites, ac ſuper certamen ipſum, mortalibus diuinitus impenſorum, quod eſt diuini in eos honoris ſplendidiſſimum argumentum; vulgatiſſima ſunt exempla, & cuiuis peruia, vt nihil ſit neceſſe ſingillatim aliqua proferre. Quoties enim legimus curatos eorum attactu ægros, pulſos dæmones, luminis vſum reſtitutum, & id genus alia ſupra naturam beneficia, per Sanctos Chriſti pugiles inter pugnandum collata mortalibus; quodque ſtuporem meritò inferat, iis ipſis per quos cruciabantur, vel neci dabantur, eorúmue coniunctiſſimis? Quàm multi carnificum atque tortorum, quod inter maiora & potiora martyrum miracula meritò retulerim, victi tantæ patientiæ exemplo, & illucente interiùs ad tam luculentæ virtutis ſplendorem Spiritu ſancto, lumen fidei perceperunt? Id quod meritò S. Ephrem in poſteriore Sanctorum martyrum laudatione, recenſet inter mirabilia per martyres edita. Illuſtre eſt exemplum Baſilidis apud Euſebium l. 6. hiſtor. cap. 4. An non etiam multi Sacerdotes, æditui-que profanorum templorum, carnificibus ipſis

immaniores, & iudicum ad ſæuitiam in martyres expromendam incentores, mutata mente iis quos inſecuti fuerant martyribus ſunt aggregati, tandem cæſi ipſi quoque, propter fidem quam tantoperè inuiſam & exoſam habuerant? quod Theodoretus extremo lib. 8. contra Græcos, meritò ſuſpicit, & inſinuauit quoque S. Aug. ſerm. 63. de diuerſ. c. 1. conſtátque id in magnum martyrum honorem cedere; quorum patientia & abiectio, eo diuinitus munere donata eſt, vt ab impietate indomabiles, eam ipſi potiùs, in veram ſolidámque pietatem commutarent.

Item honores iiſdem hîc exhibiti à Deo, iam beatis.

19. Multa verò & magna beneficia mortalibus impenſa, quibus Deus Sanctorum martyrum iam beatorum honorem promouet, quis ſatis explicet? Tametſi magna illa eſt, & quotidiana laudum beatis martyribus delatarum materia. [Non " per annum ſemel (ait Theodoretus lib. 8. contra Græcos ſub finem, deſcribens frequentationem templorum in quibus conditi SS. Martyres) aut bis aut quinquies aduentamus, ſed in eis ſæpenumero dies feſtos peragimus, ſæpè diebus ſingulis eorum martyrum Domino laudes hymnóſque cantamus: quíque homines proſpera ſunt valetudine, conſeruari eam ſibi à martyribus petunt; qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri & mulieres, dari ſibi filios petunt; qui verò parentes ſunt, integra ſibi & propria cuſtodiri quæ conſecuti ſunt, dona.

Item

« Item qui peregrè aliquo proficiſcuntur, petunt « martyres ſibi comites eſſe in via, vel potiùs itineris « duces; qui verò iam ſoſpites redierunt, gratias « agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qui « ſe ad Deos accedere arbitrentur, ſed qui orent Dei « martyres, tanquam diuinos homines, interceſſo- « réſque ſibi eos apud Deum aduocent ac precentur. « Piè verò fidelitérque precatos, ea maximè conſe- « qui quæ deſiderant, teſtantur illa quæ votorum « rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ « ſanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij « verò pedum, alij porrò manuum ſimulacra ſuſpen- « dunt, ex argento auróue confecta. Gratiſſimè nam- « que accipit eorum Dominus, qualiacúnque ſunt « dona; nec exigua, nec vilia dedignatur: quippe « qui ea proferentis facultate metitur. Hæc itaque « omnium ſpectaculo exporrecta, teſtantur morbo- « rum depulſionem, cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, « à ſanitatem conſequutis allata, hæc inquam, ſe- « pultorum ibi martyrum, quæ ſit virtus, oſten- « dunt.] Ad hæc martyrum beneficia prouocat Iſido- dorus Peluſiota l. 1. epiſt. 55. refellens Hieracem quendam venerationi ſacrarum exuuiarum infe- ſtum, & martyricorum corporum cineres, in ve- neratione eſſe apud Chriſtianos, moleſtè feren- tem. Verùm huiuſmodi argumentum gloriæ SS. Martyrum, adeò immenſa ſylua eſt, vt præſtet his generatim prolatis, nihil præterea ſigillatim attin- gere. Quem verò multa ſingularia legere cupidi- tas inceſſerit, ſpecimen petat ex Gregorij Turo- nenſis opere de gloria martyrum.

20. E contra, quæ æquè ſanctorum martyrum curatis diuinitùs honoribus atteſtatur, inimici & vltoris

vltoris recruciatio, & prompta plerunque fuit, & adeò grauis, vt quo apud Deum loco martyres eſſent, neminem lateret. Tolerat quidem plerunque Deus vaſa iræ in multa patientia, & iuſtorum inſecutores, non modò ſeruat incolumes, ſed diuitiis fartos ſeculíque honoribus in dies magis ac magis ſaginatos, æternæ diei plectendos dimittit. Tamen interdum quoque, robuſtam manum ſuam ad contundendam contumaciam extendit; & in ſuis iniuriis placidiſſimus, exardeſcit in vlciſcendam ſuorum iniuriam. [O Chriſti ineffabilis " bonitas (exclamat Paulinus epiſt.ad Victricium 2.) " quantum in ſuos oſtendit affectum? Iniuriam con- " feſſoris ſui non tulit impunitam, qui ſuis crucifixo- " ribus rogauit ignoſci: contumeliam martyris ſtatim " vltus eſt; qui paſſionem ſuam noluit vindicari.] " Tertullianus lib.ad Scapul.à c.3.multa in eam ſententiam exempla profert. Quædam item S. Chryſoſtomus l.contra Gentiles de S.Babylæ geſtis, cum docet, qua ex cauſa Iulianus Apoſtata, temerando ſancti martyris Babylæ ſepulcro abſtinuerit, veritus ne ea ſibi ſancti martyris interpellatio, malè verteret. Plenè in eo argumento verſatur Michael Medina l.2.de recta fide c.11.

Eximium & illud à Deo in SS. Martyres honoris genus, quod S.Auguſtinus ſerm.de S.Vincentio, qui eſt 9.inter 17.additos, appellat magnum teſtimonium datum à Deo teſtibus ſuis, cura nimirum ſacrorum cadauerum, multis ſæpè ſupra naturam circa ea patratis, vt circa exanime S.Vincentij corpus deſcribit Prudentius hymno 5.periſteph.& attigit ibidem Auguſtinus, qui concludit. [Verè pre- " tioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius: "

« quando nec terra carnis, vita deſerente contemni-
« tur; & inuiſibili anima, de domo viſibili diſceden-
« te, habitaculum ſerui, cura Domini cuſtoditur,
« & in gloriam Domini à conſeruis fidelibus honora-
« tur. Quid enim agit Deus, mira opera faciendo,
« circa ſanctorum corpora defunctorum niſi teſtimo-
« nium perhibet, ſibi non perire quod moritur, &
« vt hinc intelligatur in quali honore ſecum habeat
« animas occiſorum, quando caro exanimis, tanto
« affectu diuinitatis coronatur. Sicut enim de mem-
« bris Eccleſiæ loquens Apoſtolus, ſimilitudinem
« adhibuit de membris corporis noſtri, quoniam
« quæ inhoneſta ſunt noſtra, his abundantiorem ho-
« norem circumponimus: ita prouidentia creatoris,
« cadaueribus martyrum tam præclara miraculorum
« teſtimonia præſtando, abundantiorem honorem
« exanguibus reliquiis hominum circumponit: &
« quod vita emigrante tanquam deforme iam rema-
« net, ibi euidentiùs, præſens vitæ dator apparet.]

Martyrum in cælo honores, & confeſſio coram Patre.

21. Sed hæc omnia diuinorum erga ſanctos martyres honorum argumenta, quamuis magnifica, atque illuſtria, poſſint tamen exilia & puſilla videri, præ iis honoribus quos ſancti martyres à Deo in cœlo coram cœtu vniuerſo ſanctorum Angelorum atque hominum, ipſo Deo arbitro & muneratore, laudúmque præcone conſequentur, per vniuerſam quanta quanta erit æternitatem. Æternis tabulis conſignata, pugilum ſuorum vel minutiſſima quæque in ampliſſimo & illuſtriſſimo

cœtu

cœtu electorum omnium, repræſentabit. Habent quidem rectores ſeculi, capita populorum, digeſtores annalium & voluminum de rebus ſuis, plerunque multis mendaciis fartorum:

[Illa ſed ætas conficit diutina
Fuligo fuſcat, puluis obducit ſitu,
Carpit ſenectus, aut ruinis obruit:
Inſcripta Chriſto pagina, immortalis eſt,
Nec obſoleſcit vllus in cœlis apex.
Excepit aſtans Angelus coram Deo,
Et quæ locutus martyr, & quæ pertulit:
Nec verba ſolùm diſſerentis condidit,
Sed ipſa pingens vulnera, expreſſit ſtylo
Laterum, genarum, pectoriſque & faucium.
Omnis notata eſt ſanguinis dimenſio,
Vt quamque plagam ſulcus exarauerit,
Altam, patentem, proximam, longam, breuem:
Quæ vis doloris, quiue ſegmenti modus;
Guttam cruoris ille nullam perdidit.
Hic in regeſtis liber eſt cœleſtibus,
Monumenta ſeruans laudis indelebilis;
Relegendus olim ſempiterno iudici;
Libramine æquo, qui malorum pondera,
Et præmiorum comparabit copias.

Prudentius eſt quē audiſti, hymno de S. Romano, perennitatem tabularum queis Deus martyrum facta conſignat, ſcitè deſcribens. Sanctos cœlites vniuerſos, æternum paſcet hæc contemplatio quorumuis operum à SS. Martyribus pro Chriſti nomine editorum. Ideóque S. Auguſtinus in Pſalm. 78. SS. Martyres, ait, turbine perſecutionis velut pomorum cuſtodiam collectis fructibus diſiectos atque euerſos, [ad cœleſtem menſam, tanquam de

« horto dominico, multa & ſuauiſſima poma tran-
« ſiſſe.] Nec imminuit, ſed auxit martyrum decus S. Gregorius in c. 4. Cantic. cum ſanctos martyres, malis punicis longè pretioſioribus; reliquos beatos pomis vulgaribus collatos, in ſacris canticis obſeruauit.

Ad tam publicum, tam ſublime, tam immenſum, æternæ gloriæ pondus, accedet præconium martyris: non à cœlite quopiam, homine puro vel Angelo, ſed ipſius Chriſti ore celebratum; Sponſionem enim Chriſti tenemus Matth. 10. ver-
« bis non ambiguis conceptam. [Qui me confeſſus
« fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum
« coram Patre meo]. Quod expendendum eo ipſo modo eſt, quo S. Chryſoſtomus orat. 4. earum quas Cromerus edidit, vt parte 1. c. 2. retuli, productum à Deo pium hominem, in medium Angelorum hominúmque theatrum inducit, collaudante Deo & atteſtante; hic mei cauſa, hoc & illud egit; talia toties, tandiúque ſuſtinuit. Idem ergo in re præſenti ſtatuendum eſt. Sicut è contrario molles illos qui confeſſionem Chriſti nominis erubuerint, immenſus obruet pudor, cum negabuntur à Chriſto in cœtu Sanctorum omnium, & coram Patre. Cum inquam diſciſſo aulæo, quod nunc æternitati oppaſſum eſſe ait in Apolog. Tertullianus, & reuelatis omnibus in hac caligine obductis, perſpicua fiet ignauia eius, qui tantulam ærumnoſiſſimæ vitæ vſuram, prǽpoſuerit generoſæ confeſſioni Chriſtiani nominis, negato, vel palam non confeſſo eius nomine in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra. Quam ignominiæ molem, elumbes Chriſtiani nominis profeſſores oppreſſuram,

ram, veritus Victorinus, magni nominis Romæ Orator, referente D.Auguſtino 8.confeſſ.c.2.cum abiecta profanitate, Chriſtianis initiandus eſſet myſteriis, facta poteſtate à presbyteris ſecretiùs reddendi ex formula profeſſionem fidei, depuduit vanitati; timens negari à Chriſto coram Angelis ſanctis, ſi eum timeret coram hominibus confiteri. Publicè itaque & in totius Eccleſiæ cœtu, calcata inſanorum Ethnicorum oblocutione, ſalutis verba reddere voluit. In ea impiorum confuſione ſanè importabili, laus erit martyri à Deo. [Magnus laudator, & vehementer ambienda laudatio,] ait S.Bernardus, ſer.5.in feſto omnium SS. Vnde enim ſolidior ac certior, quàm à tali præcone expectari laus poteſt.

Eorundem præconia à Chriſto, in extremo iudicio.

22. Hæc Sanctorum martyrum, in cœlo coram Patre & Angelis Dei per Chriſtum confeſſio, quàm ſit eis honorifica, nulla oratio ſatis explicet. Eius verò quædam veluti extenſio erit, quæ fiet in cœtu beatorum ſimul ac damnatorum omnium, per tempus iudicij extremi: vbi Angelis ſimul & hominibus coëuntibus, in immenſa conſternatione impiorum, ſtabunt martyres in magna conſtantia, aduerſos eos qui ſe anguſtiauerunt; nec aliud reuera inferendis atrociſſimis cruciatibus perfecerunt, quàm quod abrumpendo vitæ filum, abſtulerunt labores eorum, amandantes illos in æternam requiem, & ſabathum ex ſabatho, nullo vnquam labore temerandum. In eo extremo, tam vniuer-

ſali, & ſupra omnes qui vnquam fuerint celeberrimo conſeſſu, ij honores martyribus à Chriſto rependentur, quibus explicandis impar ſit humana « quæcunque facundia. [Beatiſſimi illi Chriſti mar- « tyres, (ait S. Ephrem in poſteriore SS. Martyrum « laudatione,) iuxta ſolium gloriæ, magna cum glo- « ria atque fiducia aſtantes, oſtendent vulnerum ſuo- « rum atrociúmque c[ru]ciatuum ac verberum cicatri- « ces, in ſuis corpor[ib]us relucentes, ac Solis ſplen- « dorem ſua claritat[e ſ]uperantes.] Nec ipſi duntaxat oſtendent ea paſſionum & eximiæ fortitudinis monimenta, ſed & Chriſtus Dominus ea obiiciet; cum Tyrannis qui in ſanctos ſæuierunt, vt videant in quos confixerunt : Tum mollibus & eneruibus Chriſtianis, qui abſque vlla tormentorum atrocitate, quod rectè ſupra expendit S. Ephrem, tam profundo deſidiæ ſomno ſunt demerſi : & quam martyres inter rotas, & equuleos, ignes, ac feras, tenuere conſtantiam ac dilectionem in Deum, ipſi in requie & in ſumma ſecuritate abiecerunt. Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius; ſed martyribus maximè, vt faciant increpationes in populis, & iudicium in æterno tribunali ac diuino conſiſtorio ante tempora ſecularia, conſcriptum. Sicut enim in humanis certaminibus, degeneres animos fortium magnanimitas increpat, nihilque generoſitati ſtrenuorum militum honorificentius eſt, quàm componi cum pauidis, & tranſacto bello iis qui præ metu dilapſi ſunt oſtentari, plagatum quidem cicatricibus deformatos, ſed tamen gloria proditæ magnanimitatis circumfluentes, quam vel ſilentibus omnibus, veſtigia plagarum vberrimam & inſignem diffundunt : (vulnera enim in bello excepta,

pta,

pta, vt eſt apud Caſſio[illegible]orum l. 8. epiſtol. 10. ſunt *præconium ſine aſſert[illegible] & propria lingua virtutis:*) ita tranſactis ſanctorum prœliis, quæ per vitam hanc vniuerſam grauia illis plurimáque fuere, ſed præſertim martyribus, glorioſiſſimum illis erit, non torpidæ virtutis indicia, & egregia fortitudinis monimenta in corporibus ſuis inuſta, iámque ſupra pyropos, & quicquid in terris ſplendet, flammantia, deſidibus obiicere, vt confundantur & pereant.

An iudicabunt.

23. Sed quod iudicium conſcriptum, faciendum in populis per SS. Martyres aiebam, diſcuſſione aliqua indiget. Quædam enim ſcripturæ loca apertè ferre videntur, ſanctos quidem omnes aliquatenus, ſed maximè & præcipuo quodam iure martyres, iudicium in mundi meta de impiis laturos: idque diſertè martyribus tribuit Tertullianus l. ad martyres cap. 2. dicens eos de ſuis iudicibus iudicaturos. Tribuit etiam S. Eulogius Alexandrinus l. 5. contra Nouatianos apud Photium Cod. 280. inſértque ex illis Apoſtoli verbis 1. Cor. 6. *An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt?* Addi poteſt illud ex cap. 3. Sap. de iuſtis, quorum exitus æſtimata eſt afflictio, & quod à nobis eſt iter, exterminium; *In tempore, erit reſpectus illorum*; tum ſcilicet cum iudex iuſtitias iudicans, tempus acceperit: Tunc inquam *fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent, iudicabunt nationes.* Iuſtos præcipuo iure dici eo capite martyres, annotatum iam ſupra eſt parte 2. cap. 6. n. 51. Iudica-

bunt ergo martyres, vt quorum cauſa tanquam impiorum iudicata eſt, cauſam iudiciúmque recipiant. Quamuis autem hæc non improbabiliter dicta videantur, nihilominus Photius, dictum illud S. Eulogij referens, illud improbat: negátque ſolidè affirmari, martyres cum Chriſto iudices conſtituendos: & ad locum Apoſtoli à S. Eulogio prolatum, reſpondet, Apoſtolum, non collocare ſanctos cum Chriſto iudices, ſed oſtendere futuram mundi redargutionem, & condemnationem eorum, qui ad vitam ipſorum, non exegerint ſuam: ſicut Niniuitæ, & Regina Auſtri, dicuntur iudicium laturi de Iudæis Chriſto non credentibus. Quo ſpectat diſtinctio multiplicis iudicij quam adhibet Richardus in 4. diſt. 47. artic. 2. q. 7. cui adhæret Antonius Bitontinus quæſt. 32. ad epiſtolas de ſanctis: nempe iudicij lati poteſtate ordinaria, vel delegata, vel aſſeſſoria & approbante, vel per comparationem. Ordinariam iudicandi poteſtatem, tribuit Richardus toti auguſtiſſimæ Trinitati, delegatam Chriſto, cui poteſtatem dedit Pater iudicium facere, quia filius hominis eſt: duæ poſtremæ iudicandi rationes, iuxta Richardum, ſanctis competunt: Nam & comparatione ad quoſuis ſanctos facta, iudicabuntur impij, omníſque eorum excuſatio præcludetur tanquam vana & caſſa: quippe qui per meram culpam ſuam inde exciderint, quo alij eiuſdem maſſæ pertigerunt: Et præterea approbabunt ſancti iudicium à Chriſto latum, erúntque eius quaſi aſſeſſores, ſuffragatione ſua ratam habentes, pronunciatam à iuſtiſſimo & incorruptiſſimo iudice ſententiam, adſcribentes è veteri formula, *bonum factum.* Vnam

illam

illam quæ poſtremo loco propoſita eſt, iudicandi rationem, SS. Martyribus tribuit Photius, non obſcurè ſecutus S. Chryſoſtomum homil. 65. in Matth. vbi negat, iudicij ſolium vlli præterquam Chriſto competiturum: tantúmque aliis tribuit iudicium per comparationem, quale Chriſtus, Reginæ Auſtri, & Niniuitis tribuit in Iudæos incredulos: quo ipſo exemplo, iudiciariam martyrum functionem, exponebat Photius.

Verùm negari nulla ratione poteſt, quin Chriſtus plus aliquid tribuerit quibuſdam ſanctis, quàm eis concedatur à Photio. Tanquam ſpeciale namque præmium, promiſit Chriſtus relinquentibus omnia ſua, & Apoſtolicam vitam perfecta imitatione exprimentibus, fore vt ſedeant & ipſi in iudicio, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Quod omnino plus fert, quàm iudicium per comparationem. Eo enim modo, etiam iniqui qui leuiora peccarunt, damnabunt iniquiores, iuxta illud, *ipſi iudices veſtri erunt:* quod de exorciſtis Iudæis, qui Actor. 19. damnantur impietatis, accipiunt plerique recentiores Matth. 12. & Lucæ 11. Quod ſi profeſſoribus perfectis vitæ Euangelicæ ea in iudicio conſeſſio cum Chriſto tribuitur, vt fert illud Chriſti promiſſum, facilè adducor vt non modò D. Eulogio ſuperiùs adducto, ſed etiam D. Auguſtino aſſentiar, qui epiſtol 89. q. 4. pulcherrimè monſtrat SS. martyres, & opes, & vitam, & parentes ſuos abiecisse, & omnibus quæ poſſidebant renunciaſſe, vt poſſent Chriſti eſſe diſcipuli. Subductis enim benè rationibus; cum vidiſſent, niſi terrena deſpicerent, fore vt Chriſtum amitterent, quod S. Cyprianus latè demonſtrat lib. de lapſis à n. 44.

apprehenderunt potiùs turrim fortitudinis à facie inimici: quia cum eam in ſua ædificarent fide, computauerunt ſumptus quibus perfici poſſet, id eſt eo animo acceſſerunt ad fidem, & in ea perſtare fixum habuerunt, vt parati eſſent omnium potius iacturam quàm fidei facere. Atque ita cum rerum ſuarum venditione, pleróſque eorum piguiſſet ante perfici, Chriſti imitata paſſione ſunt repentè perfecti. Dedi ferè Auguſtini eo loco verba: qui conſequenter ad eam ſublimitatem Euangelicæ perfectionis in martyribus conſpicuam, addit, eos in iudicio futuros cum Chriſto iudices: Nempe non iuriſdictionis participatione, quod à D. Chryſoſtomo rectè negabatur, quia Chriſti iura minueret; ſed honoraria conſeſſione, & ſuffragatione, qua ferendam autoritate Chriſti ſententiam vna cum Chriſto concipient vt aſſeſſores, ad ſupremi Iudicis veluti conſilium in cauſa diſceptanda adhibiti, & vt paſſim loquimur, voce conſultiua, potientes & iudicis dignatione aſſumpti, vt vnâ ferant ſententiam. Aut ſi quæ eſt alia probabilior via exponendi iudiciariam functionem, quam in Apoſtolis, & Apoſtolicis viris omnes agnoſcunt. De qua re plenè Suares t. 2. 3. p. d. 56. ſ. 4. & Thyræus l. de apparit. Chriſti ad iudici. c. 13. à num. 49. & communiter Scholaſtici in 4. diſt. 47.

Nouus error, de facultate martyrum in extremo iudicio, ad commutandos hœdos in oues.

24. Hi ſunt SS. Martyrum in iudicio honores, ſanè ampliſſimi. Incidi verò proximè in ſcriptorem nuperum, qui l. 45. aduerſar. c. 9. alios præterea

SS.

SS. Martyrum in iudicio honores profert, quos diſcutere videtur operæpretium. Ait enim, iuxta Patres eam fore apud Deum SS. martyrum in iudicio gloriam, vt damnatorum numero eximere quos voluerint, penes ipſos ſit futurum. Quam eſſe ait antiquiſſimam traditionem, pro qua profert inprimis Prudentium, tum Henricum Altiſſiodorenſem ac Venantium Fortunatum, tandémque S. Cyprianum. Locus Prudentij eſt eiuſmodi, in fine paſſionis S. Fructuoſi & ſociorum, hymno 6. περὶ στεφάνων.

[Olim tempus erit ruente mundo
Cum te Tarraco, Fructuoſus acri
Soluet ſupplicio, tegens ab igni.
Fors dignabitur, & meis medelam
Tormentis dare.]

Nec diſſimiliter hymno 9. quo paſſio S. Romani deſcribitur.

[Vellem ſiniſter inter hædorum greges
Vt ſum futurus, eminùs dignoſcerer:
Atque hoc precante, diceret Rex optimus,
Romanus orat; transfer hunc hœdum mihi:
Sit dexter agnus, induatur vellere.]

Henricus l. 6. de vita B. Germani, Prudentium expreſſiſſe videri poſſit ſic enim canit.

[Heu quis me inſtanti tum defenſabit ab ira.
Subnixus trabea, præſul Germane perenni,
Tunc aderis inter proceres, vt ſpero, ſupernos,
Ergo tui, tum Sancte Pater miſereſcito vatis.
Cúmque olidis iunctum diſpexeris eminus hœdis,
(Id mihi nam ſpondent ſcelerum monimenta meorum,)
Tunc Regem precibus pulſare memento benignis.

Flectetur certè: dicet flexúſque miniſtrò,
Germanus poſcit:non fas ſpreuiſſe precantem,
Hunc hædum, niueos quàm primum transfer in agnos,
Agnus eat dexter,decoretur vellere pulchro.]

Venantius verò Fortunatus lib. 4. de vita S. Martini,ita eum compellat.

[Iudex cum venerit orbis,
Tu quoque iuſſus eris dextro reſidere ſedili,
Arbiter in populis,populi pauor ante tribunal.
Qualiter effugiam flamma ſtridente caminum?
Tunc precor,vt fragilem ſacro velamine celes:
Et tua me trepidum defendat ab igne lucerna,
Nam ſcio poſſe reum quemvis tibi cedere Chriſtum,
Quem ſociat proprio manſura in ſecula regno.]

Tandem S. Cypriani locus tam luculentus videtur, vt nihil videatur poſſe proferri luculentius. ſic « enim habet libro de lapſis. [Credimus quidem poſ- « ſe apud iudicem plurimùm,martyrum merita, & « opera iuſtorum. Sed cum iudicij dies venerit; cum « poſt occaſum ſeculi huius & mundi, ante tribunal « Chriſti,populus eius aſtiterit.]Dedi fideliter ea quibus autor prædictus contineri diſertè putat traditionem illam de martyrum autoritate apud Deum extremi iudicij tempore. Quamuis ipſe quidem non obſcurè indicat & traditionem illam & fiduciam in martyrum meritis, inanem eſſe ac reiiciendam; eo quod proſtet diuinum oraculum contrarium,quo,maledictus denunciatur homo, qui confidit in homine.

Conuellitur.

25. Cœterum Catholica & indubitata doctrina, longè

longè aliud fert,quàm quod hic autor comminiſcitur. Certiſſimum quippe eſt, in quamcunque partem arbor in fine vitæ ceciderit, ibi perpetuò fore; Vt velut monſtroſum errorem in Origene damnarit Eccleſia,quod æſtimarit abyſſum quaſi ſeneſcentem; ideſt, vt S. Gregorius interpretatur lib. 34. moral. c. 11. aliàs 12. quod cenſuerit poſſe finiri damnatorum ſupplicia. At hoc ipſum dicit, qui hominem damnatum in iudicio particulari, & ad ſiniſtram idcirco locatum, ait poſſe per martyrum merita,indui vellere agnino, depoſita hœdina ſcabritie & oliditate.Videndi qui de æternitate ſupplicij damnatorum plenè diſputant, Leſſius lib. 13.de diu. perfect.c. 25. & Salas 1.2. tract. 13. d. 15.ſ.3. Itaque extra omnem controuerſiam eſſe debet, quod nemo per damnationem in iudicio particulari factam addictus inferno,& ad ſiniſtram locandus in die iudicij vniuerſalis,inde vnquam ſit eripiendus,aut vllius martyris alteriúſue ſancti precibus transmutandus ad dexteram.Sicut enim de fide eſt, noſtra ſuffragia non poſſe prodeſſe damnatis ad pœnę ęternę extinctionem,vt Suares rectè pronunciat tomo 4. 3.p.d.48.ſ.4. num.11.ita idem de ſanctorum ſuffragiis eſt affirmandum: cum hoc tantùm diſcrimine, quod nos hìc donec finiantur lux & tenebræ, quia plerunque ignoramus ſtatum defunctorum damnatorum,oramus pro eis ſine culpa, cum nobis non conſtat,quod in malo ſtatu exceſſerint è vita.At SS.Martyres aliíque beati, nunquam preces ſuas & merita interponunt, pro iis quos vident irreuocabiliter cecidiſſe, & æternis ſuppliciis iuſta Dei ſententia quam perſpiciunt, fuiſſe addictos. Vnde neque ante iudicium vniuerſale poſt

tranſactum particulare,orant pro illis: neque tempore iudicij extremi, orabunt; quaſcunque preces ad eos ditexerint damnati illi, dum adhuc in viuis eſſent, expoſcentes, vt in die iudicij illis adſint, eiſque ad dexteram collocandis, patrocinentur. Eſtque id apud Catholicos Doctores, & omnes retrò Patres,adeò ratum,vt inſulsè admodum, contraria aſſertio,Patrum traditio nominetur.

26. Nec eſt difficile Patres ab aduerſario allegatos exponere. Eodem quippe modo accipiendi ſunt, quo accipitur in formulis litanenticis illud Eccleſię, *in die iudicij, libera nos Domine.* Et illud Miſſæ pro defunctis, *libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda.* Ac rurſus illud ex eodem Eccleſiaſtico pro mortuis officio. *Abſolue domine animas omnium fidelium defunctorum, de pœnis inferni, & de profundo lacu:libera eas de ore ore leonis, ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum.* Senſus autem petitæ liberationis eſt, vt placeat Deo nobis gratiam concedere, ſic exigendi vitam præſentem, vt in die iudicij mereamur eſſe ex numero eorum, qui ab extrema & æterna clade liberi euadent. Non quod tunc facienda ſit liberatio; vel quod preces alicuius tunc interpoſitæ, poſſint ad eam quicquam conferre: ſed quod per publicam, & omnibus mortalibus manifeſtatam ſententiam, firmabitur liberatio aut damnatio, præmiſſa in particulari iudicio; & facta conſentaneè ad vitam piè vel impiè tranſactam:pro cuius proinde bono fine,oratur, cum petitur liberatio in die Iudicij. Eodémque modo,ſenſus alterius petitionis eſt, rogare Deum ne animæ cadant in obſcurum: memorando,& veluti præſentem repræſentando,diem obitus, in quo

anima

anima adhuc capax eſt iuuari noſtris ſuffragiis, & prohiberi ne cadat in obſcurum. Hæc enim petitio, relata ad tempus quo anima nondum è corpore migrauit, eodem planè recidit, quo prior; nec aliud fert, quàm poſtulationem boni ſtatus in anima migrante à corpore; vt ſit locus decreto diuino, de bono animæ ſtatu finali, remunerando per gloriæ repenſionem: eiúſque decreti executionem, & defricationem fuliginis cuiuſcunque à peccatis reſiduæ, gloriam remorantis, depoſcit Eccleſia per eas preces: vt Valentia rectè expoſuit tomo 4. diſp. 11. q. 1. p. 3. in calce aſſertionis ſecundæ. & t. 3. diſp. 6. q. 2. p. 8. *in fine*. Videſis præterea Medinam C. de orat. q. 6. & Bellarm. 2. de purgat. c. 18. Quanquam quod durum videri poteſt in ea petitione Eccleſiæ, quod ſcilicet ſpectare aliquatenus videatur rem iam factam, non habet locum in Pattum petitione quam expendimus, quæ diſertè tantùm fert id quod per eam Eccleſiæ petitionem ſecundam, & expreſſius per priorem poſtulari diximus. Nempe vt SS. Martyres priuſquam hinc abeamus dignentur nos tales precibus ſuis reddere, quibus Deus miſereri in æternum poſſit: quod eſt locum nobis dextrum impetrare in die iudicij, eſſeque eo modo accipiendam eam Patrum petitionem, nec detorquendam eſſe ad eum falſum ſenſum, quem vocum cortex vtcumque ſonat, dubitare non licet. Omnibus enim Chriſtianis infixa eſt, ſemperque fuit ea perſuaſio, non fore vltra locum remiſſioni, atque adeò neque cuiuſquam precibus, ex quo particulare iudicium, animam æterno ſupplicio addicens, interuenerit.

Nolo extra locum excurrere, in ea quæ aduerſarius addebat, de hac controuerſia per illud ſcripturæ

oracu

oraculum decidenda, *maledictus homo qui confidit in homine*. Subolet enim hæc additio, Lutheri fermentum, & Catholicam ſanctorum communionem impetere videtur. Æquè peruertit eodem capite aduerſarius, alium S. Cypriani locum ex eodem libro de lapſis, quod dicit Sanctus Cyprianus malè communicantes corpori & ſanguini Chriſti, plus ore atque manibus in Dominum delinquere quam cum Dominum negauerunt. Quod enim nihil manibus cum Euchariſtia eſſe dicat, edicit legendum. *plus modò in Dominum ore delinquunt, quàm cum manibus Dominum negauerunt*; nempe iniecto in arulam thure dæmoniis. Sed hæc quoque eſt manifeſta peruerſio loci S. Cypriani qui communicantes in malo ſtatu, ait manibus in Chriſti corpus delinquere, alludens ad vſum illius æui quo viris Euchariſtia in cauum dextræ ſupra ſiniſtram in crucis ſpeciem compoſitæ immittebatur; vt ex Cyrillo Hieroſolymitano aliiſque Patribus docet Durantius l. 1. de ritibus c. 16. n. 10. & lib. 2. c. 15. n. 17. & 18. mulieribus autem non intra manum nudam, ſed linteo quod Dominicale vocabant obuolutam. Quæ obiter attingo vt appareat quanti eſſe debeat iudicium aduerſarij de mente S. Cypriani in eo loco de quo ad præſens inſtitutum egimus: cum in hoc alio eiuſdem S. Patris loco quem continenter examinat idem aduerſarius, tam apertè ſit hallucinatus, & clarè Cyprianum peruerterit.

Ἀπόδοσις, & capitis ac operis clauſula.

27. De diuinis & humanis honoribus, quos fidei martyribus, terra cœlóque rependi, diuinæ

largi

largitatis ac iuſtitiæ ratio tulit, non plura hoc loco. Nam quod præterea, martyris imitationem, inter ſummos honores quos ei poſſimus impendere, numerat S. Chryſoſtomus in S. Iuliani encomio, & Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſt. 89. quamquam indirectè & conſequenter eſt veriſſimum, tamen directè ac per ſe primò, aliud eſt imitatio, ab honoris exhibitione. Quod autem tot tantóſque honores martyrum fidei, martyribus quoque charitatis vendicabam, nulla martyrum fidei iniuria, nec caſſo ex parte ipſorum charitatis martyrum titulo, præſtiti. In pari namque cauſa, non diſpar honoris modulus videtur rependendus. At parem, imo eandem eſſe vtrorúmque cauſam, vniuerſa tertia huius opuſculi parte confeci. Liquidò igitur concluditur his quoque pro quibus pugnauimus, non diſſimilium honorum condignitatem competere. Auſímque etiam ſuperpondium aliquod noſtris depoſcere, quod eorum glorioſus exitus, cum multa proximorum vtilitate iungatur: videatúrque conſentaneum, vt quibus alienæ ærumnæ fructuoſæ extiterunt, iiſdem exile tantæ operæ pretium non negent; quale eſt quod grata recordatione, ac condigno meritis honore rependitur. Quamquam quid noſtris honoribus opus, iis quos à ſe honoratos voluit Deus? [Ex noſtris laudationibus, (ait S. Chryſoſtomus, orat. 3. contra Iudæos, initio) nihil martyribus ſplendoris accreſcet. Quid enim egeant linguis noſtris, quorum certamina ſuperant naturam humanam; quorum præmia vim ingenij noſtri vincunt? Deriſerunt hanc vitam, conculcarunt carnificinas & tormenta, deſpexerunt mortem; ad cœlum euolarunt, erepti ſunt è fluctibus

" fluctibus rerum humanarum, in tranquillum enauigauerunt portum; haudquaquam aurum, argentúmue, aut veſtes pretioſas, ſed theſauros quos nemo poteſt eripere, importantes: tolerantiam, fortitudinem, & charitatem. Nunc in Pauli chorum peruenerunt, ante coronas ſuas expectatione coronatum alacres ac geſtientes, eo quod iam de futuro incerti eſſe deſierunt. Quid igitur iſtis opus ſit oratione noſtra? Ex noſtris enim laudationibus quemadmodum ante cœperam dicere, nihil illorum gloriæ acceſſerit.] Concinit perpulchrè S. Bernardus ſerm. 5. in feſto omnium Sanctorum, cum eximiam Sanctorum laudem, quæ vnicuique à Deo erit, celebraſſet: [Ad quid ergo (*inquit*,) Sanctis laus noſtra, ad quid glorificatio noſtra? Quo eis terreni honores, quos iuxta veracem filij promiſſionem, honorificat Pater cœleſtis? Quo eis præconia noſtra? Pleni ſunt. Prorſus ita eſt dilectiſſimi: bonorum noſtrorum Sancti non egent, nec quicquam eis noſtra deuotione præſtatur. Planè quod eorum memoriam veneramur, noſtra intereſt, non ipſorum.] Sapientiſſimè omnino. Verè enim omnis gloria noſtra, omnéſque honores, quos rependere Chriſti athletis extra ſcamma iam conſtitutis poſſumus, nobis potiùs quam illis commodant; vt propterea S. Auguſtinus ſerm. 102. de diuerſ. c. 1. dicat, ſacra corpora martyrum fidei, relicta nobis eſſe, *ad memorias orationum, non ad glorias martyrum*. Hoc eſt, (vt diſertè ipſemet interpretatur, præcludens impium ſenſum, quo quis negatam ab eo ſacrorum pignorum venerationem poſſet obtendere:) non ſunt nobis relicta ad honores quibus egeant, SS. Martyres: quaſi ſi corpora illa

illa vel à feris vorata, vel combuſta, diſiectis in ventum cineribus fuiſſent, manca foret ipſorum martyrum cœlis illatorum, vera apud Deum gloria, veráque beatitas; quod aſſerere, & ridiculum, & impium eſſet: Sed relicta nobis ſunt, ad vſum & commodum noſtrum, quibus proficit Sanctos colere, & eorum ſepulcris ac conditis intra ea ſacris corporibus, aduolui. [Plerunque Deus, (ait ibi Auguſtinus) de ſeruis ſuis, præſtat ſeruis ſuis, quandam dignationem, donans quæ magis proſint ei cui donantur, quàm ei de quo datur. Sic Heliam ſanctum, Deus per auem paſcebat: non autem miſericordia Dei & omnipotentia defecerat, vt ſemper ſic paſceret. Mittitur tamen paſcendus ad viduam, non quia non erat quomodò Dei ſeruus aleretur, ſed vt fidelis vidua, benedictionem mereretur. Præſtitit ergo SS. martyrum corpora Eccleſiis ſuis, ad memorias orationum, non ad glorias martyrum. Illi enim habent integram gloriam ſuam, apud creatorem ſuum.] In noſtrum igitur vſum ac fructum, cedit gloria quàm meritiſſimò exhibemus martyrum ſacris exuuiis: Tum quia ad eorum conſpectum orando, magis conualeſcimus; tum quia ad imitandum ſtimulamur. Quo ſpectaſſe ſapientiſſimum Dei conſilium, in curanda Sanctorum pugilum inter nos ſepultura, egregiè omnino in hunc modum aperit S. Chryſoſtomus in S. Iuliani encomio. [Martyres nobiſcum Deus partitus eſt. Cum animas ſibi ipſe ſumpſiſſet, corpora nobis quodammodò largitus eſt, vt perpetuæ virtutis monumentum, ſancta horum oſſa teneamus. Nam ſi bellatoris arma cruentata quis cernens, clypeum, haſtam, & loricam, licet

omnium

« omnium ſit ignauiſſimus, ſtatim exilit, exardeſ-
« cit, & ad bellum promptus emicat, atque à con-
« ſpectu armorum ſumit animum, vt eaſdem actio-
« nes aggrediatur: Nos qui non arma, ſed corpus
« ipſum cernimus Sancti, quod dignum habitum
« eſt, vt ob Chriſti confeſſionem cruentaretur, li-
« cet omnium ſimus timidiſſimi, quî poſſumus non
« ad ſummam promptitudinem animi exardeſcere,
« cum hic aſpectus, velut ignis quidam, in mentem
« noſtram incidat, & ad idem nos certamen inuitet?
« Propterea nobis Sanctorum corpora, vſque ad
« tempus reſurrectionis commendauit Deus, vt ma-
« ximæ philoſophiæ materiam & occaſionem ha-
« beremus.]

28. Hic igitur eſt reuera vſus, honorum quos noſtris quoque charitatis martyribus, exhibere pietas mortalium poteſt. Vt proinde conſultius videatur, & iiſdem Chriſti athletis acceptius, de illo potiùs honorum ſcopo attingendo, quàm de cumulandis, anxiéve excogitandis eorum in terra honoribus, laborare. Hoc inquam illis pergratum accidet, & ſupra quoſuis honores noſtros iucundum, ſi eorum intuentes exitum conuerſationis, imitemur & fidem: non illam in pleríſque languidam, imo emortuam, & abiecta charitatis anima informem; ſed viuam ſéque impigro in Deum & eius cauſa in proximum motu prodentem; qualis in exitu ſtrenuorum charitatis pugilum micat. Tenuerunt illi in dulciſſimo agone charitatem; quam ne excolerent, non luis virulentia, non periculum mortis præſentiſſimum, non horror adiunctorum ſupra mortem horribilium obſtitit. Hanc nobis in tranquillitate, & extra ardua illa diſcrimina cordi

eſſe,

eſſe, ſupra quoſuis honores noſtros exoptant. Quid enim iis quibus à Sanctis cœlitibus, à Deo ipſo, præconiorum ac laudum vberrima meſſis legitur, arida per nos ieiunantis linguæ ſtipula crepitans? Nec probando more, (vt cum Sidonio dicam l. 9. epiſt. 2.) & olorinis cantibus anſeres rauos, & modificatis luſciniarum querelis, improborum paſſerum fringultientes ſuſurros, ſociatos velimus. Quare de illo potiùs quem proponebã, honorum martyribus impenſorum fructu, qui in nos vniuerſus rednndat, ſimus ſolliciti: & vt cum S. Dorotheo expoſ. ſacra 2. dicam. [Quiſquis coronam optat conſequi, ſtudeat atque operam det, vt ſit apud coronatos.] Hos ille, SS. Martyres interpretatur, eorúmque æternam ſocietatem, ſpondet illi, qui, vt eſt apud S. Diadochum de perfect. ſpirit. c. 94. martyrum imitatione, *teſtimonium conſcientiæ toleranter operatus ſit:* qui inquam pro captu, & negotiorum conditione, martyrũ animos repræſentauerit, ita vt poſſit de eo pronunciari ad veritatem, quod Vvalàfridus Strabo de S. Gallo in eius vita ſcriptis prodidit. [Etſi à perſecutore ſanguinis effuſione non eſt immolatus, ſemetipſum tamen offerens Domino hoſtiam viuam in odorem ſuauitatis, & crucem ſuam tollens quotidie Saluatorem ſequens, martyrij laborem & palmam adeptus eſt.] Vel quod Dinamius de S. Fauſto dixit, iuxta nuper reſtitutam lectionem. [Quamuis ei ad martyrium perſecutor defuiſſe videatur, MARTYREM IPSE, SE FECIT.].

LYON 1836

MARTYRIBVS CHARITATIS.

ECquis martyrij renuat donare coronâ,
Quē Charis ad ſuperas tranſtulit alma domos.
Cùm nullo, aut paruo diſcrimine diſtet ab illo
Martyre, qui verâ Religione cadit?
Deſpicit iſte minas, truculentique arma Tyranni,
Impauidus rabidam prouocat ille luem.
Iſte venenatos pleno trahit ore liquores,
Ille bibit toto mille venena ſinu.
Hic viuis placido verſat ſe corpore flammis,
Carbones medicâ vellicat ille manu.
Alter propitio recreat ſudore, beato
Sanguine Chriſtigenos alter opimat agros.
Ampláque multiplices cæleſtis in borrea fruges
Numinis, hic abiens, dum manet ille, iacet.
Vincit vterque cadens, diuerſo ex hoſte trophæa
Rapta triumphanti ponit vterque manu.
Quæ is vter cælo, qua parte receptus vterque
Regnat ouans, parta nobilitate præat?
Martyribus confert non mors, ſed cauſa decorem.
Hunc Charis, hunc tollit Religionis amor.
Tu ſacri quem ſancta iuuat reuerentia veri,
Dic age num minor eſt Religione Charis?

AVTHORI.

DVm pius in PALMAS transfers Raynaude, Phalanges
Quas ſub CVPRESSIS detinet alma Charis.
Quis, niſi flagranti toſtus liuore, negarit,
Te dignum CEDROS inter habere locum?

ANTO. RICHEO. S. I.

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

LYON 1956

A

ABEL martyr. 42. 181
Abibi Diaconi conſtantia. 302
Abnegatio ſui, quid. 467
Acceptatio martyrij, à qua virtute. 251. & ſeqq.
Acceptatio mortis, adulto martyri neceſſaria. 207. 213.
an ſufficiat habitualis. 218
Acceptatio martyrij debet ſupernaturalis eſſe. 240
Adamitarum in morte pertinacia. 272
Adulto quanis ad gratiam ſpectantia, ſunt libera. 208
Adulto peccatori vt ſit martyr, neceſſaria pœnitentia. 319
Adultus quomodò ad martyrium diſponatur. 206
Æquinocatio quando vitanda martyri. 317
Africanorum martyrum ærumnæ. 383
Agoniſtici iidem cum Circumcellionibus. 154
Alexandrini martyres per peſtem. 412. 423. & ſeqq.
Altare ſedes martyrum, cur. 4
Amantis martyrium. 116
Ambitio inſtabilis & quàm acerba. 142
Ammiani hallucinatio circa martyres Chriſtianorum. 171
Anaxarchi fortitudo. 527
Anglicanorum perſecutorum prætextus. 178
Andreæ ducis martyrium. 285
S. Antonij martyrium negato cruento quodnam. 64
S. Antonij ad martyrium alacritas. 315
S. Anſelmi iudicium de martyrio S. Elphegi. 172
Argumentum ab autoritate negatiua quādo vrgeat. 480
Ariſtotelis fuga. 318
Armogaſtes martyr. 156
Arrianorum Catholicos perſequentium prætextus. 175

Aruandus, à nauſeante fortuna expultus. 147
Aſpertus Mediolanenſis, quid in peſte. 435
Auaros, omnis dolor incurſat. 136
Auaritia ara, & victima ex Chryſoſtomo. 137. 138. 140
Auari, martyres mammonæ. 134. & ſeqq.
Audas Perſa martyr. 312
Aulæ cruces & martyrium. 143. & ſeqq.
Aurea & aureola quid. 370
Aureola martyrum. 375. *differt à gaudio.* 377. *eſt in ſolis adultis.* 378

B

Babylonij pueri an verè, martyres. 160
Baptiſmi expers martyr ſi reſurgeret, baptizandus. 328
Baptiſmus, cur in aqua inſtitutus. 88
Baptiſmus ſanguinis. 329
Baptiſmus martyrium. 335
Barlami & Ioſaphati hiſtoria, cuiuſmodi. 418
Baſilius improbatus quoad lapſos. 537
Beneficia martyrum in mortales. 611. 612
Benedictus Mediolanenſis, quid per peſtem. 435
Bernardini Senenſis charitas in contactos. 436
Bernardi de latrone patibulario iudicium. 69
Beſæ martyris alacritas. 303
Bonitas quæcunque ſupernaturalis, aptum martyrij motiuum. 22
Bonitas naturalis improportionata cum gratia. 226
Bonus pro quo quis mori audet iuxta Apoſtolum, quis. 511

C

Cadauera diuitum, olim extumulata. 141
Cadauera martyrum, Deo curæ. 613
Caij Papæ oratio ad ſuos. 314
Calix martyrium deſignat. 335
Candidatorum cruces. 141
Capſula martyrum, fontes bonorum. 590
Carcere detenti martyres, ſulleuati. 580
Carceri immorientes, an martyres. 164
Carnis martyrium, & ſpurca merces mancipiorum eius. 114
Carnifices martyrum conuerſi. 610
S. Carolus Borromæus quid per peſtem. 443. & ſeqq.
Caſtitatis ſtudio mori, an ad martyrium ſufficiat. 491

Caſtitatis martyrium. 81. & *ſeqq.*
Caſtitatis difficultas. 96
Caſtitatis inſigne encomium ex Origene. 94
Caſtitatis decora in cœlo, quanta. 95
Catenarum S. Petri encomium. 595. *Item S. Pauli.* 595
Catenæ vinctorum olim, quales. 127
Celedonius martyr. 305
Certitudo gratiæ an in martyre. 367
Ceſellius & Camerinus martyres. 202
Character martyri non imprimitur. 327
Charitatis apex. 514
Charitas martyrum quanta. 504. & *ſeqq.*
Charitatis encomium. 525 *perfecta in martyre.* ibid.
Chryſoſtomi vox cygnæa. 139
Chriſtiani, etiam qui ante Chriſtum. 179
Chriſtophorus infans martyr. 202
Chriſto configurantur martyres. 559. & *ſeqq.*
Chriſtus quomodo nō arbitratus rapinam, æqualitatem cum Deo. 537
Chriſtus ſacerdos & ſacrificium. 564
Chriſtus plenè paſſus, alij tantùm ex parte. 32
Chriſtus propriè martyr. 531. & *ſeqq.*
Circumcellionum rabies. 152. 153. *dicti etiam Agoniſtici, & Gotiſpitæ.* 154
Circumcelliones damnati Eliberi. 309
Cleombroti fortitudo. 527
Cœmeterium vnde. 586. *varia eius nomina.* 587
Cognati, martyres ſæpè fregerunt. 538
Cognatorum miniſterium, martyrio non obeſt. 459. 460
Commemoratio martyrum in miſſa quorſum. 348
Concilij Cordubenſis decretum contra prouocatores. 300
Condolentia martyrium. 98. & *ſeqq.*
Condolere, eſt transferre in ſe alterius dolorem. 105
Confeſſio in Eccleſiis quæ diceretur. 3
Confeſſio martyri peccatori neceſſaria. 291
Confeſſio martyrum per Chriſtum coram Patre. 616. & *coram omnibus in die iudicij.* 617. & 618
Confeſſor quis dictus. 415. 6. 7

Confractio idolorum quando mala. 309. 310. *quando licita.* 310. 311
Coniugij martyrium. 118
Coniugatorum vincula. 127
Coniugati, bicorpores ex Anphonte. 125
Conſuetudo veritati praiudicare non debet. 495
Conſummatio charitatis, quæ. 506. 507
Conſtantini oſcula martyribus impreſſa. 584
Contrapugnatio aduerſatur martyrio. 281
Cordium humanorum. 10. *millium, ſacrificium.* 567
Cordubenſes martyres alacres. 303. 305. *defenſi.* 308
Craſcus dux Vandalorũ. 474
Crux quotidiana religionis. 63
Crux portanda, non lignea. 465. *quomodo tollatur.* 466
S. Cyprianus quid in peſte Carthaginenſi. 429
S. Cyprianus ingratiſſimè habitus poſt peſtem. 548
Cypriani in procinctu martyrij, cura. 290
Cyprianus an autor libri de duplici martyrio. 10

D

Damnati acceptantes iuſtam mortem, non ſunt martyres. 231
Damnatio & martyrium hominis à ſeipſo. 31
Deipara quomodo martyr. 157
S. Deſiderius Lingonenſis, modo martyr. 474
Deſiderium martyrij, an æquet perpeſſionem. 163
S. Deſiderius Viennenſis, fuit martyr. 422
Deus compatitur martyribus. 242. 243
Deus ſuos martyric exponens, defenſus. 549
Deus huius ſeculi. 111
Diocles & Diodorus an martyres. 171
Diſpoſitiones adulti ad martyrium. 206
Diſſimilitudines morum, ad martyrium ſufficiunt. 33
Diuitiæ, commodorum parentes. 75
Diuitiæ, hominis veluti ſanguis. 99. & 100
Donatiſtæ iactabant ſuos martyres. 122
Donatiſtarum pſeudomartyres. 267. 276

E

Eccleſia ſi martyr in ea cadat, reconcilianda. 363
Eccleſiæ lilia, & roſæ. 30
Eccleſiæ contemptus, per martyres

tyres ablatus. 603
S. Eduardus an martyr. 171
Eleemoſina quantum ſacrificium. 570
Eleemoſina martyrum charitatis. 550
Eleemoſina ſpiritualis, potior corporali. 110
S. Eleuchadius martyr ſine ſanguine. 109
Eliberitani Concilij canon, expenditur. 309
S. Elphegus Cantuar. quomodò martyr. 172
Emeterius martyr. 305
Emondus Augerius, quid per peſtem. 442
Epicteti fortitudo. 527
Equus ruffus Zachariæ, quis. 91
Error inuincibilis in perſecutore non tollit martyrium. 186
Ethnici martyres, nulli. 258
Ethnici admirati Chriſtianorum charitatem. 498
Euerſio templorum profanorum an licita. 309. *& ſeqq.*
Eunuchi vox, extenſa. 494
Euphemita pſeudomartyres. 268
Eupſychius martyr. 311
Excelſorum nomen, extenſum. 494
Exemplum martyrum, quantum profuerit Eccleſiæ. 521. *& ſeqq.*
Exemplum bonum, fructus martyrij. 518. *& ſeqq.*
Extorres, qui. 6

F

Febris tolerata martyrium. 38. 42.
S. Felicitas ſæpiùs martyr. 134
S. Felicitatis egregium reſponſum. 234.
Ferdinandi Regis auaritia, damnata diuinitùs. 302.
Feſti martyrum dies. 598. 599
Fides, mater martyrij. 434. *eſt ornatibus, ornamento.* 497. *quàm luculenta in martyribus.* 492.
Fides, Spes, Charitas, Sancta, non ſchemata. 419.
Fides an poſſit eſſe de re falſa. 234.
Fides cithara ex Ambroſio, vnde. 590
Fortitudinis apud Ethnicos, laude celebres. 527
Fortitudo martyrum quanta. 526. *& ſeqq.*
Fortuna etiam Regibus perfida. 148.
Franciſci Bufali infœlicitates ex liberis. 132.
Franciſcus de Sales, quid per peſtem. 463.

Franciſci de paupertatis martyrio iudicium. 76
S. Franciſci de Paula, illuſtre factum. 101,
Fugiens & moriens, quando martyr. 167.214.
Fuga prudens cohæret cum fortitudine. 318.
Fuga miniſtrorum Eccleſiæ in neceſſitate, improbatur. 405
Fuga intutum à peſte perfugium. 499.
Fuga declinatio, non eſt prouocatio. 313.
Fuga quando neceſſaria martyri. 317
Fuga declinatio quando neceſſaria. 316.

G

Gaudium de perpeſſione, flos fortitudinis. 532.
Gedeonis milites, typus martyrum. 549.
Geneſij Arelatenſis baptiſmus cruentus. 331.
Gloria martyris multiplex 369
Gloria martyri ſtatim rependitur. 340
Gloria martyrum perpetuò florens inter homines. 601
Gloria martyrij incētiuum. 381
Gloria per martyrium captatio, quam caſſa. 123
Gotiſpita, iidem cum Circumcellionibus. 154
Goffridus Vindocinenſis reiicitur. 217
Gratia martyrij ſupra opus operantis. 353. & *ſeqq. quanta ſit* 360. *quando conferatur.* 364.
Gratia ad martyrij acceptationem neceſſaria. 241
Gratia martyrij an vberior quàm baptiſmi. 338
Gratia martyrio confertur 328
Gregorij Magni per peſtem charitas. 433
Gregorij Thaumaturgi ſeceſſio. 296
Gregorius Thaumaturgus quid per peſtē Neocæſarienſem. 428

H

Habitus inclinatio, qualis. 235.
Hæreticus inuincibiliter errās, an poſſit eſſe martyr. 238
Hæretici incapaces martyrij 260. & *ſeqq.*
Hæretici patientia pro veritate an ex Deo. 269.270
Hieronimi de Praga obſtinatio. 273
Hieronimus Platus laudatur. 57.
Hieroſolymis magnum martyrium, quid. 553.554
Hirundines forenſes. 100

Hiſpani ſocij quid per peſtem. 440
Honorati Arelat. martyrium incruentum. 64
Hoſtia vituli, quos ſignaret. 575
Humana ſacrificia 567
Hunerici Catholicos perſequẽtis prætextus. 178

I

Iephte filia, quomodò confoſſa. 92
Ignis profanus, flagrantior in virginibus. 87
Ignis cupiditatis. 20.85
Imperatores martyrum ſepulchra frequentantes. 590.
Incãtatores, eiiciẽdi. 39.41.44
Infans in matris vtero, poteſt eſſe martyr. 203
Infantes cum baptizantur donari vſu rationis, ſomnium Lutheri. 197
Infantes SS. Nicomedienſes. 202
Infantes ante Chriſtum, potuerunt eſſe martyres. 204
Infantes varii, martyres. 201
Infantes, poſſunt eſſe verè martyres. 187. & ſeqq.
Infantes martyres gratiam martyrij accipiunt. 340
Infantium & adultorum martyria collata. 204
Innocentes Bethleemitani verè martyres 188. & ſeqq. *non habuerunt vſum rationis immaturum.* 194. & 196. *nec omnes fuerunt circumciſi.* 199.
Iobi martyrium. 35.36.37.51
Ioannes Apoſtolus, martyr. 29.159.
Ioannes Baptiſta quomodo martyr. 174.182.
Ioanna Mauris, heroicum factum. 453.
Ioannes ieiunator, perperam Græcis ſanctus habetur. 420.
Ioſephi caſtitas expenſa. 88
Ioannes Theologus in Conc. Florentino, quis. 471
Iphigenia virgo, martyr ex caſtitate. 84.
Iuliani Chriſtianos perſequentis prætextus. 176.
Iuliani Apoſtatæ aſtus in perſecutione. 224
Iuramentum ad ſepulchra martyrum. 589.
Iuſtini martyrium pro veritate aliàs naturali. 259
Iudicandi poteſtas an danda martyribus. 619.
Iudicij tempore hœdos in oues mutandos per martyres, error quorundam. 623.

L

Liberi quãta parentũ crux. 131
Lucernæ præpotentes, quæ. 546
Lucilla Hiſpana, factioſa mulier. 496
Lantfranci dubitatio de martyrio S. Elphegi. 172
Lucri captatio, obeſt martyrio. 488.
Lapſorum mollities non derogat fortitudini martyrum. 536. *de lapſis ſententia S. Baſilij improbata.* 537
Lapſorum perfugium, martyres. 580. 581.
Latro Chriſto confixus an martyr. 337
S. Laurentij martyrium, duplex. 109
Lazarus mendicus, martyr. 37. 40
Leo filia. 527
Liber de duplici martyrio, an Cypriani. 10
Lugdunenſis peſtis anni. 64 *&* 81. *pag.* 442. *proxima.* 449. *& ſeqq.*
Lugdunenſis calamitatis miſerandi quidã euentus. 543
Lugdunenſium mulierum facta heroica. 453
Lupanaris & cœmeterij analogia. 117
Lyduuina, martyr patientia. 46

M

Machabæorum mater, ſepties martyr. 134
Machabæi, verè martyres. 162
Mamantem martyrem vnde celebret S. Gregorius. 28
Manichæi ſuos iactarunt martyres. 267.
Mancipij Maioricenſis inmanitas. 133
Marcus Arethuſius, verus martyr. 269. *prouocauit hoſtes.* 306
Marcionitarum falſi martyres 267
Mariti martyrium ex coniugio. 124
S. Martini martyrium, quale 108. 162. 405
Martyr idem qui teſtis. 1
Martyris notio priſca 2. *dicti interdum martyres, qui paſſi pro Chriſto citra mortem.* 2. *&* 3
Martyrem non facit pœna, ſed cauſa. 184
Martyri quomodo prodeſſe queat oratio & ſacrificium. 350
Martyr longo martyrio aptandus ad martyriũ. 250. 251
Martyres cur omnibus ſeculis. 518

Martyres, ſimus Eccleſia. 520
Martyrũ muta documẽta. 517
Martyres multi, antea impij. 345
Martyrum corpora illuſtranda. 378
Martyribus compatitur Deus. 243
Martyres cur oues dicti. 283
Martyres veri, Chriſto anteriores. 179. & ſeqq.
Marytrum voluptates. 35
Martyres alias indemnes, cur giadio caderent. 161
Martyres viui, qui. 81
Martyres charitatis egentne ſuffragiis. 494. & ſeqq.
Martyres ſeculi, aulici iuxta Bleſenſem. 145
Martyrum ſeculi, ordo triplex. 112
Martyres diaboli. 116
Martyrium latè ac preſsè dictum. 6
Martyrij encomia. 577. 578
Martyrium ante martyrium, quodnam. 83
Martyrium paupertatis. 75
Martyrium obedientiæ. 79
Martyrium caſtitatis. 82. 89
Martyrium religioſæ vitæ. 57
Martyrium incruentum triplex 88
Martyrium cordis. 32
Martyrium in actu & habitu. 157
Martyrium cadátne ſub meritum. 248. & ſeqq.
Martyrium, quidam Baptiſmus. 337
Martyrium, nouacula. 344
Martyrij acceptatio à qua virtute prodeat. 251. & ſeqq.
Martyrium ferax gratiæ. 328
Martyrium, exemplar dominica conuerſationis. 517
Martyrium cruentum, compendium martyrij. 63
Martyrium miſericordiæ, Ruffino quodnam. 399
Martyriũ pro vnitate ſeruanda, Deo gratiſſimum. 279
Martyrium charitatis, eſt etiam fidei. 493
Martyrologia extra Romanum, mendoſa. 420
Martyrologij vox ampliata. 494
Martyrologiũ Rom. quandoque mendoſum. 417. nõ tamẽ quoad ſubſtantialia. 418
Maſſa candida. 483. 154
Mater patiens in prolis morbo, aut morte, quanti apud Deum. 49
Matrimonij cruces qui expoſuerint Patrum. 119
Media ſalutis uſurpanda

martyrij. 319
Melchiſedecum qui referant. 547
Menſurij Carthaginenſis iudicium, lib. atur. 228
Mercator martyr diaboli. 116
Meritum martyrij, cuiuſmodi. 248. & ſeqq.
Metrodorus pſeudomartyr. 268
Milites pugnando morientes, non ſunt martyres. 286
Miniſtri Chriſti, martyres. 472
Mithræ milites. 375
Monachorum quorundam ſimplicitas. 465
Montaniſtæ, iactatores martyrum ſuorum. 185
Morbi tolerantia quàm ardua. 35
Mors ſpiritualis, à charitate. 508
Mors, eſt de ratione pleni martyrij. 156. 161. ſaltem in cauſa. 157
Mors quomodo iteranda. 67. 68
Mortificatio, eſt ſanguinis effuſio 93. 97. 98
Mortificatio iugis, verum martyrium. 67
Motiuum dubium aut exiſtimatum, quale ad martyrium. 233. & 239
Motiuum fidei ex martyrum conſtantia, quale. 273
Motiuum ſpectandum ſuper omnia. 221
Mulieres SS. ſe præcipitantes. 483
Mulieris coniugatæ martyrium. 120
Mulier quàm ferũ animal, & aſperitas conuictus illius. 127. & 129
Mulierum fortitudo ad martyrium. 531

N

Natales martyriũ, vnde. 597
Naturale mori libenter pro Chriſto quomodo ex Hilario. 247
Nicephori Phocæ temeritas circa milites martyres. 286
Nomina ſanctorum impoſita paruulis. 602
Nouatianus pſeudomartyr. 268

O

Obedientia martyrium. 79
Obedientia religioſæ eminentia. 78
Occiſio interni hominis, qua. 93. 94
Odium fidei ex quo martyri mors infertur, quodnã. 168
Opera apud Cyprianũ, quæ. 105

Oppor

Opportunitas ipſa, Deus. 456
Opes hominis ſanguis & ſubſtantia. 99. 104
Opus, operatum an in martyrio. 362
Opus perfectum apud Iacobum, quodnam. 15
Orandum non eſt pro martyre. 346
Orandúmne pro martyribus charitatis. 494. & *ſeqq.*

P

Pacificæ in Conc. Arelat. abrogatæ. 583
Panegyrici martyrũ. 578. 600
Paphnutij martyris generoſitas. 303
Paphnutij iudicium de martyrio religioſorum. 72
Parabolani Alexãdrini. 563
Particulæ corporis ſacri, feraces bonorum. 592
Patientia in morbo, quàm ardua. 34
Patientiæ martyrium. 12. & *ſeqq.* & 31. 33
Patientia hæretici pro vero articulo an ex gratia. 270
Patroclus Arelatenſis, miſer maſtigia. 186
Patrophili falſum martyrium. 269
Pauli Apoſtoli martyrium, ex condolentia. 107
Paulus Neocæſarienſis cultus Conſtantino. 584
Paupertas religioſa quàm aſpera. 73. 75. 76
Peccata nulla, martyri nocent. 342
Peccata minuta quàm vitanda. 229
Peccatũ cur vſura, apud Pſaltem. 115
Perfecti, martyres cur dicti. 15
Peripſemata, qui. 402
Perſecutio, latè, quæ. 156
Perſecutor, quis. 155
Perſecutores in pace externa Eccleſiæ. 21. & *ſeqq.*
Pertinacia pſeudomartyrum, & aliorum. 271
Peſtilentiæ graſſantis fructus. 350
Peſtis atrocitas. 542. 545
Petiliano tributus error de innoxia ſui cæde. 151
Petrus cerebroſus, hoſtis flagellationis à ſe ipſo. 30
Phocæ Imper. de militum martyrio ſenſus. 286
Phoronei iudicium de nuptiis. 124
Piacula vrbium apud Ethnicos. 403
Pictura martyrum. 592
Pij 2. Epiſtola contra Turcas. 288
Pœnitentia martyri peccatori neceſſa-

neceſſaria 318. *& quæ.* 319. *ſuppleri poteſt.* 323
Pœnitentia cur neceſſaria adulto iuſtificando. 213
Pœnitentia ſacramentum ex ſola habituali acceptatione, valet. 219
Præcepta obſeruanda martyri. 288. *& ſeqq.*
Prætextus perſecutorum, non derogant martyrio. 175
Prouocatio perſecutorum, tentatio Dei. 292. *damnatur à Patribus* 293. *& ſeqq.*

Q

Quaſi non excludit ſemper veritatem. 414
Quirici infantuli martyrium. 201.
Quotidiana crux, quorum. 63
Quotidie mori, quomodo contingat. 67

R

Reatus abſterſio per martyrium. 328
Regnum quàm ærumnoſum. 147. *&* 148
Religioſa profeſſio, holocauſtum. 573
Religioſi ſtatus martyrium. 57. *& ſeqq.*
Religioſi ſtatus, ærumnæ. 70
Religioſus moriens obediendo, an martyr. 487.
S. Romani lingua martyr. 609
Ruffini cramata, & interpolationes. 399
Ruſticus quomodo Epiſcopo teneatur credere. 236

S

Sacramenta in adultis depoſcunt acceptationem. 215
Sacrificandum non eſt pro martyre. 346
Sacrificium martyrum. 564. *& ſeqq. quatenus martyrium ſit ſacrificium.* 568
Sacrificium multiplex. 573
Sancti qui in ſeipſos ſæuierunt, quomodò excuſandi. 154
Sancti plerique prouocarunt perſecutores. 300
Sanctorum exempla lue contactos iuuantium. 423. *& ſeqq.*
Sanguis & aqua è Chriſti latere, quid ſignarint. 332
Sanitas à Satana non quæſita, quanti apud Deum. 38. 39
Schiſma in hæreſim degenerat. 276
Schiſmatici nulli, martyres. 276. *& ſeqq.*
Schiſmaticus & hæreticus, vnde ſecernendi. 261
Sepulchra martyrum ſculpta 605
Sepultura martyrum cuiuſmodi. 585. 586

Simeon

Simeon Tridentinus martyr. 202.

Socrates pro veritate caſus, non fuit martyr. 259

Socrates quid conſulenti de coniugio reſponderit. 124

Socratis fortitudo. 527

Sophroniæ cædes à ſeipſa. 155

Spectaculum martyris. 534.

Spei elogium 501. *quanta in martyribus. ibid. &* 502

Spiritus, anima, & corpus, apud Apoſtolum quid. 247

Spiritus S. compugnans martyribus. 246. *cur S. Stephano non apparuerit. V.* Stephanus.

S. Stephano cur ſpiritus S. non apparuit. 243

Stephanus Abbas, martyr patientiæ. 29

ſterium. 505

Thebæi martyres non reſiſtentes. 285

Thecla virgo, martyr ante martyrium. 83

Theodori martyris factum. 312

Theophraſti de nuptiis iudicium. 124

Thomas Cantuar. veriſſimè martyr, cœlitum ſuffragio. 169

Tiburtij martyris alacritas. 315

Timens, adhuc non credit. 496

Timor martyrum quomodò excluſus. 506

Timor, maximũ tormentũ. 546

Tormenta martyrum. 529

Traianus quid de militum caſorum honoribus edixerit. 287

Tribulatio carnis apud Apoſtolum, quæ. 119

T

Tabula cœleſtes de geſtis martyrum. 615

Teſtificatio fidei ad quam omnes obſtringuntur. 499

Teſtificatio per facta. 500

Teſtificatio fidei, an de ratione martyrij. 493. *quanta in martyribus.* 497

Teſtis in ſcriptura quandoque dicitur, qui paſſim martyr. 1

Teth litera in pſal. 118. *my-*

V

Valentina martyr. 311

Valẽtis Catholicos perſequentis, prætextus. 177

Vandalorum eluuio in Gallias. 476

Vandalorum crudelitates in Africa. 173

Velut *non ſemper remouet veritatem.* 414

Veneris

Veneris contemptio viſa quibuſdam lethalis. 393
Verba & ſannæ, tentatio non modica. 539
Vincentius S. Deſiderij Archidiaconus, 475
Violentia externa, an de ratione martyris. 483
Virginis fœlicitas præ coniugata. 121
Virginitas in martyre, martyrium ante martyrium. 83
Virtus martyrium indicens, quæ. 251. & *ſeqq.*
Virtutes morales martyrum. 526
Victorini Rhetoris generoſitas. 617
Vitæ contemptio, quam nobilis. 468
Vitam ſuam an tueri martyr poſſit aut debeat. 284
Viui martyres. 80. 81
Vltio martyrum iam ex hac vita. 613
Vota, religioſi ſtatus ſubſtantia. 75
Vulnera martyrum qualia in eorum gloria. 380
Vxoris martyrium. 120

Z

Zacharias cæſus inter altare & ædem, quis. 183
Zelotypiæ crux, quanta. 126

LYON

FINIS.